C. CRISPI SALLUSTII

OPERA OMNIA.


EX LIBRIS PROF. DR. DARCY CARVALHO.
SÃO PAULO. BRAZIL

C. CRISPI SALLUSTII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE GOTTLIEB CORTII

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

NOTITIA LITERARIA

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:


CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1820.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.



SERENISSIMO GALLIARUM

DELPHINO

S. P. D.

DANIEL CRISPINUS.

Quod mihi non ita pridem summis in votis fuit, Delphine Serenissime, ut tibi aliquem ex meis studiis fructum consecrarem, illud, ubi obtigit, prope est ut omnino refugiam. Neque vero animus erga Te meus immutatus est, non studium; sed me totum usque adeo præpedivit admiratio et veneratio, ut, quæ ego antehac diu conquisieram, ea nunc neque expedire possim, neque certe audeam. Arbitratus eram in laudibus tuis concelebrandis tam argutam tamque solicitam famam, quandoquidem minima maxima consectaretur, pleraque omnia de Te puero revelasse: adeoque, ex ejus, de admirandis tuis progressibus, silentio, cum Te inter Grammatices spinas hæsitantem adhuc, non sine causa, mihi fingerem, tua tam luculente ostentata mansuetudo hanc mihi plenam verecundiæ audaciam indiderat, ut alicubi saltem viam Tibi planam et munitam facere conarer. Quantum vero me opinio fefellit, dicam uno verbo, ne tibi diutius molestus sim. Cum primum ad Te Illustrissimi Ducis Montauserii beneficio sum admissus, obstupui. Quid enim? In festivissimo Nasone explanando, neque troporum audacia, neque implicata verborum com-

plexio, neque fabularum involucra Tibi obicem opponunt: quin gemmæ novæ efflorescunt, cum Tu sentibus istis manum admoves: decore tuo Vatis elegantiam quodam quasi fulgore collustras! Itaque non me cohibuit in enodandis difficultatibus conatus tui solertia, non loci sanctitas. Stupidus exclamavi, num Tu quadraginta illos versus, (nam tot me præsente explicuisti) tunc primo legeres. Quod quidem non prius mihi fuit confirmatum, quam temeritatem meam, jam satis re ipsa damnatam, apud Te verbis cœpi accusare. Meæ igitur tenuitatis conscius in eo constitissem, nisi me, et benignitas tua, et Illustrissimi Moderatoris tui humanitas sustentasset: non enim jam, ut ille opportune submonuit, Tibi exhibentur animadversiones nostræ, eas ut legas, sed ut corrigas. Nimirum laboris tui minuendi causa, adornandas curaverat sapientissimus Dux Montauserius; sed incredibili tua alacritate aspera omnia pervasisti; omnium expectationem antevenisti. Itaque, DELPHINE SERENISSIME, offero Tibi Sallustium, Autorem profecto eximium, qua potui equidem, maxima cum diligentia elucidatum; sed eo tantum fine, ut reverentiam meam, et advorsum Te cultum testatum faciam. Consilium fuit Regis ut Gallicæ juventuti non omni modo virtute præluceres; sed et illi Patriæ Pater voluit, ut eadem prope, quibus usus fueris, sapientiæ instrumenta benigne præberes. Prius illud jam diu ita implevisti, ut, nisi Te crescentem videremus, nequidem majora expectaremus: quin ita es ingressus, ut magni Illius tui Parentis vota æquare videaris. Alterum superest ubi nutui ac arbitrio tuo obsequentissime servientes, propositum tuum aliqua ratione adjuvare audeamus. Eo vero mea vota spectant; et, si oculis tuis hocce opusculum illustrare non dedignatus fueris, tum demum me facile beatum, et gloria cumulatum credidero. Non equidem per omnia penetravit Crispus Politices mysteria, quibus Rex hodie attonitum orbem retinet: at neque omnes Aquilæ habent oculos, qui illum aspiciant. Tu, qui magnum es ejus incrementum, illum intueberis, illum audies, illius denique facta scrutaberis; cujus vel sola

vox Nationum etiam mentes obtundit: Tuis, quæ Tibi data fuerint institutionis rudimenta, ut minora, ita magis ad eorum captum accommodata, postquam delibaveris, et commendaveris, relinques. Jam mos suadet, SERENISSIME PRINCEPS, ut in laudes tuas excurram saltem. Nihil melius; nam quisquis, vel leviter, tuam speciem adumbraverit, is profecto, tanta in Te est vis boni, tam manifeste, et color, et omnia virtutis lineamenta in Te apparent, Perfecti Principis ideam expresserit. At certe unde incipiam, vel, quid sit in Te maxime eximium, prorsum nescio. Minima aucupanti maxima enitescunt; et, quocumque oculos verto, novus decor, novus me splendor occupat. Quis vero, quam a PARENTE habes, animi magnitudinem, mira cum tua suavitate scribendo pingere et comprehendere audeat? Ne potuit quidem hactenus regios vultus penicillus imitari. Quantumvis perspicax et loquax, cæca tamen et muta in ipso fama fuit: Tu credo solus, et Te, et Illum postfuturis repræsentabis. Vive diu, et multum vale, tuorum omnium Spes, ac Deliciæ.

D. CRISPINI

PRÆFATIO.



Quis fuerit Crispus Sallustius, antequam tibi sisteretur, monendus esses, amice Lector: sed illud quia Viri juxta docti et celebres egregie præstiterunt, supervacaneum duximus eorum bene scripta recoquere. Adeoque ex illis, si lubet, auctoris nostri et vitam et mores cognoveris. Aliud est, quod a nobis jure meritoque expectes; quemnam, scilicet, ex hac nova Sallustii editione fructum carpere possis. Institutum, totiusque operis designationem si spectes, nihil non sperare audeas: nam, quod ante omnia monitum te volumus, non instinctu nostro, sed sapientissimi Ducis Montauserii, Serenissimi Delphini Moderatoris jussu, consilioque, eximium, eo quo videbis ornatu, Historicum tibi exhibemus. Ille, ut est omni humaniorum literarum elegantia excultus, ubi instituendo Principi præpositus est, quonam potissimum modo singuli auctores facile feliciterque legerentur, cœpit cogitare: quæ lucem adderent legentium animis: quæ impedimentum inferrent: eaque omnia animadvertit, quæ non modo Serenissimi Delphini, sed publica etiam studia juvare possent. Duæ sunt in legendis auctoribus difficultates, quæ festinantibus et minus exercitatis negotium facessant. Prior quidem, quam facit ipse sermo

et dictio; seu quæ ex lingua et idiomate oritur: alia vero, quæ rebus ipsis ascribitur; quas vel obiter illi in cursu orationis, vel tanquam abunde cognitas attigerunt, quavis de causa denique, non satis ad captum omnium, explicaverunt. Multam equidem, eamque maxime laudabilem operam in his solvendis difficultatibus collocaverunt hactenus viri eruditissimi: at suo loco, nec satis commode visa sunt posita quæ illi ceteroquin optime scripserunt. Eorum enim Commentarios ubi inspicias, quæ ad nudam vocum et phrasis pertinent significationem, aut peculiarem sermonis declarationem, ea cum ulteriori rerum enarratione commixta invenies: ex quo oritur, ut cum aliquam ex his notis inspicere velis, non ea prius occurrat, quam in aliis, contra animi tui desiderium, tempus consumseris. Ne quid ejusmodi eveniret egregie providit Vir prudentissimus. Namque Interpretationem, quæ ad vocum et sermonis facit explanationem, seorsum a notis, quæ res ipsas evolvunt, proponendam decrevit: nisi, forte, quandoque ad notas, majores nonnullæ, circa dictionem, difficultates essent retrahendæ. Designavit insuper, quo omnia primo statim intuitu occurrerent, ut notis arithmeticis loca, ubi interpretatione opus esset, indicarentur; alphabeti autem literis quæ notas poscerent.[1] Minuta vero hæc sunt, quæ primo delineantis animum occupaverunt. Aliud una et eadem opera ab ipso quæsitum est, ubertas, scilicet, et sermonis copia. Non enim tantum in Interpretatione suo quoque et naturali loco restituendas voluit partes orationis singulas, Nominativum ante Verbum, deinde Accusativum, &c. sed Synonyma, obscurarum vice præsertim, aliarum etiam vocum substituenda statuit: ut sic, tum sensus clarissimus appareat, tum verborum vis et propria significatio dijudicetur, abundantiaque inducatur: quanquam ex Poëtis hic fructus erit multo uberrimus. Restabat aliud nihil, nisi tam utili, tamque laudabili consilio manum admovere. Rem vero ipsam, ut videtur, in se recepit gratus bonarum literarum Genius: nam a quo in-

[1] Nos aliter, in ed. præs., ut res postulavit.

cœpto retrahere impensam maximam quivis credidisset, ei rei ne minimum quidem obtulit impedimentum. Nimirum in ea tempora incidimus, quibus Regum munificentissimus, hominumque oculatissimus imperium obtinet. Cum ergo Dux Illustrissimus Montauserius ad honoris summum fastigium sublatus, lectusque inter Proceres fide ac sapientia præcellentes, quos magno numero hodie præsertim habet alma Gallia, Regiæ Delphini institutioni incumberet, ea perficienda curavit, quæ ante cogitaverat. Studiosissime apud omnes literatos, intra et extra regni fines, requirendos jussit, viros instituti sui administros; quos beneficentia, et omni favore clientes suos fecit. Quantum de bonis literis, literatisque, toto denique Musarum choro meruerit, qui omnes, quotquot habemus Latinæ linguæ auctores, eo, quo præscripsit modo, castigandos et enarrandos procuravit, non ego, in hac infantia, sed quibuscumque bonorum omnium non fuerit innata turpis aversatio, omnes prædicabunt. Jam nihil opus erit vernaculis istis, et quotannis fere renovandis interpretationibus, quæ vix satis unquam auctoris sensum et scopum assequuntur, semper ab ejus ratione, modoque recedunt. Quisquis in Latinæ linguæ cognoscendis principiis operam suam per sex menses adhibere voluerit, is postea solus magnam illam virtutis altricem, veterem Romam dico, poterit perlustrare; tutusque venerandorum ejus sepultorum Manes in auxilium et consilium evocare. Utinam vero, quod reliquum est, tam multis commoditatibus culpa nostra nihil detractum fuerit. Socordia non evenerit profecto: quæ autem per imperitiam turbata fuerint, ea ut humanitate tua excusare velis, Lector benevole, oramus. Quod si Illustrissimus Condomiensis Episcopus ex assiduis, quibus, in erudiendo Principe, detinetur curis, ad hæc levia animum demittere potuisset; aut Nobilissimo Huetio in earundem curarum partem ascito, qua benevolentia laborantibus nobis nonnunquam subvenit, eadem totum opus ad examen suum revocare licuisset, aliquid certe promovendis studiis utilius excudere potuissemus. Quod nobis, qui priores in hanc arenam descendimus, quoniam fortuna melior

invidit, si quid in hoc quasi præludio peccaverimus, aliorum qui idem decurrunt stadium diligentia sarcietur. Multa dicenda superessent, ut quibusdam hominibus, quos nominare nihil attinet, non tam satisfaceremus, quod nemo natus fecerit, quam responderemus: at, quietem nostram qui nihil turbaverunt, illis multo melius erit quietam mentem bona prece deprecari. Quomodocumque errata nostra patefecerint, nisi forte etiam illis, apud Superos semper commorantibus, indignum videbitur ad tam vilia sese demittere, lubentissimo animo corrigemus. Tu modo, id quod res est, cogita, candide Lector, nos maximo studio enisos esse, ut auctorem nostrum in perfacili cognitione poneremus. Hinc inde, indiscriminatim, quæcumque ad hunc scopum ducere credidimus, securi desumsimus: neque eo minimum cujusquam Scriptoris laudi gloriæve detractum volumus, quod, utenda quæ illi in lucem ediderunt, ea nos ex illorum benignitate hauserimus. Ita vero agere satius fore visum est, quam, ut alii factitarunt, singula suis auctoribus attribuere. Nam, ut taceam quod prolixæ est istud quandoque disquisitionis, nullius, aut certe minimæ utilitatis; pronum est, ea diligentia, in eam, quam maxime vitaveris, incidere vituperationem: quippe quem statim malevoli furem appellaverint, si quid, quod tute bene annotaveris, alii, quos quidem nunquam videris, ante te observaverint. Tentavimus siquidem ex proprio censu nonnulla tibi eruere, Lector; exinde tamen laudem nullam aucupamur. Minima sunt, quæ, tu nisi, pro tua æquitate, ex bona nostra voluntate metitus fueris, vix tantilli esse pretii confitemur. Fructum vero, magnamque laboris nostri mercedem, qui nos stimulavit, aculeum, benefaciendi studium, nobis duximus: ut jam, si quid ad te perveniat compendii, voluptati nostræ accedat cumulus. Diu vero multumque vale.

VITA SALLUSTII

EX

PETRO CRINITO

DE

HISTORICIS

AC

ORATORIBUS LATINIS.

C. Crispus Sallustius Amiterni natus traditur in agro Sabino, quo anno Atheniensium urbs a L. Sulla devicta, atque vastata est, ut Romani annales referunt, ex nobili Sallustiorum familia ortus est, quæ diu in secundo ordine dignitatem servavit. Idem in urbe educatus creditur, et a teneris annis operam, ac studium impendisse optimis disciplinis: sed cum in ea tempora incidisset, quibus corrupti civium mores variis partibus, atque factionibus forent, neque virtuti præmia, aut bonis ingeniis adessent, in tam depravata civitate, quod idem Sallustius fatetur, victum ejus ingenium voluptatibus, facile succubuit. Itaque cum ad Rempublicam pro ætate foret delatus, propter civium improbitatem et factiones, multa adversa pertulit: nam tum præcipue Sullanis partibus infecta civitas æstuabat. Constat ex veterum commentariis, Sallustium ipsum ingenio fuisse acri, et in studiis literarum accurato, tum maxime in scribenda Historia. Præceptorem habuit inter alios Ateium Prætextatum, qui Philologum se appellavit, et ab eo edoctus est de ratione recte scribendi, ut a Suetonio Tranquillo traditur, qui et Asinium quoque Pollionem scri-

bit ab eodem Prætextato eruditum, atque instructum: maxime autem M. Catonis studiosus fuit: ex cujus commentariis verba excerpsit, et velut breviarium ad usum proprium habuit: quod Octavius quoque Augustus in epistola ad M. Antonium refert, in qua ipsum Antonium, seu insanientem increpat, quod ea scribere vellet, quæ mirentur potius homines, quam quæ intelligant. Sed interim ad Sallustii commentarios. Historiam composuit de L. Catilinæ conjuratione contra R. Senatum, et item de bello Jugurthæ, qui Numidiæ rex factus, diu contra Romanos strenue rem gessit. Historiam præterea de Romanorum gestis, ut de Mario, et Sulla, necnon de Pompeio contra regem Mithridatem: quod opus libris aliquot a Sallustio absolutum traditur, et adhuc supersunt quædam, veluti absolutissimi operis reliquiæ, in quibus Sallustii diligentia in historia describenda, atque gravitas appareat. In parte operis de rebus Punicis, tanto animi studio incubuit, ut a quibusdam scriptum sit, eum regionem adiisse, ac maxima solertia perlustrasse, quo majore fide atque officio veritatem exploraret. Avienus certe Rufus plurimum Sallustii diligentiam, atque studium commendavit: sed et Gellius, vir Romanus, qui veterum eruditionis Aristarchus habebatur, ita de Sallustii oratione disserit: 'Elegantia,' inquit, 'Sallustii, verborumque facundia, et novandi studium, cum multa prorsus invidia fuit, plures non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque, et obtrectare, in quibus plura inscite, aut maligne vellicant:' quin et hunc proprietatis servantissimum vocat. Titus autem Livius tam iniquus Sallustio fuit, sicuti ab Annæo Seneca scribitur, ut quædam ex Historia Thucydidis translata, et eleganter assumta, velut depravata, et corrupta illi objecerit, idque ipsum non in Thucydidis gratiam effecit, ut Arellius Fuscus dicebat, verum putavit se facilius Sallustium vincere, si prius Thucydidem ipsum præferret. Asinius quoque Pollio librum scripsit, quo Sallustii scripta reprehenderet, quod in iis nimia quadam affectatione antiquitatem sequeretur. Fabius vero Quintilianus, vir maturo, et gravi judicio, asseruit, oratione

Sallustii, atque brevitate nihil fieri posse perfectius, præsertim apud vacuas et eruditas aures, neque veritus est idem Fabius, Thucydidi, in scribenda Historia apud Græcos principi, Sallustium ipsum opponere, sicuti T. Livium Herodoto: quo factum est, ut cum plures voluerint dicendi genus Sallustianum sequi, minime sint assecuti: est enim ejus oratio tam absoluta, tam casta, tam innocens, ut merito ab eruditis divina brevitas censeatur; nam et Arruntius, qui belli Punici Historiam scripsit, Sallustio tantum concessit, ut ejus orationem maximo studio sequeretur: quod alibi diximus. Nec illud ignoratur, consuevisse Sallustium magno labore ac studio scribere, ut nihil non absolutum, atque perfectum videri posset, quod ex ipsa lectione facile colligitur. Amicos in primis doctrina, et ingenio nobiles, habuit, ut Cornelium Nepotem, Messalam, et Nigidium Figulum, qui periisse in exilio traditur; Julium præterea Cæsarem magno studio dilexit, a quo etiam, ut creditur, dignitate præfecturæ honestatus est. Illud item a Suetonio refertur, Lenæum grammaticum, Pompeii libertum, satiras contra Sallustium composuisse, eumque mordaci et virulento carmine lacerasse, ut qui lurconem illum, popinonemque, et nebulonem, ac lastaurum appellarit, tum vita scriptisque monstrosum, ac M. Catonis verborum furem ineruditissimum: quod ipsum non alia ratione a Lenæo factum creditur, quam ut studium suum, atque officium erga patronum Pompeium probaret: quem virum Sallustius ore improbo, animo autem inverecundo esse scripserat. Itaque mirandum non est, si tam acerbe, atque satirice libertus Lenæus contra Sallustium aciem styli exacuit. Quantum odii, atque inimicitiæ inter hunc et M. Ciceronem extiterit, notissimum est: quod utriusque violentæ, atque acerrimæ orationes ita demonstrant, ut neuter videri possit satis sui rationem habuisse, dum alteri malediceret. Qua in re non sunt multa referenda, cum ex Hieronymi, ac Fabii auctoritate constet, eos homines longe aberrasse, qui confictas magis orationes ab aliis, quam a Sallustio et Cicerone habitas crediderint. Et sane tam corruptis moribus Sallustius,

ingenio tam proclivi ad luxum fuit, ut paternam domum, vivente adhuc patre, turpissima ratione venalem haberet, quod illi inter alia vitia a M. Cicerone exprobratur. Sed a Varrone etiam et Gellio traditum est, eundem fuisse in adulterio deprehensum ab Annio Milone, lorisque cæsum, ac data pecunia dimissum; qua ratione factum est, ut M. Cicero appellare illum non dubitaverit, mensarum asseclam, cubiculorum pellicem et adulterum. Dignitates publicas gessit, et quæsturæ, et tribunatus honorem assecutus est, sed nulla quidem laude, aut commendatione, adeo lubidine magis, quam ratione, et publice et privatim vixit: nam et ad judicum subsellia abstractus, fortuna extrema (ut inquit Cicero) stetit. Scribunt autem grammatici, ea de causa senatu ejectum fuisse a censoribus, quod ingenti libidine matronas consectaretur. Illud quoque de Sallustio relatum est, patrocinio et favore C. Cæsaris consecutum fuisse præturam Africæ inferioris, ex qua dives factus, cum in Urbem rediret, pretiosissimos hortos in regione ad Malum Punicum comparavit, ac Tiburti villam, quæ a Cicerone itidem illi objiciuntur. Neque desunt, qui scribant Terentiam M. Ciceronis uxorem ab eo repudiatam, Sallustio nupsisse, ac deinceps Messalæ Corvino, viro in eloquentia clarissimo: quod etiam suo loco scripsimus. Sciendum est, fuisse plures Sallustios: nam et Cneus a M. Tullio celebratur, in Sallustiorum familia insignis, et M. Ciceroni, ac Cn. Pompeio maxime familiaris: quod ex iis epistolis colligitur, quas Cicero ad Pomponium Atticum scribit: qua in re imprudenter quidam decepti sunt, cum Sallustii Empedoclea ignorarent, ut alibi demonstravi. Sunt, qui tradant, ad annum secundum et LX. eum vixisse, et in patria annis aliquot post obitum C. Cæsaris diem extremum obiisse: quod ex veterum commentariis colligitur. Illud præterea de hoc ipso Crispo Romæ circumlatum est, ut multi testantur:

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in Historia.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

IN

HISTORICIS LATINIS.

C. SALLUSTIUS CRISPUS natus Olympiadis CLXXIII. an. III. quem ad annum Anonymus ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ hæc annotat: *Σύλλας τὰς Ἀθήνας ἐξεπολιόρκησε μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος. Κρίσπος Σαλούστιος ἱστοριόγραφος ἐγεννήθη.* Sylla Athenas expugnat secundo mense hyberno. Crispus Sallustius Historicus nascitur. *Is est annus Urbis conditæ* DCLXVIII. *Ubi videmus, Græcos scribere Σαλούστιος.* Et sane itidem in Mss. meis, et antiquioribus editionibus, vocatur SALUSTIUS. Sed scribendum SALLUSTIUS gemino LL, quomodo legitur in aliis Mss. et lapidibus. Marmor effossum juxta rudera Sallustianæ domus:

M. AURELIUS PACORUS
ET M. COCCEIUS STRATOCLES
ÆDITUI VENERIS HORTORUM
SALLUSTIANORUM BASEM CUM
PAVIMENTO MARMORATO
DEANÆ
D. D.

Neque aliter lapis alius, cujus vide sis inscriptionem apud Aldum de Orthographia. Natus autem est Amiterni in Sabinis, anno uno post natum Veronæ Catullum, ut notat Eusebius ad annum MDCCCCXXXI.: quadriennio autem

ante bellum obiit Actiacum, ut idem scribit ad annum MDCCCLXXX. Doctissimus Hieronymus Wolfius putabat, nomen ejus simplici L scribi oportere, quia vel a sale sit, vel salute. Sed ἔτυμον utrumque est incertum. Et cur non a sale geminato LL æque esse possit, ac ab eodem venit *sallo*, unde *sallitus*, pro salso? Quare puto, non recedendum esse a libris antiquis, atque inscriptionibus, in quibus L geminatur. Tribunus plebis erat, quo anno Clodius a Milone occisus fuit, puta anno DCCII., quo Cn. Pompeius Magnus, compluribus mensibus consul sine collega fuit. Tribunatu eo, quem nulla cum laude gessit, ut Ciceroni, ita et Miloni, infestus admodum erat: idque quia in Faustæ, L. Sullæ filiæ, adulterio deprehensus, virgis a Milone esset cæsus, nec nisi pecunia data dimissus. Nempe istud in causa est, cur Clodianis semper studuerit adversus Milonem. Vide Pedianum, Gellium, Servium, Horatii interpretes: item orationem sub Ciceronis nomine jam Augustæo, vel Tiberii ævo, editam. Ex quibus etiam discimus, ob adulteria ac stupra senatu fuisse motum ab Appio Claudio Pulchro, et L. Calphurnio Pisone Cæsonio Coss. nempe anno Urbis DCCIII., sive juxta alios DCCIV.: quo consules erant L. Æmilius Paullus et C. Claudius Marcellus. Ejus e Senatu ejectionis meminit et Dio lib. XL. Ac ne alium Sallustium signari putes, clare ait id contigisse Σαλουστίῳ, τῷ τὴν ἱστορίαν συγγράψαντι. Eo anno Milo jam exulabat: unde consequitur, quod a Milone Tribuno pl. virgis cæsum dicebamus, id antea contigisse; non eopse anno, ut vir eruditus putabat. Etiam discimus iisdem ex scriptoribus, a C. Julio Cæsare, rerum potito, dignitatem Senatoriam recuperasse, quæstoremque factum, et postea etiam præturam obtinuisse. Præturæ mentionem quoque invenio apud Hirtium pæne initio libri be bello Africano: ‘Item C. Sallustium Crispum prætorem ad Cercinam insulam versus, quam adversarii tenebant, cum parte navium ire jubet; quod ibi magnum numerum frumenti esse audiebat.’ Item apud Dionem lib. XLII. de hoc ipso legas: Στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο. Narrat ibidem, ut cum in

Campania Cæsaris milites, quos in Africam præmittere statuerat, seditionem concitassent, ac Sallustius prætor Romam contenderet, quo Cæsarem hujus rei faceret certiorem, propemodum fuerit occisus a compluribus militum, qui eum insequebantur, nec cuiquam parcebant, immo duos etiam senatores occiderant. Apud eundem lib. XLIII. refertur, ut Cæsar Numidiæ præfecerit Sallustium; ille autem provinciam expilaverit: ac a Cæsare quidem fuerit absolutus; sed infamiam non effugerit; quod qui in Historia acerbus esset alienorum vitiorum castigator, turpiter ipse in hoc munere se dedisset. Ex hac autem præda Numidica ita ditatus fuit, ut in Quirinali monte forum emeret, quod *Sallustii* vocatur, ubi nunc ædes S. Susannæ: item hortos, qui hodieque *Sallustiani* nominantur. Hæc ostendunt, vitam ejus laudari a nemine posse. Nempe omnis ejus gloria a præclaris scriptis proficiscitur. Sed vix ejus quicquam integre ad nos pervenit, præter bellum Jugurthinum, et Catilinarium. Ita vulgo inscribuntur. Sed posterior genuina inscriptio, DE CONJURATIONE CATILINARIA. Testis Sallustius ipse his verbis: 'Igitur de Catilinæ conjuratione, quam verissime potero, paucis absolvam.' At ex nobili Historiarum opere, quo inprimis historici principis nomen meruit, nihil habemus præter quatuor oratiunculas, epistolas duas, et lacera aliquot fragmenta, quæ ex Grammaticis antiquis, atque aliis scriptoribus, collecta sunt. Duæ vero ad Cæsarem orationes, ut vocant, de Republica ordinanda, utrum Sallustii sint, non convenit inter eruditos. Carrio Sallustio abjudicat: et pro illo est, quod veterum nemo, qui tantopere gaudent Sallustium ad partes advocare, inde aliquid depromat. Dissentit autem Douza, cui favent libri vett. et dictio ipsa, quæ, quicquid dicat Carrio, plane Sallustium redolet. Sin genuinæ non sint, negari tamen non possit, valde esse antiquas, et quidem Juliani, aut Augustæi ævi: saltem non infra Flavianum. Sed genuinas esse arbitror, non tamen ut orationes esse putem, sed epistolas duntaxat. Nam posterioris auctor bis ait, se illa scribere, ac disertim literas appellat. Planeque verisimile est, missas

esse ad Cæsarem, cum in Hispanias contra Petreium et Afranium proficisceretur: quemadmodum jamdudum Ciacconius observavit. Illa vero in Ciceronem oratio, etsi a Fabio quoque tanquam Sallustii laudetur: tamen, quod res indicat, omnino est alicujus declamatoris: credo Porcii Latronis, vel alterius alicujus ex illis, quos nominat M. Seneca in Suasoriis, et Controversiis. Fidem ejus valde commendant antiqui. Nam 'certissimus auctor' dicitur Vibio Sequestri de Fluminibus. Item Hieronymo libro de locis Hebraicis, et exinde Isidoro XIII. 21. Adhæc 'nobilitatæ veritatis Historicus' nuncupatur ab Augustino de Civitate Dei, I. 5. Avienus etiam in descriptione oræ maritimæ, dicit omnia illius dicta esse 'præjudicatæ auctoritatis,' appellat quoque 'expressorem efficacem styli, et veritatis.' Objectant adversus ea aliqui, quod, pravo loliginis succo, pleraque ad Ciceronis laudem pertinentia, quæ apud alios legere sit, præterierit. Verum ea potius neglexisse ego arbitror, vel ut falsa, vel ut incerta plane, vel ut exigua ac minuta. Quod ad dictionem Sallustii attinet, omnes antiqui judicant, brevem ac nervosam esse, et Thucydideæ æmulam. Sane scriptor est plane Atticus, qua laude Demostheni propior est, quam Cicero ipse: ut bene censet Turnebus in Adversariis suis. Sed ut Thucydidem non omnes probarunt, ita nec Sallustii dictio omnibus probabatur. Nam Asinius Pollio damnabat eam, tanquam obscuram, et in translationibus audacem: ut Tranquillus auctor est lib. de claris Grammaticis in Philologi vita. Inprimis vero reprehendi solet, quod antiqua verba ex Catonis Originibus excerperet: cujus rei meminere Augustus apud Tranquillum in ejusce Cæsaris vita, idemque Tranquillus lib. de claris Grammaticis in vita Lenæi, et Fabius ex antiquo epigrammate VIII. 3. Sed hæc impedire non potuere, quo minus a Tacito (at quanto viro!) 'rerum Romanarum florentissimus auctor' lib. III. Historiarum diceretur. Immo juxta Martialem lib. XIV. 'Crispus Romana primus in Historia' est. Augustino quoque lib. de Vita beata vocatur 'electissimus pensator verborum.' Immo Græci ipsi ejus Historias tanti fecere, ut eas verterit

Zenobius, sophista is, qui Romæ docuit sub Adriano Cæsare; quique epitomen proverbiorum Didymi, et Tarrhæi scripsit; ut testis est Suidas in Ζηνόβιος. Atque inde est, quod Sallustii quoque meminit Stephanus in Ἄζιλις. Utinam vero extaret Asper Grammaticus, Sallustii interpres, teste Hieronymo. Quædam ex eo citat Sosipater. Joannes Baptista Pius annotationum Posteriorum cap. 84. citat 'antiquum auctorem, qui vitam Sallustii scribit.' Eum non vidi. Sed scio vitam Sallustii e veteribus reliquisse Asconium Pedianum: ut cognoscere est ex Acrone ad Horat. Sat. I. 2. 41. E junioribus idem conati Pomponius Lætus, et Petrus Crinitus. Sed his fides habenda, quatenus veterum scrinia compilarunt. Cave autem cum Sallustio hoc confundas Crispum Sallustium, ad quem in Odis scribit Horatius, Historici hujus sororis filium, Augusti amicum: de quo Seneca lib. I. de Clementia, et Tacitus lib. I. et III. Annal. A quo et metallum quoddam Sallustianum esse dictum, Plinius auctor est XXXIV. 2.

C. CRISPI SALLUSTII

VITA.

AUCTORE

JOANNE CLERICO.

Bonorum Virorum timiditati, inconstantiæ, aut imprudentiæ vix ignoscere possumus, si quid aliquando moribus suis indignum, et ante actæ vitæ minus consentaneum protulerint. Sed multo magis iram nostram movent improborum honesti sermones; quibus, ut nequitiam suam occultent, certiusque noceant, uti solent; nihil enim sceleratius, quam armis Virtutis uti, ut Vitium tuearis. Non puto autem quenquam pravæ hujus simulationis labe magis infectum vixisse, quam celeberrimum Historicum C. Crispum Sallustium, ut liquebit ex ejus vita; quam ex Veteribus colligere statui, ut quicumque eam legent, hoc exemplo intelligant non esse propterea existimandum bonum quenquam fuisse, quod Virtutem calamo defenderit, nisi constet mores cum sermonibus consensisse. Nemo certe elegantius et acrius in suæ ætatis vitia, quam Sallustius, invectus est; nec quisquam vitæ minus severæ fuit.

Natus erat Amiterni,[1] in Sabinis, apud quos extant etiamnum antiquæ severitatis reliquiæ, anno ab Urbe condita

1 Vide Eusebium in Chron. ad An. MDCCCCXXXI.

DCLXIX.[1] L. Cornelio Cinna III. et Cn. Papirio Carbone Coss. Hi Syllæ infensi bellum civile concitarunt, quod non desiit, nisi postquam Sylla, triennio post, rerum potitus est. His annis, omnis generis flagitia in Italia commissa, plebeiæque et nobiles familiæ gravissimas calamitates passæ sunt; unde intelligere licet miserrimo ac flagitiosissimo ævo natum esse Sallustium, et quo multo plura, quæ vitaret, quam quæ sequeretur, videbat. Parentes tamen ejus inculpatæ vitæ fuisse credibile fit, quod priscus Declamator, qui nomine Ciceronis in Sallustium invectus est, omniaque conquisivit, quæ in eum dici possent, nihil in fama, rumoribusque subsequentis ætatis invenerit, quod iis exprobraret. Patrem certe Sallustii se præterire ait; 'qui si,' inquit, 'nunquam in vita sua peccasset, tamen majorem injuriam Reipublicæ facere non potuisset, quam quod eum talem filium genuerat.' Subjicit, se 'non exequi si qua in pueritia peccasset Sallustius, ne parentem ejus accusare videretur, qui eo tempore summam ejus potestatem habuit.' Quæ verba satis ostendunt, probra nulla in Historici nostri parentes tunc temporis jacta; neque enim iis vehemens Declamator pepercisset, ut Sallustii nequitiam credibiliorem redderet.

Plebeiam ejus familiam, non patriciam, ut nonnulli volunt, fuisse liquet, ex eo quod Tribunus Plebis fuerit; ac sane ubique in nobiles invehitur, ac præsertim in Historia Belli Jugurthini, et posteriore Epistola ad C. Cæsarem de Republica Ordinanda.

A teneris annis excultam eloquentiam, et operam diligentem literis a Sallustio datam, satis ostendunt ejus scripta; neque enim ita scribunt, qui serius sese ad literarum studia contulerunt. Ideo fidem ei minime detraxerim dicenti Epist. II. ad Cæsarem 'postquam sibi ætas, ingeniumque adolevisset, se haud ferme armis atque equis corpus exercuisse, sed animum in literis agitasse; et, quod natura firmius erat, ingenium in laboribus habuisse.' Sed et hoc diserte testatur

1 A. C. LXXXV.

Suetonius;[1] præceptorem enim ejus fuisse docet Atteium Prætextatum, nobilem Grammaticum Latinum, qui se Philologum vocavit, et qui Sallustium familiarissime coluit. Vix tamen videtur, more aliorum, causas actitasse, ut gratiam ac famam sibi actionibus forensibus compararet. Nulla certe memoria ejus rei, apud Veteres; nec Cicero, qui tot æqualium suorum, qui operam suam venditarunt in foro, meminit, C. Crispi Sallustii mentionem ullam usquam fecit. Si quis silentii causam fuisse inimicitiam, quæ inter eos fuit, suspicetur; doceat cur Cicero ejus saltem obiter non meminerit, ut vituperaret. Ac sane genus eloquentiæ Sallustianæ minus aptum foro fuit; aptissimum Historiæ, quæ ab otiosis legitur. Quare Quintilianus,[2] vitari oportere judicat in causis agendis illam Sallustianam (quanquam in ipso virtutis locum obtinet) brevitatem, et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat.

Declamator,[3] quem dixi, turpissimam adolescentiam Sallustio exprobrat, nefandarumque voluptatum amorem objicit; quæ criminationes, ut falsæ esse possunt, non omnino incredibiles ob secuta flagitia videntur. 'Domum paternam,' si accusatori credimus, 'vivo patre, turpissime venalem habuit, ac vendidit;' morique coëgit ex mœrore patrem, quo nondum mortuo, jam pro hærede omnia gerebat. Nec ætatis tirocinio lapsus, postea se correxit, sed abiit in sodalitium Sacrilegi nescio cujus Nigidiani; bis accusatus est, apud Judices, bis absolutus; verum ita ut non innocens esse, sed Judices pejerasse viderentur.

Cum ad capessendos Reipublicæ honores contenderet, Quæsturam[4] est consecutus, quam si petiit legitimo anno, hoc est, vigesimo quinto, Quæstor fuit A. U. C. DCXCIV.,[5] Quinto Cæcilio Metello Celere et L. Afranio Coss. Aliosne honores ambiverit, an difficultatibus deterritus ad privatam vitam, iis missis, concesserit, non satis liquet. Ab hoc certe tempore nullos honores, ad Tribunatum usque Plebis,

1 In lib. de Illustribus Grammaticis c. 10. 2 Lib. IV. cap. 2. 3 Cap. 5. 4 Ibidem. 5 A. C. LX.

gessit. In ipso adolescentiæ ardore, videtur ea admisisse, quæ æternam nomini ejus infamiam inusserunt. M. Varro[1] Scriptor gravissimus, in libro quem inscripserat Pius, aut de Pace, C. Sallustium in adulterio deprehensum cum Fausta, Syllæ filia, a Milone ejus viro loris bene cæsum, et, cum pecuniam dedisset, dimissum fuisse prodidit.

Attamen A. U. C. DCCII.[2] Tribunatum Plebis adeptus est, tempore quo usque adeo turbata erat Respublica, ut eo deventum sit, ut Cn. Pompeius Magnus Consul, sine collega, crearetur. Cum autem paulo ante T. Annius Milo P. Clodium occidisset, Pompeiusque legem de vi tulisset, qua instituebatur quæstio de ea cæde; ulciscendi occasionem nactus Sallustius, sibi non defuit. Cum duobus aliis Tribunis Plebis inimicissimas conciones, ut scribit Asconius Pedianus in Ciceronis Milonianam, de Milone habuit, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem summo studio defenderet; eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni. Postea tamen cum de accusandi studio multum remisisset Sallustius, in suspicione fuit in gratiam rediisse cum Milone et Cicerone.

Crediderim, hisce temporibus, scriptam fuisse Historiam Catilinariæ Conjurationis; cum Sallustius, exacto Tribunatus tempore, privatus ageret, nec Ciceroni esset infensus; rem enim ita narrat, ut ea lecta Historia, nemo non acta Ciceronis sit probaturus. Forte et Bellum Jugurthinum, et Civilia, quæ id insecuta sunt, aliaque cum iis connexa, eodem illo tempore conscripsit, aut aliquanto posterius. Certe non sunt ea scripta hominis adolescentis; testaturque ipse, initio conjurationis Catilinariæ, se tum demum Historiam aggressum scribere, 'ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et sibi reliquam ætatem a Republica procul habendam decrevit;'[3] quod vix ante Tribunatum, quem anno ætatis XLI. gessit, fieri potuit. Tum vero statuit

1 Apud Aul. Gellium XVII. 18. Vide et veterem Scholiasten Horatii ad Sat. II. 1.

2 A. C. N. LII. 3 Cap. 3.

'res gestas Populi Romani carptim,' sic ipse loquitur, 'ut quæque memoria digna viderentur perscribere; eo magis quod ei a spe, metu, partibus Reipublicæ animus liber erat.' Hæc sunt verba hominis honores nullos amplius sperantis, aut certe ambitionem egregie dissimulantis. At nec ante dissimularat honorum cupiditatem; nec postea, rerum potiente Cæsare, eorum contemtum præ se tulit.

Itaque ante omnia Catilinariam conjurationem, quæ contigerat anno ejus vitæ XXX., ac proinde cujus testis fuerat, scribere undecim circiter post annis aggressus est, si calculos recte ponimus. Tum Jugurthinum bellum, quod diu antequam nasceretur, et Civile, quod eo puero gestum est, conscripsit. Periit postremum Opus, si fragmenta quædam excipias, quæ tamen sat ampla ad nos pervenerunt, ut ex iis intelligere possimus, non minus accurate ac cetera perscriptum fuisse.[1] Sed mihi videor ex loco Ausonii posse colligere tempora, quorum Historiam scripserat Sallustius, in iis libris qui perierunt. Ausonius in Idyllio XXXII., ad Nepotem, docet puerum, quos libros legere eum oporteat, et quos ipse, in gratiam ejus in manum iterum sumere sit paratus. Itaque memorato Terentio, sic loquitur de Sallustii libris:

Jam facinus, Catilina, tuum; Lepidique tumultum,
Ab Lepido, et Catulo; jam res et tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Jam lege civili missum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.

Hæc sunt omnia opera Sallustii, excepto bello Jugurthino, quod cur omiserit Ausonius, non intelligo. Forte aliquot versus vetustate interciderunt. I. Occurrit bellum Catilinarium, de quo nihil necesse est dicere. II. Historia tumultus excitati a Marco Æmilio Lepido, anno Urbis Conditæ DCLXXXVII. postquam anno superiori Consul fuisset: is tumultus a Pompeio et Catulo oppressus est, eodem anno. III. Inde Sallustius scripserat Historiam rerum in Republica

1 Suetonius de Ill. Gramm. c. 10.

Romana per duodecim annos gestarum, ante Lepidi tumultum; quorum duodecim annorum initium fecerim circiter ab anno U. C. DCLXIII., quo bellum Marsicum inchoatum, ab eo enim tempore, usque ad extremam Dictaturam Syllæ, duodecim circiter anni fluxerunt. Multa autem inveniuntur fragmenta Sallustii, ex quibus liquet eum res a Sylla gestas, scripsisse; quæ ea temporis intercapedine continentur. IV. Bellum scripserat Sertorianum, quod cœperat sub finem vitæ Syllæ, proximeque duodecim annos memoratos consequebatur; Metellus enim in Hispaniam contra Sertorium missus est anno U. C. DCLXXIV. qui duodecim illorum annorum ultimus fuit. Si ea Historia ad receptas usque Hispanias pertexta est, quod credibile videtur, pertinuit ad annum DCLXXXI. nam eo demum anno, occisis Sertorio et Perpenna, pacatæ sunt Hispaniæ.

Hinc videmus, quamvis Sallustius carptim scripsisset Historiam Romanam, nec continua temporum serie lucubrationes suas edidisset, ex tribus postremo memoratis operibus potuisse contexi circiter octodecim annorum Historiam; quæ utinam sane extaret! Fragmenta enim ejus sitim nostram excitant, non restinguunt. Hi autem libri, quamvis ab auctore eo ordine, quem memorat Ausonius, editi, videntur postea a Grammaticis in ordinem quendam redacti, ut ex tribus operibus una conflaretur Historia, Librique ejus perpetuo ordine a primo ad ultimum decurrerent, commodiusque ad testimonium citarentur. Asinius Pollio, in libro quo Sallustii scripta reprehenderat, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, tradebat, 'In eam rem adjutorium ei fecisse maxime quendam Atteium Prætextatum, nobilem Grammaticum Latinum, declamantium deinde adjutorem atque præceptorem.' Ab hoc aiebat 'Sallustium, Historiam scribere aggressum, breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instructum fuisse, antiquaque ei verba et figuras solitum eum esse colligere.' Videtur Grammaticus non ignobilis ea in re ingenio ac voluntati Sallustii gratificatus esse, potius quam suum ipsius judicium secutus; nam in præceptis Rhetoricis ad Asinium

Pollionem, ei 'nihil aliud suadebat,' ut prodidit Suetonius, 'quam ut noto, civilique, et proprio sermone uteretur, vitaretque maxime obscuritatem et audaciam in translationibus.' Credibile est Sallustium ea re gravitatem styli captasse, et priscorum illorum Romanorum sermonem imitatum, quorum moribus erat dissimillimus, ut flagitiosæ vitæ maculas elueret, persuaderetque iis, quibus satis notus non erat, falsa esse omnia, quæ de illo minus honesta jactabantur.

Verum hæ artes belle homini non cesserunt, nam anno U. C. DCCIV.[1] Coss. L. Æmilio Paullo et C. Claudio Marcello, Appius Claudius Pulcher Censor, non repugnante Collega L. Calphurnio Pisone, omnes libertinos, ut docet Dio Lib. XL. multos etiam nobilium, atque inter eos Crispum Sallustium, qui Historiam conscripsit, Senatu ejecit. Quod factum, si veteribus Grammaticis[2] credimus, propter adulteria; dicitur enim ab iis 'Salustius tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto mœchus in matronas, quod cum illi in Senatu a Censoribus objectum esset, respondit se non matronarum, sed libertinarum sectatorem esse. Quare ex Senatu,' inquiunt, 'ejectus est.' Hoc quoque ei exprobrat personatus ille Cicero,[3] qui Declamatione in ejus mores invectus est. Idem nos docet, postquam Censores Senatum, more majorum legissent, nusquam conspectum esse Sallustium Romæ, suspicaturque tum se 'conjecisse in ea castra, quo omnis sentina Reipublicæ confluxerat;' hoc est, in Galliam ad Cæsarem se contulisse. Non minoribus conviciis[4] eum exagitavit Lenæus, Pompeii Magni libertus, ex amore erga patroni memoriam, quem Sallustius scripserat 'oris probi, animo inverecundo fuisse.' Ideo Lenæus postea Historicum nostrum 'acerbissima Satira,' ut docet Suetonius, 'laceravit,' lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans, et vita scriptisque monstrosum, præterea priscorum, Catonisque verborum ineruditissimum furem. Qua ex occasione, sic de Pompeio scripsisset Sallustius,

1 A. Chr. N. L.
2 Schol. in Sat. I. 2. Horatii.
3 Cap. 5. et 6.
4 Suetonius de illustr. Gramm. cap. 15.

post interitum ejus Historiæ, conjicere non possumus; at constat Cæsarianis partibus e Senatu expulsum fuisse.

Certe posteaquam Respublica armis oppressa est, anno sequente, U. C. DCCV. C. Claudio Marcello et L. Cornelio Lentulo Coss. a Cæsare est in Senatum reductus;[1] Quæstura iterum accepta, ut honestius in amplissimum ordinem reciperetur. Eum autem honorem, si adversæ famæ credimus, 'ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cujus aliquis emtor fuit. Nihil non æquum ac verum duxit, quod ipsi facere collibuisset.' Propter iteratam Quæsturam, priscus Declamator, cujus verba protulimus, 'bis Senatorem, bis Quæstorem factum' ait.[2] At Dio lib. XLII. vult, ut recuperaret dignitatem Senatoriam, Prætorem creatum. Malim, Quæstura in eum collata, factum hoc esse; eo enim Magistratu capto, Romana Juventus ingrediebatur Senatum.

Hoc tempore, viris doctis videtur scripsisse ad Cæsarem duas illas Literas, quæ perperam Orationes inscribuntur, de Republica ordinanda. Sed posteriores quidem, hoc tempore, scripsisse potuit; at priores non nisi propemodum confecto bello scripsit. Malim ergo hasce differre in annum DCCVII,[3] aut certe ad finem anni antecedentis cum victus esset Cn. Pompeius.

Igitur sub finem anni DCCVI. cum in Asia esset Cæsar, ab iis qui Roma ad eum venerant cognovit, literisque urbanis animadvertit multa Romæ male et inutiliter administrari,[4] neque ullam partem Reipublicæ satis commode geri; quod et contentionibus tribunitiis perniciosæ seditiones orirentur, et ambitione atque indulgentia Tribunorum Militum, et qui legionibus præerant, multa contra morem, consuetudinemque militarem fierent, quæ dissolvendæ disciplinæ, severitatisque essent. Hanc crediderim occasionem fuisse, scribendi iterum ad Cæsarem de ordinanda Republica; qua de re, cogitare serio non potuit, nisi post victum Pompeium. Antea quidem Sallustius, Cæsare nondum in Macedoniam

1 Cicer. in Sallust. cap. 6. A. C. N. XLIX. 2 Id. cap. 7.
3 A. C. N. XLVII. 4 Hirtius de Bel. Alexand. cap. 65.

profecto, vigenteque bello, multa monuerat, ea de re, in Epistola, quæ II. Oratio perperam dicitur, ubi de M. Bibulo et L. Domitio, quasi viventibus loquitur, cum Bibulus mortuus sit ante pugnam Pharsalicam, et Domitius ex ea fugiens interfectus. Sed in altera Epistola, in qua de bello, quasi confecto, loquitur, rem eandem iterum aggreditur. Itaque, quæ prior est, eam opporteret esse posteriorem; quod etiam ipsum ejus, quæ posterior est, prooemium satis ostendit.

Antequam autem Cæsar contra Scipionem, Pompeii socerum, in Africam iret, anno U. C. DCCVII., quo Cæsar iterum Dictator fuit, M. Antonius Magister Equitum, Prætor factus est Sallustius; qui honor videtur non tam monitorum de Republica ordinanda, quam turpium adulationum iis admissarum præmium fuisse. At Sallustio propemodum fatalis fuit; cum enim esset in Campania,[1] apud Cæsarianos milites, mox in Africam transmittendos, motaque ab iis esset seditio, quam frustra compescere tentavit, ab iis ferme est interfectus. Quinetiam cum Romam ad Cæsarem contenderet, ut hac de re certiorem faceret, insecuti eum complures militum, obvios quosque occiderunt; ipsum, si adipisci potuissent, e medio sublaturi.

Cæsar vero, placatis militibus, sub brumam in Africam, cum parte exercitus, trajecit, secumque Sallustium duxit, quem, paucis diebus postquam appulisset, cum penuria annonæ premeretur, ad Cercinam insulam,[2] quam adversarii tenebant, cum parte navium, ire jussit, quod ibi magnum numerum frumenti esse audiebat. Ejus adventu[3] C. Decimius Quæstorius, qui ibi cum grandi familiæ suæ præsidio præerat commeatui, parvulum navigium nactus conscendit, ac se fugæ commendavit. Sallustius interim a Cercinatibus receptus, magno numero frumenti invento, naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complevit, atque in castra ad Cæsarem misit. Quid aliud in eo bello gesserit Sallustius, nemo prodidit, sed fidelem

1 Ex Dione lib. XLII. 2 Hirtius de Bello Afric. cap. 8. 3 Ibid. cap. 34.

ac strenuam operam Cæsari navasse, ex præmio intelligere est. Anno enim U. C. DCCVII.,[1] confecto Africano bello, Cæsar[2] eum in Numidia recepta, verbo quidem administrandæ provinciæ causa, reipsa autem expilandæ, pro Prætore, reliquit. Itaque dona multa Sallustius accepit, multa rapuit, Romamque deinde reversus, cum a Numidis accusaretur, maximam infamiam retulit; quod cum libros scripsisset, in quibus copiosa et acerba oratione invectus erat in eos qui ex provinciis quæstum fecissent, rebus ipsis quod scripserat non expressisset. Ne tamen caussam diceret,[3] sestertio duodecies[4] cum Cæsare pactus est, si credimus personato Ciceroni. Gravissimus certe Historicus Dio, prodidit eum, licet a Cæsare dimissum, suis ipsius scriptis perennem infamiam sibi creasse, quod vita ab iis prorsus dissentiret.

Ea præda, qui modo ne paternam quidem domum redimere poterat,[5] repente tanquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, qui *Sallustiani*[6] ab ejus nomine, dicti sunt, villam Tiburtinam, et alias possessiones sibi comparavit.

Qua ratione, vitam postea traduxerit Sallustius, Veteribus tacentibus, nobis non liquet. Credibile est ornandæ domui, exstruendis villis, deliciisque undequaque sibi parandis occupatum fuisse; ita ut saluberrimis præceptis, quæ in Historiis tradiderat, exemplo suo vim pondusque detrahere pergeret. De ejus oratione in Ciceronem, et Ciceronis in Sallustium, nihil addam; quia, licet antiquæ sint, nec infra ævum Tiberianum, animi causa, a Rhetore quopiam confictas nemo amplius dubitat.

Septuagesimo ætatis anno, fato functus est, quadriennio ante bellum Actiacum,[7] hoc est, anno U. C. DCCXIX.[8] S. Pompeio et S. Cornificio Coss. Vir sane fuit memorabilis, si Historias ejus spectes; quæ, si nimium antiquioris styli studium excipias, nullis aliis postponendæ sunt, principemque locum, inter Romanos Historicos, etiam judicio

1 A. C. N. XLVII. 2 Dion. lib. XLIII. 3 Cicer. in Sallust. cap. 8. 4 Nonagesies mille ff. eoque amplius. 5 Id. Ibid. 6 De iis vide Fam. Nardinum Vet. Romæ IV. 7. 7 Vide Euseb. in Chron. 8 A. C. N. XXXV.

Veterum, ei pepererunt. Nec brevitatem ac efficaciam singularem dictionis duntaxat laudant, sed etiam veritatis studium; quod ita intelligendum, ut de aliis loquenti fides habeatur, de se ipsi nihil credatur nisi quod re ipsa comprobatum est. Facile credo, cum se Reipublicæ longum valedixisse putaret, 'Consilium ei non fuisse,' ut ipse dicit, 'socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero, agrum colendo ac venando, servilibus officiis intentum, ætatem egisse,'[1] sed honestioribus studiis et scriptionibus operam dedisse. At nec oblitum deliciarum ac voluptatum opinor; quibus et puer et adolescens et senex, quasi Sirenibus quibusdam, adhæsit; nec, ut puto, dum Historias, florente ætate, scriptitaret, nuncium remisit.

Idem fecit, quod plerique Philosophorum, 'disertorum in convicium suum, quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium professos putes, adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa!'[2] Interea ejus Historia, ut ceteris omnibus, utamur oportet, quippe quæ non minus gravia ac utilia præcepta, exemplaque continet, quam si scriptor sanctitate morum priscos omnes Romanos superasset.

1 Conjur. Catil. cap. 4. 2 Seneca apud Lactant. III. 15.

VETERUM SCRIPTORUM

ET

NONNULLORUM RECENTIORUM

DE

SALLUSTIO

JUDICIA ET TESTIMONIA.

AUGUSTUS CÆSAR.
Suetonius in Vita Augusti.

TUQUE dubitas Cimberne Annius an Verrius Flaccus imitandi sint tibi? ita, ut verbis, quæ Crispus Sallustius excerpsit ex Catonis Originibus utaris, an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?

Velleius Paterculus. Hist. lib. II.

Æmulus Thucydidis Sallustius.

Et:

Pæne stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consecutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis, nam vivorum ut magna admiratio; ita censura difficilis est.

Horatius, Serm. I. 2. 48.

Libertinarum dico: Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui mœchatur

Acro ad Horat. Serm. I. 2. 41.

Ille flagellis Ad mortem cæsus] Hoc de Sallustio videtur dicere. Sallustius enim Crispus in Faustæ, filiæ Sullæ, adulterio deprehensus ab Annio Milone, flagellis esse cæsus dicitur: quod Asconius Pedianus in Vita ejus significat.

Eadem fere Porphyrio.

Servius ad Æn. VI. 612.

Si re vera cæsi; Salustius, quam Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suæ uxoris, quæ fuerat Fausti Syllæ filia.

Asconius Pedianus.

Fertur Sallustius tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto mœchus in matronas: quod cum illi in Senatu a censoribus objectum esset, respondit, se non matronarum sectatorem esse; quare ex senatu ejectus est, quod ipse excusat in Catilinæ bello.

Hæc vetus Interpres Horatii, ad Serm. I. 2. 48.

Idem in Argum. Milon. p. 779. et ibid. ad c. VI. p. 812.

Sallustium fuisse Tribunum plebis, quo anno Cn. Pompeius solus Consul erat, ostendit. Unde colligas ingenio fuisse Tribunicio et turbulento. Notanda hic sunt Tullii verba: 'Divisa sententia est, postulante nescio quo. Nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas Senatus emta intercessione sublata est.'

Nempe per Munatium et Sallustium, mercede corruptos. Qui dividi postularat, is erat Q. Fufius. Vid. Asconius ibid. et in c. XVII. *p.* 861. *in* XVIII. *p.* 865. *in* XXV. *p.* 897.

Seneca Rhetor Decl. lib. III.

Orationes[1] Sallustii in honorem Historiarum legantur.

Seneca Philosophus Epist. CXIV.

Sallustio vigente, amputatæ sententiæ, et verba ante expectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu.

1 Quasi dicat, non admodum probari. Vid. Corradus in Quæstura Cic. p. 161.

Arruntius, vir raræ frugalitatis, qui Historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus, et in illud genus nitens.

Et ibidem.

Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud Arruntium crebra sunt, et pæne continua, nec sine causa; ille enim in hæc incidebat; at hic illa quærebat.

Et lib. IX. Decl. 1. et Controvers. 25. lib. V.

Cum sit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Sallustius vicit, et in suis illum castris cecidit, nam in sententia Græca tam brevi, quam salvo sensu detrahas vocem aliquam, constabit sensus, etiamsi non æque comtus, attamen integer; at ex Sallustii sententia nihil demi sine sensus detrimento potest. Titus autem Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam, et tanquam translatam, et tanquam corruptam, dum transferretur, objiceret Sallustio, nec amore Thucydidis facit, ut illum præferat; sed laudat quem non timet, et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

Martialis lib. XIV.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in historia.

Quintilianus II. 5.

Livius a pueris magis legendus quam Sallustius, et hic Historiæ majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit.

Et III. 10.

Crispus Sallustius in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est.

Et IV. 2.

Vitanda illa Sallustiana, quanquam in ipso virtutis locum

obtinet, brevitas, et abruptum sermonis genus: quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat, nec, dum repetatur, expectat.

Et viii. 3.

Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur:
Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

Et ix. 3.

Ex Græco translata Sallustii plurima.

Et x. 1.

Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem et sæpius ineruditum captanda nobis est: neque illa Livii lactea ubertas docebit satis eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit.

Et ibidem.

At non Historia cesserit Græcis: nec Thucydidi opponere Sallustium verear: nec indignetur Herodotus æquari sibi T. Livium, cum in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam narrari potest, eloquentem; ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata, sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo Historicorum commendavit magis: ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est, nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes.

Et ibidem.

Attici præcisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant; tristes ac jejuni Pollionem æmulantur; otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant Ciceronem ita locuturum fuisse.

Et x. 3.

Sane manifestus est Sallustii ex ipso opere labor.

Statius Papinius I. 4.

Sed tuas artes puer ante discat:
Omne quis mundi senium remensus,
Orsa Sallustî brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

Cornelius Tacitus Hist. lib. III.

C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor.

Justinus Hist. lib. XXXVIII.

Pompeius Trogus in Livio et Sallustio reprehendit, quod conciones directas, ac orationes operi suo inserendo Historiæ modum excesserint.

Agellius I. 15. Noct. Attic.

Sallustius, novator verborum.

Et III. 1.

Sallustius, vel subtilissimus brevitatis artifex.

Et IV. 15.

Elegantia orationis Sallustii, verborumque facundia et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit: multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare: in quibus plura inscite aut maligne vellicant, nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione.

Et x. 20.

Sallustius, proprietatis in verbis retinentissimus, consuetudini concessit.

Et lib. eodem c. 26.

Asinio Pollioni in quadam epistola, quam ad Plancum

scripsit, et quibusdam aliis C. Sallustio iniquis, dignum nota visum est, quod, &c.

Et XVII. 18.

M. Varro in literis atque vita fide homo multa et gravis, in libro quem inscripsit, Pius, aut, De Pace, C. Sallustium, scriptorem seriæ illius et severæ orationis, in cujus Historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone, loris bene cæsum dicit, et cum dedisset pecuniam, dimissum.

Suetonius De claris Grammaticis: de Philologo.

Asinius Pollio librum scripsit, in quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia verborum affectatione oblita.

Et ibidem.

Philologus coluit familiarissime C. Sallustium, et eo defuncto, Asinium Pollionem, quos Historiam componere aggressos, alterum breviario rerum Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit; alterum præceptis de ratione dicendi; quo magis miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio, cum sciat eum sibi nihil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii, et audaciam in translationibus.

Et de Lenæo.

Lenæus tanto amore erga patroni (Pompeii) memoriam extitit, ut Sallustium Historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo, scripsisset, acerbissima satira laceraverit, lastaurum[1] et lurconem et nebulonem, popinonemque appellans, et vita scriptisque monstrosum, præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.

1 Vid. Voss. Etymolog. p. 281.

Macrobius Sat. III. 15.

Sallustius, gravissimus alienæ luxuriæ objurgator et censor.

Et v. 1.

Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni ascribitur: pingue et floridum, in quo Plinius secundus quondam; et nunc, nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur.

Symmachus v. 66.

Interea recuso sententiam, quæ rem venaticam servile dicit officium. Statuerit hoc scriptor stylo tantum probandus: nam morum ejus damna non sinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas.

Ausonius in Protreptico.

Jam facinus Catilina tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romæ,
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Jam lego civili mistum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.

Sidonius Apollinaris in Panegyri Anthemii Augusti.

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.

Et in Panegyri Narbonensi.

Et te multimoda satis verendum
Scriptorum numerositate Varro:
Et te qui brevitate Crispe polles:
Et qui pro ingenio fluente, nulli
Corneli Tacite es tacendus ori.

Apuleius Apologia.

Neque Cato gravitatem requirit, neque Lælius levitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæsar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parcimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero.

Festus Avienus, in ora Maritima.

Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris: Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam; ad ejus igitur inclytam
Descriptionem (qua locorum formulam
Imaginemque, expressor efficax styli
Et veritatis, pæne in obtutus dedit
Lepore linguæ) multa rerum junximus.

Vibius Sequester lib. de Fluminibus.

Sallustius, auctor certissimus.

Marius Victorinus in librum Cic. de Inventione.

Historia et brevis esse debet in expositione, et aperta et probabilis, ut Sallustius sibi omnia in Catilina tribuit.

Spartianus in D. Hadriano.

Amavit (Hadrianus) genus dicendi vetustum, controversias declamavit, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustium Cælio prætulit: eademque jactatione de Homero ac Platone judicavit.

Vopiscus in Aureliano.

Nemo scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non est aliquid mentitus, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis erroribus convincerentur.

Et in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, &c.

Et lib. II. 13.

Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: 'Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur.' Recte, si ita vixisset ut locutus est; servivit enim fœdissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit.

Lactantius.

Sallustius, homo eruditus.

Et:

Sallustius, homo nequam, ait: 'Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur;' recte, si ita vixisset ut locutus est; servivit enim fœdissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit.

Hieronymus in epitaph. Neapolitani ad Heliodorum.

Neque enim proposui historiam scribere, sed nostras breviter flere miserias, alioquin merito ad hæc explicanda et Thucydides et Sallustius muti sint.

Et lib. I. adversus Jovinianum.

Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ, sororem ejus duceret, omnino hoc facere supersedit, dicens non posse uxori se et Philosophiæ pariter operam dare; illa interim conjunx egregia, et quæ de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Sallustio inimico ejus, et tertio Messalæ Corvino, et quasi per quosdam gradus eloquentiæ devoluta est.

Idem de locis Hebraicis, et ex eo Isidorus Orig. XIII. 21.

Sallustius, auctor certissimus.

Augustinus de Civitate Dei I. 5.

Sallustius, nobilitatæ veritatis historicus.

Et Epist. V. ad Marcellinum.

Nobilissimus historicus.

Johannes Sarisberiensis, Policratici III. 12.

Unde et Crispo, Historicorum inter Latinos potissimo, sed et ipsi Ciceroni placuit: In malis factionem esse, quod in viris bonis vera amicitia est.

Volaterranus.

Caius Sallustius Crispus, Romana primus in historia, ut ait Martialis: Thucydidi ex Græcis opponitur a Quintiliano, elegantia dicendi, Attica brevitate, sententiarum celebritate. Taxatur autem a Pollione, ut nimis antiquarius, et ex Catonis Originibus verba mutuatus. Trogo autem, quod orationibus nimis longis ac directis utatur: sicuti etiam Thucydides. Hic ille inimicus Ciceronis, divitiis præditus, cujus hortorum vestigia adhuc cernimus Romæ: quorum Plinius quoque meminit libro Naturalis historiæ septimo, capite decimo sexto. Hic etiam ille alienæ luxuriæ gravissimus objurgator et censor, qui Metellum Pium in historia reprehendit, quod præter ejus, et populi Romani dignitatem et modestiam, conviviis in Hispania, omnique luxu uteretur. Postea vero ipse deprehensus in adulterio, ab Annio Milone, et loris bene cæsus, et postquam pœnas dedisset, dimissus est. Auctores Varro et Macrobius, Aulus Gellius.

Petrarcha.

Crispus Sallustius, nobilis historicus veritatis (sic enim de illo apud auctores verissimos scriptum video) quo fidelius res Africæ complecteretur, libros Punicos perquisivit,

peregrinamque linguam, per interpretem, flagranti studio scrutatus est; quin et maria transgressus dicitur, ut oculis suis crederet de conditionibus locorum. Bellum Jugurthinum, conjurationemque Catilinæ, compendioso, et ad unguem, ut dici solet, castigato stylo complexus est, sed nullo famosior quam Historiarum libro, qui ætati quoque nostræ, ne certum ejus sileam dedecus, amissus est: veterum quidem testimonio illustris, apud nos solo jam nomine superstes.

L. Vives.

Sallustius, rerum Romanarum florentissimus scriptor, ut inquit Tacitus, frequens est in manibus puerorum; sed mihi aptior videtur provectioribus. Inimitabilis est in illius scriptis gratia: quæ quotiescumque repetita, nunquam tædium sui, aut satietatem lectori afferant.

Qu. Estaugius.

Nemini dubium est Sallustium plures majoresque historiarum libros scripsisse, qui partim temporum injuria, partim invidia hominum jamdudum periere. Neque absurdum est inde suspicari, si bellum Jugurthinum, quod ipse non vidit, et tamen Romanis suis ita diligenter notavit, ea quoque memoriæ mandasse, quæ suo tempore potissimum contigere: quemadmodum contentionem inter Marium Syllamque ortam, ob bellum Mithridaticum: Octavii, Mariique necem: Africam Pompeii Magni victoriam: Syllæ tyrannidem: Metelli Pompeiique in Hispanias missionem: Sertorii, pugnæque ejus finem: Gladiatorum bellum: Tribunatum plebi restitutum: Piratarum exitium: Syriam victam. Et cum his pleraque alia, quæ a Sallustii nativitate usque ad Catilinæ conspirationem gesta sunt, ubi interfuerunt anni exacti viginti et quinque. Deinde, a Catilinæ conjuratione usque ad Sallustii obitum, etiam ardua haud pauca acciderunt: velut, Magni Pompeii triumphus: Ciceronis exilium, et trucidatio: Gallicum bellum: Clodius interemtus: Respublica oppressa: Africana expeditio: Julius Cæsar con-

fossus: Octaviani Aug. imperium: L. Antonii seditio. Quare haud facile creditu, tam diligentem historicum hæc Romana omisisse. Sed hanc, proh dolor, jacturam debemus aut Gothis et Vandalis orbis devastatoribus: aut Ciceronianis vel Livianis Sallustio infensissimis: nam iste Patavinus tunc viginti quatuor annorum natus erat, cum Sallustius ex humanis cessit: cujus tandem libri etiam a jactura quantumvis mitiore, immunes non fuerunt. Sic ex Livio, parum superest: ex Ennio fere nihil, ex Sallustio pauca, uti res humanæ semper fuerunt. Præterea non abs re, a quibusdam dicitur inimitabilis, veluti liquet vel ex auctoribus, qui post eum de Jugurtha scripserunt: ut Livius, et abbreviatores ejus, præsertim Florus III. 1. et lib. LXII. Orosius V. 15. Valerius Maximus II. 2. et VI. 11. Frontinus I. 8. et II. 1. et 4. Eutropius IV. 8. Plinius, et alii, qui ad tantam dicendi gratiam nunquam pervenerunt. Vir ille clarissimus, philosophus, orator magnus, verus historicus, adversarios habuit Ciceronem inprimis, propter Terentiam: Asinium Pollionem, propter Ciceronem: Titum Livium, propter scribendi famam: qui cum suis curarunt assidue, ut omnino Sallustii vitium, non cum scriptis ejus oblivioni traderetur. Ita similitudo illa studii, raro benevolentiam, æmulationem potius afferre solet.

Julius Cæs. Scaliger Oratione pro Cicerone.

Id quod et Sallustius, omnium scriptorum numerosissimus, nusquam aspernatus est.

Et ibidem.

A Sallustio autem brevitatem illam peti debere, cum scribis; neque quid velis intelligo, neque tam vulgi animo conceptam, adeo persuasam, adeo decantatam in illo viro brevitatem unquam comprehendi. Nam si, quoniam frequentibus asyndetis utitur, aut quod non longis periodis ambit argumenta rerum, properare tibi videtur, isto tibi quoque pacto brevibus atque interceptis saltibus centum milliariorum iter minus longum videbitur, quam unius modo

stadii intervallum, quod uno spiritu confeceris. Ac contra videmus Sallustium ipsum, cum quid semel dicendum assumsit, adeo perstare ut sæpenumero egredi videatur, &c.

Ibidem.

Neque vero Sallustium, politissimum auctorem, rejiciunt (Ciceroniani): sed anxium illud atque insititium dicendi genus, sed multa superstitiosa verba.

Idem Poët. IV. 24.

Quasi vero commentarium scripserit ille, non Historiam pleniorem; qui sit Historiæ pater appellatus.

Et III. 96.

Ambitiose igitur fecisse videtur Sallustius quibusdam, quod Poëtarum more, cum dicere orsus esset de Catilina, omissa ea narratione repetit historiam ab ipsis ultimis Romæ rudimentis. Nos virum suo in genere præstantem cum recte tum necessario fecisse judicamus: ut ostenderet corruptam civitatem, cujus et pars esset Catilina.

Joannes Bodinus.

De Sallustio, quod omnia fere ejus scripta interciderunt, non ita facile judicari potest, ex iis tamen, quæ habemus, integerrimum scriptorem et rerum magnarum usu peritum fuisse constat; ut enim Jugurthinum bellum verius scriberet, in Africam usque navigavit; libere tamen de rebus judicat; quid enim liberius est, quam in uno Cæsare et Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem?

Justus Lipsius.

Ex iis qui superant, C. Cæsar laudatur inprimis: si ut disertus narrator; libens assentio: est enim ejus viri pura oratio sine fuco ac calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis Musis dignissima: sin ut perfectus historicus; dubitare me dicam, cum et nonnulli fidem ejus in historia civili requirant, et tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei desit.

Itaque ipse Cæsar, ceteroqui minime sui contemtor, Commentarios inscripsit non Historias, et hoc ipso laudem veram meruit, quod falsam affectare contemsit. Jam vero princeps Historicorum audit Livius; si magnitudinem operis et varietatem rerum spectamus, recte. Sed tamen (quod more majorum liceat) a Livii lectione semper commotior surrexi, non semper melior, aut ad vitæ casus instructior: Sallustius unus ex VIII. viris illis est, qui feliciter consecutus videtur hæc omnia; et quem, si mei arbitrii res sit, in hoc lustro principem senatus historici legere non dubitem; nam ceteri deinceps minorum quasi gentium historici, quantum a superiorum ætate, tantum et a laude afuerunt, nisi quod admirabile est, quantum inter istos unus excellat imitator Sallustii Corn. Tacitus, omni virtute antiquis proximus, longo quidem intervallo, sed tamen proximus.

Ludovicus Carrio.

Quarum rerum ego maxima hæc documenta habeo, quod prioribus illis temporibus, Licinius Macer, Fabius Pictor, Tubero, Hemina, Valerius Antias, Claudius Quadrigarius, Cælius, Sisenna, alii rerum nostrarum auctores; posterioribus T. Livius, Trogus Pompeius, C. Plinius, Corn. Tacitus, et qui primus aut in primis est, C. Sallustius Crispus ferme ab stirpe interierunt.

Et:

Nam eum scriptorem in primis ego præclarum existimo verborum atque sententiarum brevitate.

VARIAS LECTIONES ex editione S. HAVERCAMPI desumsimus. Catalogum Codd. Mss. quibus usus est, et Notas quibus sunt designati, subjicimus.

A. MS. Chartac. ex Bibl. Leidensi in fol. p. 325. n. 19.

B. —— Chart. ibid. in fol. p. 327. — 50.

C. —— Chart. ibid. in fol. minore p. 327. — 63.

D. —— Membran. in fol. ibid. p. 494. — 12.

E. —— in fol. Memb. ibid. p. . . . 9. A.

F. —— Membr. 4to. ibid. p. 330. — 125.

G. —— Chart. in 4to. ibid. p. 494. — 12.

H. —— Membr. in 4to. ibid. — 158. A.

I. —— Membr. 8vo. ibid. p. 333. — 193.

K. —— Membr. in 8vo. ibid. p. 389. — 75.

L. —— Membr. optim. in 8vo. ibid. p. 289. — 73. — in fine incendio lacerum.

M. —— Membr. olim Petri Francii, in Catalogo librorum ejusdem p. 94. num. 600. in 4to. forma oblonga ; inde emtus in Angliam missus est.

N. Editio Romana antiquissima anni 1470.

CAII CRISPI SALLUSTII

BELLUM CATILINARIUM,

SIVE

DE CONJURATIONE CATILINÆ EJUSQUE SOCIORUM.

OMNES[1][a] homines, qui sese student[2] præstare ceteris animalibus,[3] summa ope[4] niti decet, vitam silentio[5] ne transeant,[6] veluti pecora, quæ natura prona[7] atque ventri obedientia finxit.[a] Sed[b] nostra omnis vis[8] in animo et corpore[9] sita: animi imperio, corporis[10] servitio magis utimur.

[a] *Decet omnes homines, qui student sese præstare ceteris animalibus, conari totis viribus ne transeant vitam nihil agendo, sicut pecora, quæ natura fecit in terram propensa, et ventri obedientia.*

1 *Omnes* E. F.—2 *student sese* A. M.—3 *animantibus* K.—4 *summa illos ope* C. D. G.—5 *cum silentio* I.—6 Ita C. sed superscribitur *transigant.*—7 *Natura finxit prona,* &c. F.—8 *Sed omnis nostra vis* A. B. F. M.—9 *et in corpore* L.—10 *quam corporis* A. *corporisque* F.—11 *diis* A. C. D. E. F. G. H. I. K. L.

NOTÆ

[a] *Omnes.*] Plerumque scribitur, *omnis:* Accusativus pluralis. Solebant enim veteres nomina in *is* desinentia, in singulari, eodem sono efferre in Accusativo plurali; mutata tamen syllaba brevi in longam, utpote nata ex diphthongo *eis*, qua terminabantur olim Accusativi illi plurales.

[b] *Sed*] Hic non est adversativa: posita est vocula pro *verum, autem;* Gallice, *Or.*

Alterum nobis cum Dis,[11] alterum cum belluis[12] commune est. Quo mihi rectius[13] videtur,[14] ingenii, quam virium opibus gloriam[15] quærere,[b] et, quoniam vita ipsa,[16] qua fruimur,[17] brevis est,[18] memoriam nostri[19] quam maxime longam[c] efficere.[20] Nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis: virtus clara æternaque[21] habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit,[22] vine corporis,[23] an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius, quam[24] incipias,[25][d] consulto:[26] et, ubi consulueris, mature facto opus est.[27][c] Ita utrumque per se indigens,[28] alterum alterius[29] auxilio[30] eget.[31]

2. Igitur initio[1] Reges[2] (nam in terris nomen imperii id[3] primum[e] fuit[4]) diversi,[5][f] pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita[6] hominum sine cupiditate agitabatur,[7] sua cuique satis placebant.[d] Postea vero quam in Asia[8] Cyrus,[g] in Græcia Lacedæmonii[9] et Athenienses cœpere

[b] *Quapropter videtur mihi rectius quærere gloriam opibus et facultatibus ingenii, quam opibus virium* corporearum.

[c] *Nam ex altera parte, oportet deliberare, priusquam incipias, et ex altera oportet tempestive exequi, postquam consulueris.*

[d] *Unusquisque sic satis contentus erat iis quæ possidebat.*

—12 *beluis* A. B. C. D. G. I. K. L.—13 *rectius mihi* A.—14 *videtur esse* D. F. G. H. I. K. L.—15 *quærere gloriam* K.—16 *ipsa vita* B. M. N.—17 *utimur* E. —18 *est brevis* A.—19 *nostram* C.—20 *decet efficere* A. *efficere decet* C. G. H. *efficere dignum* E. Sed in Marg. *decet.*—21 *clara atque æterna* B.—22 *Inter mortales m. c. f.* B. M. *magnum inter m. f. certamen.* F. *magnum certamen inter mortales* N.—23 *vi corporis* H.—24 *Nam prius quam* A. B. C. N.—25 *incipias aliquid* M.—26 *consulto opus est* K.—27 *mature est opus facto* A. *mature facto est opus* G. *mature opus est facto* K.—28 *indigens est* A.—29 *alterum alterius auxilio augetur.* E. *alterius alterum auxilio indiget.* F.—30 *consilio.*—31 *eget* A. B. C. D. G. H. N. *indiget* I. K. *indeget* M. [*veget* Havercamp.]

1 *in initio* B. E. G. H. I. N.—2 *reges fuere* A.—3 *id nomen imperii* B. C. G. H. N.—4 *primum fuerat* B.—5 *diversi fuere* H.—6 *et tum vita* F.—7 *agebatur* C. D. G.—8 *Cyrus in Asia* B. E. N. *in Asia Cyrus rex* H.—9 *Lacedemonienses* A.

NOTÆ

[c] *Longam*] Hoc vult Sallustius, ut unusquisque, hominum recordationem præclaris factis mereatur, itaque in ipsorum vivat memoria.

[d] *Incipias*] Id est, *quilibet incipiat.* Hæ locutiones per secundam singularis numeri personam sunt frequentissimæ et elegantissimæ. Iis utimur etiam cum ad multitudinem præsentem sermo dirigitur.

[e] *Primum*] Id est, *vocati sunt Reges, qui primi dominium exercuerunt in gentes.* Quod quidem Auctoris sensu, intelligendum est, quatenus, cum aliis, initium rerum repetit ex profanis Auctoribus.

[f] *Diversi*] Id est, *diversas vias insistentes.*

[g] *Cyrus*] Cambysis et Mandanes filius, qui Imperium Medorum ad

urbes atque nationes subigere,[10] lubidinem[11] dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare:[12] tum demum periculo[13] atque negotiis compertum[14] est, in bello plurimum ingenium[15] posse.[e] Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita,[16] uti in bello, valeret, æquabilius[h] atque constantius sese res humanæ[17] haberent; neque aliud[18] alio ferri, neque[19] mutari ac[20] misceri[21] omnia cerneres.[f] Nam imperium facile his[22] artibus retinetur, quibus initio[24] partum est.[23] Verum ubi pro labore[i] desidia, pro continentia[j] et æquitate[25 k] lubido[l] atque

[e] *Postquam vero Cyrus in Asia, Lacedæmonii et Athenienses in Græcia, cæperunt in suam potestatem redigere urbes atque nationes; habere lubidinem dominandi pro causa belli; putare maximam gloriam in maximo imperio. sitam esse, tum denique compertum est experientia atque negotiis, ingenium plurimum posse in bello.*

[f] *Neque videres opes et divitias, ex hac aut illa regione, in aliam deportari.*

—10 *subjicere* M.—11 *libidinemque* E. *libidine* M.—12 *putabant* H.—13 *tum periculo* A. *tum demum in periculo* L.—14 *compertum* C. *est compertum* I.—15 *ingenium plurimum posse in bello* H.—16 *ita in pace, &c.* F. *in pace valeret ita ut in bello* M.—17 *humanæ res* A. B.—18 *nec illico aliud* H.—19 *nec* A.—20 *atque* A. B.—21 *commisceri* C. D. G.—22 *iis facile* A. *facile his* E. L. N. *facile retinetur his artibus* H. I. M.—23 *quibus initio est partum* I. *quibus est partum initio* K. *quibus est partum in initio.* A.—24 *in initio* B. E. F. G. N. *ab initio* H.—25 *æquabilitate* C. D. *æqualitate* I. *æquitate et continentia* K.—26 *cum moribus*

NOTÆ

Persas transtulit. Cur vero ejus meminerit Sallustius, cum ante Cyrum Ninus Assyriorum Rex Asiam bello vastaverit, crediderim esse factum, quia ante Cyrum obscurata sit admodum rerum memoria; neque ante ipsum satis cognitum fuerit vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet.

[h] *Æquabilius*] Id est, *magis suum et eundem statum obtinerent.* Gall. *Auroient un cours bien plus réglé.*

[i] *Labore*] *Labor* hic positus est pro *propensione ad laborem*; pro *laboriositate*, si ita loqui liceret: opponitur enim *desidiæ*.

[j] *Continentia*] Apud Politicos, adeoque et Historicos persæpe, non idem dicit, quod apud Philosophos. Hi per *continentiam* eam virtutem intelligunt, quæ moderatur appetitui circa cibum, potum, &c. Illis vero *continentia* est qua homo, qui sedet in gubernaculo Reipublicæ, abstinet ab omni injusta exactione.

[k] *Æquitate*] Plus est *Æquitas*, quam *Justitia*. Hæc suas habet formulas ita digestas, ut sæpe summum jus summa sit injuria: at vero Æquitas illud unum respicit, quod in se, et revera æquum et bonum est: judicat ex foro conscientiæ; quandoque leges transgreditur justitiæ; immo contra eas facit.

[l] *Lubido*] Ea est, cum homo Politicus, quamobrem aliquid injusti incipiat interrogatus, is respondet, *Quia lubet.* Alibi aliud libido indigitat.

superbia[m] invasere; fortuna simul cum moribus[26] immutatur:[n] ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono[27] transfertur. Quæ homines[28] arant,[o] navigant, ædificant,[29] virtuti omnia parent.[30][g] Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes[p], transegere:[31] quibus, profecto contra naturam,[q] corpus voluptati, anima oneri fuit.[32] Eorum[33] ego[34] vitam mortemque juxta[35] æstimo,[36][h] quoniam de utraque[37] siletur.[38] Verum enim vero is demum mihi vivere[39] atque frui anima[40] videtur, qui aliquo[41] negotio intentus,[42] præclari facinoris, aut[43] artis bonæ[44] famam quærit. Sed in magna[r] copia rerum aliud alii[45] natura iter ostendit.

3. Pulchrum est bene facere reipublicæ: etiam bene dicere haud absurdum est:[1] vel pace, vel bello[2] clarum fieri licet: et qui fecere, et[4] qui facta aliorum scripsere[3] multi[5] laudantur.[6] Ac[7] mihi quidem, tamen etsi haudquaquam par

[g] *Omnia obediunt virtuti, et illi subjecta sunt.*
[h] *Ego tanti facio mortem illorum ac vitam.*

simul I. abest *simul* in H. *immutatur simul cum moribus* M.—27 *ac minus bona* A.—28 *omnes* D. I.—29 *et ædificant* A. D. E.—30 *parantur* A. *parant* D.—31 *transegere* A. C. D. E. I. K. L. N. *transiere* B. H.—32 *oneri fuit* A.—33 *Quorum* K.—34 *ergo* C. abest in I.—35 *mortem atque vitam justam* A.—36 *existimo* M.—37 *utroque* L.—38 *silent* A.—39 *vivere mihi* A. K.—40 *anima frui* M.—41 *quod alio* B.—42 *detentus* G. *intentus negotio* N.—43 *atque* C.—44 *bonæ artis* B. H. M. N. *artis bonam* K.—45 *aliud iter alii* K. *aliud natura alii* M.

1 *et bene dicere* F. H. *etiam Reipublicæ b. d.* A. *est* in H. non extat.—2 *vel in pace vel in bello* A. H.—3 *Et qui fecere ea et qui facta eorum scripserunt* F. *facere* et mox *scribere* B. *et qui scripsere f. a.* A. *et qui fecerunt, et qui f. eorum* N.—4 abest *et* a C.—5 *multum* E.—6 *laudantur* B.—7 *At* A. B. C. E. F. K.—

NOTÆ

[m] *Superbia*] Tyrannidis gradus est ultimus et supremus, cum scilicet Rex aliquis, cum fastu, et fastidio perinde injustitiam suam in subditos exercet, ac si bruta essent, aut vilia mancipia.

[n] *Immutatur*] Id est, *ex favente fit adversa.*

[o] *Arant*] Id est, *quæcumque terræ cultura crescunt. Navigant*, id est, *navigationibus comparantur.* Sed insolentior est tropus.

[p] *Peregrinantes*] *Quasi essent a vita extranei, quosque minime tangat quicquid in ea est.*

[q] *Contra naturam*] Omnino, nam secundum eam, qui minor est servit majori: animus vero corpori præstat.

[r] *Sed in magna, &c.*] Sensus est,

gloria[8] sequatur[9] scriptorem et auctorem rerum;[10] tamen[11] in primis arduum videtur[12] res gestas scribere:[i] primum quod facta dictis sunt[13] exæquanda:[14 s] dehinc,[15] quia[16] plerique, quæ delicta[17] reprehenderis, malivolentia[18] et invidia[19] putant: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores,[20], quæ sibi quisque[21] facilia[22] factu putat,[23] æquo animo accipit; supra[24] ea, veluti ficta, pro falsis ducit.[j] Sed ego adolescentulus,[25] sicuti plerique, studio[26] ad rempublicam latus[27] [k]sum,[t] ibique[28 u] mihi adversa multa[29] fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia,[v] pro virtute;[w] audacia, largitio,[x] avaritia vigebant.[30] Quæ tametsi animus asper-

[i] *Atque, quanquam scriptor rerum gestarum nullo modo, nec mereatur, nec obtineat eandem gloriam, quam consequitur ille, qui eas perficit, attamen videtur, mihi quidem, in primis difficile scribere historiam.*

[j] *Unusquisque legit et audit cum æquitate animi ea quæ putat sibi factu facilia; ea* vero *quæ sunt supra, et sibi impossibilia, habet pro falsis, veluti ficta.*

[k] *Magno cum affectu conatus sum munus aliquod in Republica suscipere.*

8 *gloria par* E.—9 *sequitur* L.—10 *rerum* abest a K.—11 *verumtamen* C. G. —12 *videtur mihi* B.—13 *sunt dictis* F.—14 *exæquanda sint* A. B. K. L. *exæquanda sunt* C. *exsequenda sunt* D. G. *sunt exsequenda* I. *sunt exæquanda* E. M. *sunt exæquanda dictis* H.—15 *Deinde* M.—16 deletur, sed in margine *quod* scribitur in M.—17 *delicta quæ* A. B. N.—18 Ita C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. Reliqui *malevolentia*—19 [*invidia dicta* Havercamp.] *dictum* I. delet B.—20 *tu memores* K.—21 *quæ quisque sibi* A.—22 *facilia quisque* F.—23 *facilia putat factu* B. C. D. *quæ sibi facilia quisque putat* H.—24 *si supra ex* B. *supra ea si tu dixeris* H.—25 [*adoles. initio* Havercamp.] *in initio* A. E. H.—26 *a studio* B. C. D. E. F. G. K. M. superscriptum in L. secunda manu, *a studio literali* H.—27 *delatus* F. H. K. N.—28 *ubique* Typorum vitio in Ed. Wassiana. *ibi* B.—29 *multa adversa* A. C. D. E. F. G. H. I. K. N. *multa mihi a. f.* L.—30 *vigebat* A. *in me vigebant* B.—31 *inbecila* A. *inbecela* M.—32 *at me*

NOTÆ

Cum tam variæ sint artes quibus gloria comparari possit, naturam diverse hunc aut illum ad quamlibet instituere.

[s] *Exæquanda*] Ea demum scriptoris laus est, cum ita ille orationem suam ex ipsis rebus effingit, ut in scriptura et pictura, quam fuerit in re, et exemplari, nec plus, nec minus conspiciatur.

[t] *Latus sum*] Id est, *Eadem libidine qua cæteri ad Magistratus anhelabant, quasi turbine correptus sum.* At enim, vide mihi, quæso, qua solertia errata sua excuset Sallustius. Vult ille videri grassante pravitate, et quasi æstu quodam sublatus.

[u] *Ibique*] Id est, *In muneribus adipiscendis et gerendis.*

[v] *Abstinentia*] Eadem est atque innocentia et continentia.

[w] *Virtute*] Proprie hoc in loco, eam virtutem indicat, qua quis animo est præstanti et elato. Gall. *La noblesse du courage.*

[x] *Largitio*] Qui ad honores aspira-

nabatur, insolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla[31] ætas ambitione corrupta tenebatur: ac me,[32] cum ab reliquorum[34] malis moribus dissentirem,[33] nihilo minus honoris cupido,[35] eadem, quæ ceteros, fama[y] atque invidia[z] vexabat.[36]

4. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi[1] reliquam ætatem a republica procul[a] habendam decrevi;[2] non fuit consilium[3] secordia[4] atque desidia bonum otium conterere: neque[5] vero[6] agrum colendo, aut venando, servilibus[b] officiis intentum,[7] ætatem agere;[8] sed a quo incepto studio me[9] ambitio mala detinuerat,

A. B.—33 *a reliquis malis dissentirem* A. *ab reliquis malis moribus dissentirem* C. D. K. M. *a malis moribus reliquis dissentirem* E. *dissentirem a reliquis malis moribus* F.—34 superscribitur in G. *reliquis* eadem manu.—35 *cupido honoris* M.—36 *vexabant* A. B. H.

1 *mihi* F. *quia et mihi* N.—2 *procul h. a R. P. d.* E.—3 *non consilium fuit* G. *non fuit mihi consilium* M.—4 *socordia* D. E. I. K. L.—5 *neque agrum* D. *n. v. colendo agrum* E. *neque enim agrum* F. *neque colendo agrum* M.—6 in G. eadem manu *vero* superscriptum additur.—7 *intentum esse* B. *intentus* E.—8 *meam agere ætatem* A. *agere ætatem* E.—9 *a quo studio me* B. *a quo studio incepto me* H. *a quo incepto studio ambitio*, &c. D. ita quoque G. sed eadem manu additur *me*. At *me* delet E. *a quo incepto studio me*, &c. eraso in litura *que* L. *a quo i.*

NOTÆ

bant, quandoque epulis et conviviis Populi suffragia captabant, et illius auram venabantur; quandoque frumenta distribuebant, &c. Illud est largitio: atque ut largirentur, opus erat omnino aliquos expilare.

[y] *Fama*] Quomodo reponit Sallustius famam in malis moribus? Quia scilicet ille, sicut et reliqui, eam sibi malis artibus, quas excusat tamen, quantum potest, magnam facere studebat; ambiendo, &c.

[z] *Invidia*] Mire se hic torquent interpretes. Quidam textum corrigunt; alii *invidiam* exponunt, quasi Sallustius maligna invidorum judicia expertus fuerit. At certe illud non agitur: Auctor enim loquitur de malis moribus quibus et ipse corruptus fuerat; quod patet ex eo quod se dicit a reliquis dissentire. Ergo, quanquam cunctanter a doctissimorum virorum sententia discedo, pace ipsorum discedo tamen. *Invidia*, uti quidem arbitror, nihil est aliud quam idem ille morbus, quo hodieque laborant omnes, qui nimio affectu se præponi postulant iis, qui sibi gratia præpollent apud Principem aut Populum.

[a] *A Republica procul*] Id est, *Absque omni honorum ambitu.*

[b] *Servilibus*] Quamvis ea causa maxime vexatus fuit Sall. non tamen ideo credendum est, eum venationem inter servilia officia, quasi ea non sit libero homine digna, per contemtum rejecisse: minime: est enim belli quoddam tyrocinium, et exercitium utile, si quis modo sobrie utatur. Persequitur Auctor a primo institutam distinctionem inter ea quæ virtute et imperio animi parantur, et ea

eodem[10] regressus, statui res gestas populi Romani carptim,[11] ut quæque memoria digna videbantur,[12] perscribere:[l] eo magis, quod mihi[13] a spe, metu, partibus[c] reipublicæ animus liber erat.[14] Igitur de Catilinæ conjuratione,[15] quam verissime[16] potero, paucis[17] absolvam. Nam id facinus in primis ego memorabile[18] existimo,[19] sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis[20] moribus pauca prius explananda sunt,[21] quam initium narrandi faciam.

5. Lucius Catilina nobili[d] genere natus,[1] magna vi et[2] animi et corporis, sed ingenio malo pravoque.[3] Huic ab adolescentia bella intestina,[4] cædes, rapinæ, discordia civilis[5] grata fuere: ibique juventutem suam[6] exercuit.[m] Corpus patiens[e] inediæ, vigiliæ, algoris,[7] supra quam cuique credibile est.[8] Animus audax, subdolus, varius,[9] cujus[10]

[l] *Igitur cum animus fuit mihi liber a multis curis et solicitudinibus, atque periculis et discriminibus, et constitui vitam reliquam mihi transigendam esse procul a Republica, nolui perdere bonum otium, animi socordia et ignavia, aut corporis desidia et segnitie: neque vero volui me intentum servilibus officiis transigere vitam colendo agrum, aut venando; sed postquam regressus sum ad institutum et studium, a quo ambitio mala avocaverat me, constitui perscribere res gestas Pop. Rom. carptim, prout singula videbantur digna hominum recordatione.*

[m] *Et exercuit juventutem suam in illis rebus.*

s. me mala ambitio F. M.—10 *eodemque* H.—11 *statui perscribere r. g. P. R. ut q. digna memoria videbantur* M.—12 *carptim perscribere u. q. digna memoria videbantur.* A. H.—13 *mihi* ut et mox *animus* desiderantur in M.—14 *ab spe metu id est partibus* D. *ab spe, &c.* G. *a spe a metu p. r. p.* F. *a spe a metu a p. r.* H. *a spe metu p. r. p. quod a. l. erat.* K.—15 *Conjuratione Catilinæ* A. B. E. F. H.—16 *brevissime,* in marg. Alii *verissime* M.—17 *paucis verbis* M.—18 *in primis memorabile* B. D. G.—19 *existimo* E. *æstimo* F.—20 *omnibus* D. abest ab H.—21 *prius pauca* K. *pauca priusquam initium n. f. explananda sunt.* A.

1 *ortus fuit* E.—2 abest *et* A. B. F. G. H. K.—3 *atque pravo* B.—4 *intestina bella* H. K.—5 *civilis discordia* B. E. N.—6 *suam juventutem* L.—7 *algoris, vigiliæ* A. C. D. E. F. G. H. K. L. *algoris et vigiliæ* B.—8 *cuiquam credibile* deleto *est* A. D. F. G. I. L. M. N. *credibile est cuiquam* H.—9 *vanus* I.—10 *cu-*

NOTÆ

quæ vi et servitio corporis acquiruntur; tantumque sibi illa placuisse magis, testatur.

[c] *Partibus*] Gall. *Parti, faction.*

[d] *Nobili*] Patricius fuit, ut liquet ex Cicerone, et aliis; ex Sergia familia oriundus, cujus ultimus fuit.

[e] *Patiens*] Nomen est: Eum significat qui potest inediam tolerare, quanquam reapse non patiatur. Patiens vero Participium, cum Accusativo, ille est qui revera patitur, quamvis ægre toleret.

rei libet simulator[f] ac dissimulator,[11] alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus:[12] satis loquentiæ,[13] sapientiæ parum.[14] Vastus animus[15] immoderata, incredibilia, nimis alta[16] semper[17] cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Syllæ[g] lubido maxima invaserat[18] reipublicæ capiundæ:[n] neque id quibus modis assequeretur, dum[19] sibi regnum pararet,[20] quicquam pensi[h] habebat.[o] Agitabatur magis[21] magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, et conscientia scelerum:[22] quæ utraque his artibus[23] auxerat, quas supra[24] memoravi. Incitabant præterea[25] corrupti civitatis mores,[26] quos pessima ac diversa[i] inter se mala, luxuria[27] atque avaritia vexabant. Res ipsa hortari videtur,[28] quoniam de moribus civitatis tempus admonuit,[p] supra repetere, ac paucis instituta majorum[29] domi militiæque, quomodo[30] Rempublicam habuerint,[q] quantamque reli-

[n] *Hunc lubido maxima invaserat Reipublicæ invadendæ.*

[o] *Neque ullomodo curabat quibus modis illud assequeretur, modo sibi summum imperium pararet.*

[p] *Quandoquidem occasio nos admonuit de moribus civitatis.*

[q] *Quomodo Rempublicam administraverint.*

* * * * * * * * * * * *

juslibet rei A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—11 *dissimulator ac simulator* G.—12 *ardens in cupiditate* A. B. *in cupiditatibus ardens* C. D. G. *ardens cupiditatibus* F.—13 *satis eloquentiæ* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—14 *parum sapientiæ* B. F. K. *parum sapientiæ fuit* D. *s. parum fuit* C. G.—15 *animo* F. G.—16 *et incredibilia et nimis alta* F.—17 *semper* abest K.—18 *invaserat maxima* C. D. G. *r. p. c. m. i. l.* M.—19 *magis dum* B.—20 *pararet regnum* H. *q. p. h. d. s. r. p.* M.—21 *Agitabatur magisque* B.—22 *confidentia scelerum* H. quod præcedit *et* delet K.—23 *quæ his artibus u. a.* K. *iis artibus* N.—24 *superius* M.—25 *Præterea c. m. civitatis incitabant* C. D. G. *incitabant eum, &c.* B.—26 *mores civitatis* A. B. E. *incorrupti c. m.* F. K. N.—27 *at diversa mala inter se* A. *inter se ac diversa mala* E. *mala moribus luxuria, &c.* L.—28 *videbatur* F. *videtur me hortari* H. *videtur hortari* E.—29 *majorum* abest E.—30 *quæ quomodo* A.—31 *habuerunt* G. *habuemur et q. relinquemur* B.—32 *ut-*

NOTÆ

[f] *Simulator*] Is dicitur qui id esse ostendit, quod non est: *Dissimulator* contra, qui id non esse, quod est.

[g] *L. Syllæ*] Hic ille est felix et notissimus Sylla, qui Mario oppresso, Dictaturam et summum Imperium nactus, Patriam quoque et Rempublicam usque adeo sibi fecit obnoxiam, ut, invito illo, nec bona, nec vitam retinere quisquam posset.

[h] *Pensi*] *Pensum* fit a *Pendo*, quod, inter alia, significat *æstimo, curo*. Itaque, *nihil pensi habere*, est *nihil curare*.

[i] *Diversa*] Id est, *opposita*. Sæpius ita sumendum in nostro Auctore.

querint:[31] ut[32] paulatim immutata, ex pulcherrima[33] pessima[34] ac flagitiosissima facta sit,[35] disserere.

6. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio[1] Trojani,[j] qui, Ænea duce,[2] profugi, sedibus incertis[3] vagabantur: cumque his[4] Aborigines[5] [k] genus hominum[6] agreste, sine legibus,[7] sine imperio,[l] liberum atque solutum.[8] Hi postquam in una mœnia convenere,[9] dispari genere, dissimili lingua,[10] alius alio more viventes:[11] incredibile memoratu[12] est, quam facile coaluerint.[13] Sed postquam res eorum civibus,[14] moribus, agris aucta,[15] satis prospera[16] satisque pollens[17] videbatur; sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est.[r] Igitur reges[m] populique finitimi bello tentare:[18] pauci ex amicis auxilio esse: nam ceteri[19] metu percussi[20] a periculis[21] aberant.[22] At Romani[23] domi militiæque intenti festinare, parare,[24] alius alium hortari, hostibus obviam ire,[25] libertatem, patriam parentesque armis[26] tegere.[27] Post, ubi pericula virtute[28] propulerant, sociis atque amicis auxilia porta-

[r] *Invidia orta est ex opulentia, sicut id plerumque accidit inter homines.*

que A. F. *et ut* E. K.—33 *ex pulcerrima pessuma ac ex optima flagitiosa f. s.* M. —34 [*pulcher. et optima pessim.* Havercamp.] *et optima* desideratur A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L.—35 *sit facta* A.

1 *in initio* B. H. L. M.—2 *duce eorum* F.—3 *incertis sedibus* M.—4 *cum his* B. L.—5 *Aborigenes* C. H. I. *ab origine* F.—6 *genus humanum* E. *genus hominum Agrestium* I.—7 *genus sine legibus* B.—8 *atque absolutum* C. D. I.—9 *in una convenere mœnia* A.—10 *lingua dissimilia* A.—11 *alius alio more vivens* A. *alii et alio more viventes* B. *alius alio more viventes* D. G.—12 [*est* omittit Havercamp.] *est memoratu* B. M. *memoratu est* C. E. F. G. H. I. K. L.—13 Post *coaluerint* inseritur, *Ita brevi multitudo diversa atque vaga concordia civitas facta erat.* D. G. sed pro *erat* scribit *est* G.—14 *civilibus* F.—15 *aucta est* E.—16 Abest *satis prospera* D.—17 *satis pollensque* C. *satis pollens* G.—18 *bello illos tentare* M.—19 *nam cuncti* H.—20 [*perculsi* Havercamp.] *percussi* F. *propulsi* G. *perculsi a periculis laborans* B.—21 [*longe a peric.* Havercamp.] *longe* abest A. B. C. D. E. G. H. I. K. L. M.—22 *laborant* B.—23 *Et Romani* C. D. G. —24 *properare* H.—25 *obviare* F.—26 *armisque* A.—27 *protegere* K.—28 *peri-*

NOTÆ

[j] *Trojani*] Alii a Romulo conditam Romam asserunt. Is forte, quod primo Trojani ædificaverant, minusque deinde coluerant, restituit, et auxit.

[k] *Aborigines*] *Indigenæ*, Antiquissimi Italiæ populi.

[l] *Sine imperio*] Mortuo, scilicet, Latino, suo Rege.

[m] *Reges*] Acron puta, Rex Ceninensium, Tatius Sabinorum.

bant:[29] magisque dandis,[30] quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium[n] habebant:[31] delecti,[32] quibus corpus annis infirmum,[33] ingenium sapientia validum, Reipublicæ consultabant:[*] hi vel ætate,[34] vel curæ[35] similitudine[o] PATRES appellabantur.[36] Post, ubi regium imperium, quod initio[37] conservandæ libertatis,[38] atque[39] augendæ reipublicæ fuerat,[40] in superbiam dominationemque[41] [p] convertit;[42] immutato more,[43] annua imperia, binosque imperatores[44] sibi fecere. Eo modo minime posse[45] putabant per licentiam[46] insolescere animum humanum.[47]

7. Sed ea tempestate cœpere se quisque[1] extollere,[2] magisque ingenium[3] in promtu[4] [q] habere. Nam regibus[r] boni quam mali suspectiores sunt,[5] semperque[6] his aliena virtus

[*] Quidam *delecti, quibus corpus erat infirmum ex senectute, ingenium* vero *validum sapientia, consulebant Reipublicæ.*

culum B. *ex magna virtute periculum.*—29 *auxilio esse* G. *suis auxilia portabant* H.—30 *magis magisque d. q. a. b.* H. *dandis b. q. a.* F.—31 *et nomen* E. *nomen regium i. h.* K.—32 *electi* I.—33 *armis infirmum* H. *infirmum annis* K. M.—34 *Hi ætate* A.—35 *vel curæ sollicitudine* F. *vel similitudine curæ* K. M.—36 appellantur E.—37 *quod in initio* A. E. F. K. M.—38 *libertatis causa* E. *causa conservandæ libertatis* F. H. *conservandæ causa libertatis* K.—39 *atque* abest C. L. *augendæque* M.—40 *causa fuerat* B.—41 *in superba dominationeque se convertit* B.—42 *se convertit* C. D. E. G. H. I. K. L. *convertit se* F.—43 *immutante more* E.—44 *sibi Imperatores* F. *binosque Imperatores* M.—45 *imminui posse* B.—46 *per licentiam putabant* M.—47 *humanum animum* B.

1 *quisque se* F.—2 [*magis extoll.* Havercamp.] *magis* abest M.—3 *Magis ingenium* E. *magis magisque extollere ingenium, &c.* G.—4 *promtum* A. B.—5 *sunt suspectiores* A. M.—6 *s. a. v. his f. e.* G.—7 *est formidolosa* E.—8 *ut*

NOTÆ

[n] *Regium*] Id est, Reges vocabantur qui primi imperium obtinuerunt apud Romanos: quod quidem verum est, sive eorum tempora a Romulo, sive a Latino vel Ænea repetas.

[o] *Similitudine*] Id est, *quia eam Reipublicæ quam patres familiæ curam habebant, ideo Patres vocabantur.* Centum vero a Romulo fuerunt primo instituti, quorum progenies Patricia dicta est: quanquam alii deinde in eum numerum asciti fuerunt.

[p] *Dominationem*] Hic pro *tyrannide* posita est *dominatio*, quam Tarquinius adeo invexit immoderatam, ut eo dejecto, sibi binos Imperatores, Consules scilicet, Romani delegerint.

[q] *In promtu*] Id est, *Non jam illi vires ingenii occultabant, ne tyranno forent formidolosi; quin contra, virtutem suam quisque quam maxime expromtam et manifestam habebat.*

[r] *Regibus*] Malis scilicet, de quibus nunc agitur; nisi forte omnes pariter uno et eodem odio Sallustius, Popularium opinioni serviens, persequitur.

formidolosa est.[7] Sed civitas, incredibile memoratu[8] est, adepta libertate, quantum brevi[10] creverit:[9] tanta cupido gloriæ incesserat.[11] Jam primum juventus simul laboris ac belli patiens[12] [s] erat,[13] in castris per[14] usum militiam discebat: magisque in decoris armis[15] et militaribus equis, quam in scortis atque[17] conviviis[16] lubidinem[t] habebant.[18] Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus[19] asper, aut arduus erat,[20] non armatus hostis formidolosus:[21] virtus[u] omnia domuerat.[22] Sed gloriæ maximum certamen inter ipsos erat:[23] sese quisque[24] hostem ferire,[v] murum ascendere,[25] conspici, dum tale facinus faceret,[26] properabat:[27] eas divitias,[w] eam bonam famam magnamque[29] nobilitatem putabant:[28] laudis avidi, pecuniæ liberales[30] erant: gloriam ingentem, divitias honestas[31] volebant.[‡] Memorare pos-

‡ *Volebant divitias mediocres.*

[8]*memoratu* F. H. M. *est* abest A.—9 *adempta* A. B. *quam adepta libertate brevi tempore crevit.* M.—10 *brevi tempore* H.—11 *invaserat* F.—12 *ac b. erat patiens* A. *ac patiens belli erat* B. *periculi simul ac belli* C. *simul et laboris et belli* H.—13 *erant* E.—14 [*in castris per laborem usu mil.* Havercamp.] *pro labore* B. H. L.—15 *magisque q. i. s. a. c. libidinum habitu in d. a.* A.—16 *in scortis conviviis* B.—17 *atque in convivis* H.—18 *habebant* B. E. K.—19 *ullus locus* I.—20 Abest *erat* D. *erat aut arduus* F. H.—21 *formidolosus his* D. H.—22 *domuerat omnia* D. G. K.—23 *s. g. magnum certamen* A. *s. g. certamen maximum* H. *sed gloriæ magnum certamen* M. *ab aliis conspici* K. *s. g. maximum inter eos certamen fuit.* G. *sed m. c. g. e. inter ipsos* K.—24 *sic se quisque* A. C. D. H. K. *sic quisque* B. G. M. *quisque h. f.* E. *sicque se quisque* F. In Ms. Marnixiano litera I. notata, hæc a prima manu est lectio, sed manu secunda additur *sic* intra lineas superscriptum. In Voss. optimo sive L. a prima manu *sic* fuisse videtur, sed media litera *i* correcta est in *e.*—25 *adscendere murum* H.—26 *faceret* abest D.—27 *probabat* B. *et properabat* E.—28 *ea esse divitias ea bonam famam* B. *ea divitias ea bonam famam* D. E. F. G. K. M. *ea divitias esse bonam famam magnamque n. p.* H.—29 *magnam* A.—30 *liberales pecuniæ* M.—31 *d. honestates*

NOTÆ

s *Belli patiens*] Anno ætatis circiter 17. quo pueri esse desinebant; protracta deinde juventute ad annum usque 46. a quo incipiebat senectus.

t *Lubidinem*] Sæpius in malam partem accipitur, pro *desiderio pravo;* attamen, ut vides, quandoque etiam sumitur in bonam.

u *Virtus*] Fortitudinem intellige.

v *Ferire*] Nihil frequentius quam loquendi formulas istius modi videbis, per infinitivum, pro indicativo: sunt autem valde significantes et elegantes.

w *Eas divitias*] Vulgo diceremus, *In eo positas esse divitias, in eo positam esse bonam famam, &c. putabant.*

sem,[32] quibus in locis[33] maximas hostium copias[34] populus Romanus parva manu[y] fuderit, quas[35] urbes, natura munitas, pugnando ceperit; ni ea res longius ab incepto[36] traheret.

8. Sed[z] profecto fortuna[1] in omni re[2] dominatur: ea res cunctas[3] ex lubidine magis,[4] quam ex vero celebrat obscuratque.[5] Atheniensium res gestæ, sicuti ego æstimo,[6] satis amplæ magnificæque fuere; verum aliquanto minores tamen,[7] quam fama feruntur.[8] Sed quia provenere ibi scriptorum[a] magna[9] ingenia, per terrarum orbem[10] Atheniensium facta pro maximis[11] celebrantur. Ita[12] eorum, qui fecere,[13] virtus tanta habetur, quantum verbis[14] eam potuere extollere præclara ingenia.[15] At populo Romano nunquam ea copia[16] fuit: quia prudentissimus quisque negotiosus maxime[17] erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere,[18] quam dicere; sua[19] ab aliis benefacta[20] laudari, quam ipse aliorum narrare[21] malebat.

F. *honestas divitias* M.—32 *Possem memorare* E.—33 *quibus locis* E. *in quibus locis* M.—34 *maximus copias hostium* M. *hostium* abest H.—35 *et quas* D. H.—36 [*long. nos ab incept.* Havercamp.] abest *nos* a C.

1 *Sed Fort. pr.* D.—2 Transponit *omni in re* A. *in o. r. fort.* E. H. *ea re* B.—3 *cunctas res* C.—4 [*magis* omittit Havercamp.] *magis quam* A. B. C. E. F. G. H. K.—5 *et obscurat* A.—6 *æstimo* I. Reliqui fere *existimo*.—7 *tamen* abest a B. G. H.—8 *ferantur* F. K.—9 *magna scriptorum* A.—10 *orbem terrarum* H. K.—11 *magnis* G.—12 *Itaque* F. H. K.—13 *qui fecere* C. H.—14 *ea verbis* A. B. C. D. E. F. H.—15 *scriptorum pr. ing.* B. *tamen præclara ingènia* H.—16 *copia scriptorum* A. B.—17 *maxime negotiosus* A. B. C. E. F. G. H. I. K. L.—18 *facere malebat* E.—19 *et alia* E.—20 *beneficia* H.—21 *facta narrare* A. E. *facta laudari* K.

NOTÆ

[y] *Parva manu*] Frustra sunt, ni fallor, qui, ut Romanorum gloriam militarem magnam fuisse probent, huc multa ex historia nobis pervulgata congerunt; intendit enim Auctor majorem fuisse eam, quam scriptis celebrata fuerit.

[z] *Sed*] Adversativa est: ex eo vero difficultatem parit, quod sententiæ integræ non respondet. Superiori periodo dixit Sall. se posse memorare quibus in locis P. Romanus fuderit copias, &c. Inde ille nihil excipit. Verum in illa propositione, hæc assertio includitur, *Populus Romanus fudit copias parva manu, &c.* Huic assertioni respondet particula *sed.* Quasi dicat, *Bello maximi fuerunt Patres nostri; sed fortuna illis gloriam suam invidit; nam facta eorum Historia, uti digna erant, non fuere concelebrata.*

[a] *Scriptorum*] In his fuere Herodotus, Thucydides, Xenophon.

9. Igitur domi militiæque boni mores colebantur.[1] Concordia maxima, minima avaritia erat:[2] jus bonumque[b] apud eos[3] non legibus[4] magis, quam natura[c] valebat. Jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute[5] certabant. In suppliciis[d] Deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat æquitate seque remque publicam[6] curabant.[7] Quarum rerum ego[8] maxima[9] documenta hæc[10] habeo, quod[11] sæpius vindicatum est[12] in eos, qui contra imperium[e] in hostem pugnaverant,[13] quique tardius,[14] revocati, bello[15] excesserant, quam qui[16] signa relinquere,[17] aut pulsi, loco[18] cedere ausi erant. In pace vero quod beneficiis,[19] [20] quam metu imperium agitabant,[21] et, accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant.

10. Sed[1] ubi[2] labore[f] atque justitia respublica crevit, reges magni[3] bello domiti,[4] nationes feræ et populi ingentes[5]

1 *celebrantur* D. H.—2 *inter eos erat* D. *illis erat* F. abest *erat* ab H.—3 *jusjurandumque apud eos* B.—4 *in legibus* H.—5 *virtutibus* G.—6 *se remque pub.* D. H. *seque remp.* G. *seque et remp.* K.—7 *procurabant* C.—8 *ego* delet E.—9 *max. hæc ego* B.—10 abest *hæc* H. *est vind.* E.—11 [*quod in bello sæpius* Havercamp.] delet *in* G.—12 delet *est* A.—13 *pugnabant* A.—14 *qui tardius* D. L. *et qui tardius* H.—15 *bello* A, G. I. *ex bello* E. *a prælio* B. K. [et Havercamp.]—16 *quam in eo qui* H.—17 *reliquerant* D. F. *reliquerunt* G. H.—18 *a loco* G.—19 *quia benef. magis* C.—20 [*ver. ben. magis* Havercamp.] *et magis* B. abest *magis* a K. L.—21 *ag. imp.* G.

1 *Sed u. R. j. c. a. l.* D. H.—2 *pro labore* A. F.—3 *magni reges* D. F. H.—4 *domiti bello* A. *bello fuere* A. *sunt dom.* E.—5 *ingenti* A. abest a K. L.—6 *vi*

NOTÆ

[b] *Bonumque*] Formula solenni *Bonum* cum *jure*, aut *æquo* jungitur, *jus bonumque, æquum et bonum:* quia, scilicet, interdum summum jus cum sit summa injustitia, jus et lex scripta mitiganda est æquitate quadam et bonitate naturali.

[c] *Natura*] Illam intellige quam bona educatio ingeneraverat, quæ altera est natura. Hoc dicit Sallustius, *Non magis veteres Romanos ex præscripto legum, aut earum commininationibus probos fuisse, quam quia probitas ipsis placebat, et quasi congenita erat.*

[d] *Suppliciis*] Id est, *Sacrificiis* prisca enim paupertas ex noxiorum bonis sacra diis fecisse fertur.

[e] *Contra imperium*] In his fuit Manlius, quem Torquatus pater virgis cæsum capite mulctavit. Immo Posthumius a patre quoque eodem supplicio ultimo affectus, quod rei bene gerendæ occasione oblata, sine imperio victoriam reportasset.

[f] *Labore*] In bello præsertim; *Justitia*, in pace.

vi subacti,[6] Carthago, æmula imperii Romani[7] ab stirpe[8] interiit, cuncta[9] maria terræque patebant: sævire Fortuna[10] ac miscere omnia cœpit. Qui[11] labores, pericula, dubias atque asperas[12] res facile toleraverant, iis otium, divitiæ,[13] optandæ aliis,[14] oneri miseriæque fuere.[u] Igitur primo pecuniæ,[15] deinde imperii cupido[17] crevit:[16] ea quasi materies omnium malorum fuere.[18] Namque avaritia fidem, probitatem,[19] ceterasque artes bonas[20] subvertit; pro his superbiam, crudelitatem,[21] Deos[22] negligere,[23] omnia venalia habere edocuit. Ambitio[24] multos mortales falsos fieri[25] subegit;[v] aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere; amicitias inimicitiasque[26] non ex re,[g] sed ex commodo æstimare:[27] magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primo paulatim[28] crescere, interdum vindicari.[h] Post ubi, contagio[i] quasi, pestilentia invasit, civitas immutata,[29] imperium ex justissimo atque optimo crudele intolerandumque factum.[30]

11. Sed primo magis[1] ambitio, quam avaritia, animos

[u] *Otium et divitiæ, quas* Romani *debuissent optare aliis, fuerunt causa oneris et infelicitatis iis qui toleraverant facile, et cordate passi erant labores, pericula, res dubias atque asperas.*

[v] *Ambitio coëgit multos homines fieri fallaces et fraudulentos.*

sub. sunt B. G. H.—7 *Romani imperii* A.—8 [*a st.* Havercamp.] *ab st.* C. D.—9 *ubi cuncta* C. G.—10 *sævire fortuna* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L.—11 *Quique* B.—12 *asp. et dubias* H.—13 *divitiæque* A. C. D. E. K.—14 *optandæ ab aliis* A.—15 *pecuniæ primo* H.—16 [*dein* Havercamp.] *deinde imp. cr. cupido* E.—17 *cupido imperii* A. B.—18 *f. m.* B.—19 *bonitatem* C.—20 *c. bonas artes* A. B. C. G. H. *ceteras artis bonas* I.—21 *atque cr.* B. *contra hostis crudelitatem* A.—22 *Deosque* D. F. H.—23 *neglexere* A.—24 *et ambitio* B. D.—25 *fieri falsos* E.—26 *divitiasque* C. *inimicitias* G.—27 *existimabant* G.—28 *Hæc paullatim* C. E.—29 *inm. est* B. *est immutata* C. E. G. *imm. est* H. K.—30 *factum est.* A. B. D. E. *intolerandum factum est.* F. *est factum* C. G. *factum est* H.

NOTÆ

[g] *Non ex re*] Id est, *non ex pulchritudine et merito, aut contra; sed tantum pro ratione commodi et turpissimi quæstus.*

[h] *Vindicari*] Ideo latæ Leges *de Ambitu, et pecuniis repetundis;* quæ (prout boni vel mali opibus et auctoritate præpollebant) vigebant, vel torpescebant.

[i] *Contagio*] Morbus est quilibet, qui contactu contrahitur: hoc in loco morum notat fœdam immutationem et contaminationem, quæ exemplo, et consuetudine malorum in-

hominum exercebat:[2] quod tamen vitium propius virtutem[4] erat. Nam gloriam, honorem, imperium[5] bonus,[j] ignavus[6] æque sibi exoptant:[7] sed ille vera[k] via nititur;[8] huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis[9] contendit. Avaritia pecuniæ studium habet,[10] quam[11] nemo[12] sapiens concupivit: ea,[13] quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat: semper infinita, insatiabilis,[14] neque copia, neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sylla, armis recepta[l] Republica, bonis[15] initiis[m] malos[n] eventus habuit; rapere[16] omnes, trahere, domum alius, alius agros[17] cupere:[o] neque modum, neque modestiam victores habere, fœda crudeliaque[18] in civibus facinora facere.[19] Huc accedebat, quod L. Sylla exercitum, quem in Asiam[20] ductaverat,[p] quo sibi[21] fidum faceret, contra morem majorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat:[w] loca[22] amœna, voluptaria[23] facile in otio[24] feroces militum animos molliverant.[25]

[w] *Exercitum tractaverat luxuriose et nimis licenter.*

1 Abest *magis* ab F.—2 *certabat* B. *vexabat* G.—4 *propius virtuti* A. B. F. K. *proprium virtuti* B. *virtuti propius* C. D. G. *prius virtuti* H. *propius v. est* E.—5 *imperium, honorem* A. *imperium* delet D.—6 *et ignavus* G. H.—7 *exoptat* B. *optant* E.—8 *nititur vera via* A.—9 *flagitiis* in marg. *fallaciis* K.—10 *Avaritia namque pec. habet studium* A.—11 *quod* F. *malis* abest a D.—12 *nunc unquam* H.—13 *Eaque v. m.* H.—14 *et insatiabilis est* A. B. *est inf. ins.* F.—15 *bonis ab inceptis* E. *ex b. initiis* H.—16 *ceperunt rapere* H.—17 *domum, alius agros cupere* B. *alius alterius domum a. c.* H.—18 *crudelia* G.—19 *facinora fecere* K. Deest *facinora* in C.—20 *in Asia* L. [et Havercamp.] non *in Asiam*.—21 *ut sibi* C. *quo fidum sibi* H. *q. s. f. acceptumque faceret* K.—22 *Loca Asiæ amœna* C. G.—23 *voluptuaria* D. *ac voluptaria* I.—24 *initio* B.

NOTÆ

vehitur.

[j] *Bonus*] Pro *forti et cordato:* sic sæpe.

[k] *Vera*] *Legitima, et bona:* sæpenumero hoc sensu invenies.

[l] *Recepta*] *Recuperata, et liberata* a tyrannide Marii, præsertim, et Cinnæ.

[m] *Bonis initiis*] Primo enim videbatur Sylla omnia pro Senatu, et Reipublicæ bono, agere.

[n] *Malos*] Ne ita intelligas quasi Sylla perpetuo in Republica felix non fuerit: mali eventus ad Rempublicam spectant, quam ille oppressit.

[o] *Cupere*] Non modo cupiebant, sed ut quisque domum aut villam concupiverat, dabat operam ut in Proscriptorum numero esset. Unde Q. Aurelius, cum in iis nomen suum legisset, *Væ mihi misero,* inquit, *Albana me villa persequitur.*

[p] *Ductaverat*] Id est, *cui præfuerat;* nam si aliter sumas, non, *in Asia,* sed, *in Asiam,* legendum foret.

Ibi primum insuevit[26] exercitus populi Romani amare, potare; signa,[q] tabulas pictas, vasa cœlata mirari;[r] ea privatim ac publice rapere;[x] delubra[27] spoliare; sacra profanaque omnia[28] polluere. Igitur hi milites, postquam[29] victoriam adepti sunt,[30] nihil reliqui victis fecere.[31] Quippe secundæ res[32] sapientium[33] animos fatigant:[s] ne[34] illi corruptis moribus victoriæ[y] temperarent.[35][t]

12. Postquam divitiæ honori esse cœpere, et eas gloria, imperium, potentia[1] sequebatur:[2] hebescere[u] virtus,[3] paupertas probro[4] haberi, innocentia pro malivolentia[5][v] duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia,

[x] *Ea rapiebant ex privatis et publicis ædibus.*
[y] *Multo minus illi, qui erant corruptis moribus, victoriæ modum fecissent.*

—25 *mollierant* B.—26 *consuevit* B.—27 [*delubra Deorum* Havercamp.] *Deorum* delet A. B. D. E. F. G. I. K. L.—28 *omnia* abest a D.—29 *ii postquam milites* A.—30 *sunt adepti* A.—31 *facere* A. *nihil reliqui* (deleto *victis*) *facere* H.—32 *res secundæ* B.—33 *sapientium* L. [et Havercamp.] alii *sapientum.*—34 *nedum illi* A. B. E. F. H.—35 *obtemperant.* B. E. H. *victoriæ obtemperarunt* C. D. F. H. K. *obtemperarent victoriæ* G.

1 *et potentia* C. G.—2 *sequebantur* H.—3 *h. virtus cœpit* C. D. G. H. *h. cepit virtus* E.—4 *pro probro* F.—5 *malevolentia* Ed. Grut. et aliæ quædam, sed *malivolentia* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. Hic abest *cœpit* in C.—

NOTÆ

[q] *Signa*] Quaslibet intelligo figuras, quavis materia effictas, eminentes modo fuerint et extantes. Gall. *Tout ouvrage de sculpture et de relief.*

[r] *Mirari*] Eodem sensu Horatius hoc verbum pro affectuum commovendorum causa proxima usurpat: nisi potius credas in admiratione positam esse primam animi commotionem. Uno verbo, *Mirari* positum est pro *Amare, Cupere.*

[s] *Fatigant*] Id est, *vix possunt sapientes fortunam ferre; diffluunt in rebus secundis, et quandoque insolescunt*, nisi pectus bene præparatum fuerit: nam plures voluptas, quam dolor vincit.

[t] *Temperarent*] Id est, *minus potestate sua in illos uterentur; jus aliquod servarent, quo, non omnibus modis victos vexarent et torquerent.* Jus militum, *Quod libet.*

[u] *Hebescere*] Id est, *minus stimulis ejus excitabantur.*

[v] *Pro malivolentia*] Quomodo isthuc? Eo plane quo et hodie illud fit: Cum aliquem vident inculpatis moribus, quique non in unam et eandem ruit pravitatem, *Quia ille invidet*, dicunt. Quando eo mores lapsi sunt, certe eorum admodum difficilis est curatio. Si vero per innocentiam intelligas tantum abstinentiam ab omni rapina, tunc malevolentia fuerit equidem invidia, at paulo aliter explicanda; quasi scilicet aliquis eo fine sit abstinens, ut alios, si minus tales fuerint, increpare et damnare

cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem,[6] pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere.[7] Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum[8] exædificatas,[9] visere templa Deorum, quæ nostri majores, religiosissimi mortales, fecere.[10] Verum[w] illi[11] delubra Deorum pietate, domos sua[12] gloria decorabant; neque victis quicquam præter injuriæ licentiam eripiebant.[z] At hi contra ignavissimi homines, per summum scelus, omnia ea[13] sociis[14] adimere, quæ fortissimi viri victores[15] reliquerant:[16] proinde quasi[17] injuriam facere, id demum[x] esset imperio uti.

13. Nam quid ea memorem, quæ nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt; a privatis compluribus subversos montes, maria constructa[1 y] esse.[a] Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiæ; quippe, quas honeste habere licebat,[2] abuti[3] per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeæ[4]

[z] *Neque eripiebant quicquam victis præter facultatem lædendi.*

[a] *Nam qua de causa narrarem ea, quæ nullus possit credere, nisi qui viderit, montes* scilicet *subversos et sublatos a privatis compluribus, maria constrata esse et ædificata.*

6 In Edit. Gruteri, ut et Popmæ, hic interponitur *amicitiam*, contra Sallustii mentem, qui duo continuat opposita, et contra Mss. fere omnes, certe B. C. D. F. G. H. I. K. L. M. N.—7 *atque quidquam m. h.* D. *neque quidquam* F. *neque* delet A. *nec quicquam* habet H.—8 *mod. ur.* B. H.—9 *ædificatas* A. D. E. F. G. H. I. K.—10 *viri relig. mort.* C. G. *viri r. fuere mortales* D. *relig. fec. mort.* H.—11 *ubi* B.—12 *domosque suas* B.—13 Abest *ea* ab A.—14 *sociis suis* B.—15 *victores* abest a D.—16 [*hostibus rel.* Havercamp.] Delet *hostibus* A. B. C. E. F. G. H. K. L. M. N. *reliquere* B. *reliquerunt* C. D. E. G.—17 Delet *quasi* A.

1 *constrata* A. B. E. H. (*constructa* in I. sed superscript. *constrata*) K. M. 2 *liceat* G.—3 *p. t. a. probabant.* B. *pro turpitudine* H. *properabat* D.—

NOTÆ

possit.

[w] *Verum*] Respondet sensui intellecto, non expresso, quasi dicat, *Minus te moveat videre habitationes, quas tam humiles Diis posuerant prisci patres nostri, postquam eas comparaveris cum magnificis villis nostrorum hominum: illi enim, contra quam fit hodie, templa Deorum pietate, domos suas gloria decorabant.* Colebantur a veteribus Religiones pie magis quam magnifice, ut Livius loquitur; unde in lege duodecim tabularum, *Ad Divos adeunto caste; Pietatem adhibento; Opes amovento.*

[x] *Demum*] Id est, *quasi imperium non aliter insigne esset, quam hominibus malefaciendo, aut in eo consisteret.*

[y] *Constructa*] Sive *constructa*, aut

ceterique cultus[z] non minor incesserat: viros[5] pati muliebria,[6] mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi caussa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido[7] esset; non famem, aut sitim;[8] neque frigus,[9] neque lassitudinem opperiri, sed ea[10] omnia[11] luxu antecapere. Hæc[a] juventutem, ubi familiares[12] opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus[13] haud facile lubidinibus carebat:[14] eo profusius omnibus modis quæstui atque sumtui deditus[15] erat.

14. In tanta tamque corrupta civitate[1] Catilina,[2] id, quod factu facillimum erat, omnium[3] flagitiorum atque facinorum[4] circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat.[b] Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo;[5] manu,[6] ventre, pene bona patria laceraverat; quique[7] alienum æs grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus[c] redimeret;[b] præterea omnes

[b] *Catilina habebat circum se catervas et agmina omnium flagitiosorum atque facinorosorum, tanquam stipatorum et custodum, id quod erat facillimum factu in civitate tanta et tam corrupta.*
[c] *Ut flagitium, aut facinus elueret.*

4 *ganeæque* A. *et ganeæ* H.—5 *viri* G. H.—6 *muliebria pati* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K.—7 *cupido somni* A. C. F. G. H. *s. esset cupido* F. *adesset* B. M. —8 *non sitim* C. D. E. F. G. H. I. N. *neque sitim* M.—9 *non frigus* G.—10 *ea* abest in A. E. G.—11 *omnia ea* B. *omnia luxu* C.—12 *fam. u. juv.* A.—13 *m. a. i.* A. *ad mala f. i.* H.—14 *car. lib.* A.—15 *dediti* G.
1 *In tanta igitur* A. *in tanta itaque et tam c. c.* B. F. M. *i. t. itaque tamque* G. H. K. *i. t. itaque corrupta civitate* I.—2 *Catilina existimans* H.—3 *hominum* B.—4 *flagitiosorum atque facinorosorum* A. B. F. H. K. M. N. *omnium flagitiosissimorum c. s. &c.* C. *omn. flagitiosissimorum facinorosorum c. s.* D. E. *flagitiorum atque facinorosissimorum* G. sed omnium vetustissimus et optimus L. *flagitiorum atque facinorum* tuetur.—5 *ganeo adulter* A.—6 *alea manu* A. B. C. D. E. F. G. H. K. M. N. in L. *ganeo* et *alea* non inveniuntur.—7 *quicun-*

NOTÆ

contracta legeris, eodem modo Romanorum luxus circa ædificia in mari extruenda carpetur; qua de re Horatius quoque ita conquestus est, *Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus, &c.* Ob ingentes sumtus, et profusam in ædificiis et convictibus luxuriam, Lucullus *Xerxes togatus* a Pompeio dictus est.

[z] *Cultus*] Hic in malam partem accipitur, pro *nimia et lasciva corporis curatione*, aut *in cutem indulgentia, et blanditiis.*

[a] *Hæc*] Præpostera, scilicet, vivendi consuetudo, moresque propudiosi.

[b] *Redimeret*] Id est, *ut se liberaret, atque delicti pœnam effugeret*, vel pecunia judices corrumpendo, vel cum iis qui litem intentabant transigendo.

undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc,[8] quos manus atque lingua, perjurio aut[9] sanguine civili[10] alebat; postremo omnes,[11] quos flagitium, egestas, conscius[c] animus exagitabat: ii Catilinæ proximi[12] familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa[13] vacuus in amicitiam ejus inciderat;[14] quotidiano usu atque illecebris facile par similisque[d] ceteris efficiebatur. Sed maxime adolescentium familiaritates[15] appetebat: eorum animi molles[16] et ætate fluxi,[17] dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cujusque studium[18] ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere; aliis canes atque equos mercari;[d] postremo neque sumtui, neque modestiæ[e] suæ parcere, dum illos obnoxios[f] fidosque faceret.[19] Scio, fuisse nonnullos, qui ita[20] æstimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus[g] magis, quam quod[21] cuiquam compertum foret, hæc fama valebat.[22]

15. Jam[1] primum[h] adolescens Catilina multa nefanda

[d] *Nam præbebat aliis scorta, aliis emebat canes atque equos, prout unusquisque ardebat desiderio alicujus rei, secundum suam ætatem.*

que B. D. H.—8 *ad hæc* B. G. *ad huc* F.—9 *atque* C. F. G.—10 *sang. civ.* A. B. E. F. H. I. K. L.—11 *omnes illi* H.—12 *ii p. f. Cat. erant,* B. *ii omnes* M.—13 *et a culpa* B. F.—14 *deciderat* A. *liber inciderat* N.—15 *fam. ad* A.—16 *mollis animi* H.—17 *fragilis et fluxi* D. *ætate flux.* E.—18 *Namque ut cujus st.* A. *Nam ut cujuscumque st.* K. Non *uti*, sed *ut* hic omnes Mss. exhibent.—19 *fidosque sibi* A. B. D. E. F. G. H. K. L. *sibi fidosque* H. *sibique fidos* I.—20 Abest *ita* ab A.—21 Delet *quod* C. K. L. M.—22 *volabat* C.

NOTÆ

[c] *Conscius*] Scelerum scilicet: *Conscius* enim quandoque in bonam partem sumitur.

[d] *Similisque*] Cum *similis* non tantum dicat quantum *par*, perinde est ac si dixisset Sallust. *Usu et consuetudine, quicumque in Catilinæ amicitiam inciderat, facile illi par, aut* saltem *similis efficiebatur.* Nisi malis τὸ *par* gradus nequitiæ notare, *similis* vero genus ipsum, in quo illi pares fiebant.

[e] *Modestiæ*] Hic Gallice vertas, *son honneur.* Alibi aliter.

[f] *Obnoxios*] *Obstrictos.* Gall. *Attachez à sa personne.*

[g] *Aliis rebus*] Ubi manifestum fecerat Catilina, se nullo scelere aut flagitio vacare, sed profligatæ nequitiæ hominem esse.

[h] *Jam primum*] Instituit Sallustius earum rerum enumerationem, ex quibus, eos juvenes qui Catilinam frequentabant, parum honeste pudici-

stupra fecerat, cum virgine[i] nobili,[2] cum sacerdote[j] Vestæ,[3][k] alia hujuscemodi contra jus[l] fasque. Postremo captus amore Aureliæ[m] Orestillæ, cujus præter formam, nihil unquam bonus laudavit; quod ea nubere illi[4] dubitabat, timens privignum adulta ætate;[5] pro certo creditur,[6] necato[n] filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.[e] Quæ quidem res mihi inprimis[7] videtur causa fuisse[8] facinoris[o] maturandi. Namque animus impurus,[9] Dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia[10] mentem excitam[p] vastabat.[11] Igitur color[12] exsanguis,[q] fœdi[r]

[e] *Creditur pro certo, Catilinam fecisse domum suam vacuam nuptiis flagitiosis, filio suo necato, eo quod Aurelia Orestilla, timens* eum futurum *privignum, qui ætate adultus erat, dubitabat nubere ipsi Catilinæ.*

1 *Jampridem* G.—2 *nob. virg.* B. 3 *Vestæ sacerdote* deleto *cum* A. *sacerdote Vestæ* deleto *cum* G. *Deæ Vestæ* B. D. F. M.—4 *illi nub.* B. D. E. F. H. K.—5 *adulta ætate* C. marg. *adultum.*—6 *dicitur* H.—7 *in pr. m.* C. *in primis mihi* E. *inprimis* delet D. *mihi v. i. p. c.* F. H.—8 *c. v. fuisse* A.—9 *intenta adulta* K.—10 *consciam* C.—11 *vastabat* B. F. K. L.—12 *color ei* C. G.

NOTÆ

tiam habuisse, conjectura prospiciebatur.

[i] *Cum virgine*] Forte de eo stupro loquitur, quod ei obtulit quæ postea socrus fuit: nam et illud quoque Cicero Catilinæ objecit; tacito tamen, ut hic, mulieris nomine, ne illi et familiæ nota inureretur.

[j] *Sacerdote Vestæ*] Virgines erant, Vestales, castitatis eximiæ, quibus nefas erat virum tangere, ad sacri et æterni ignis custodiam, in penetralibus Vestæ adhibitæ.

[k] *Vestæ*] *Estha* Chaldæis *ignem* denotat, a quo Græcis ἑστία factum, id est, *focus;* unde Latinis *Vesta*, id est, *Ignis*. *Vestæ* vero nomine æthereum et divinum quendam ignem intellexerunt, seu mentem, quæ non oculis, sed animo tantum percipitur; ex quo factum ut nullum in Vestæ Templo simulachrum conspiceretur. Atque notandum est, duas fuisse Vestas, alteram veterem Saturni matrem, quæ *Cybele*, et *Pales*, et *Terra*, immo *Ops*, et *Ceres* dicitur; alteram vero Saturni, ex illa altera filiam, quæ hæc nostra est: quanquam hæc omnia non uno modo apud omnes Mythologos reperias, immo sæpissime confunduntur.

[l] *Jus*] *Jus* ad homines, *fas* refertur ad Deos.

[m] *Aureliæ*] Quæ fuerit non satis constat: eam forma et divitiis inter primas claruisse, certum est.

[n] *Necato*] Veneno, ut refert Valer. Max.

[o] *Facinoris*] De opprimenda Republica intelligit.

[p] *Excitam*] Non enim usquequaque conscientia sopita est; mentem quandoque commovet, excitat, et turbat. Dixit vero Auctor *mentem excitam vexabat*, pro *exciebat et vexabat*.

[q] *Exsanguis*] Perturbatio conscien-

oculi, citus modo,[13] modo tardus incessus;[14] prorsus in facie[s] vultuque[15] vecordia[t] inerat.[16]

16. Sed juventutem, quam, ut supra diximus, illexerat,[1] multis modis[2] mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare;[4] [v] fidem, fortunas, pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem[5] attriverat,[f] majora alia[6] imperabat: si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilo minus insontes,[w] sicuti sontes,[7] circumvenire, jugulare. Scilicet, ne per otium torpescerent manus[8] aut animus, gratuito potius[9] malus atque crudelis erat.[g] His amicis sociisque confisus Catilina,[10] simul quod æs alienum per omnes terras[11] ingens erat, et quod plerique Syllani milites,[12] largius suo usi, rapinarum et victoriæ[13] veteris[x] memores civile bellum exoptabant; opprimendæ reipublicæ consilium cepit.[h] In Italia nullus exercitus:[14]

[f] *Quando minuerat famam atque pudorem eorum.*

[g] *Erat potius malus atque crudelis sine mercede.*

[h] *Catilina confisus his amicis et sociis cepit consilium Reipublicæ opprimendæ; simul quod ille grandem pecuniam ubique debebat, et quod plerique milites Syllani, qui prodige usi erant bonis suis, optabant bellum civile, memores rapinarum et victoriæ veteris.*

color ejus M. et plures alii.—13 *modo citus* B. K.—14 *incessus erat* B. H.—15 *vecordia p. i. f. vultuque inerat* I.—16 *erat* B.

1 *allexerat* C.—2 *multis modis illexerat ad. m. f.*—4 *concordare* A. *accommodare* B. H.—5 Desunt in C.—6 *aliis* G.—7 abest *s. s.* in H.—8 *ne p. o. manus et animus t.* C. G. *ne p. o. intorpesceret animus aut manus* H. *n. c. p. o. torpesceret manus* M. N.—9 *in aliis* B. [*malus* Havercamp.]—10 *Cat. conf.* B.—11 *per o. t. persolvendum* D. E. in marg. H. *grande p. o. t. erat* L.—12 *milites Sullani* C. G.—13 *vet. vict.* B.—14 *ex. erat* B. C. D. E. F. H.—15 *quia Cn. Pompejus*

NOTÆ

tiæ tristitiam et metum comites habet, quibus sanguis ad intimas corporis partes evocatur.

[r] *Fœdi*] *Sævitiam et immanitatem declarantes.* Alias *Fœdus deformem* tantum dicit.

[s] *Facie*] Id est, *Specie et omni exteriore aspectu.* Nonnunquam *facies os* tantum aut *vultum* significat. *Le visage.*

[t] *Vecordia*] Magis ad animum spectat, et mentem notat sceleratam et nefariam: ea vero ex specie, vultu præsertim cognoscitur.

[v] *Commodare*] Id est, *In suum et amicorum commodum subministrare.*

[w] *Insontes*] Ne absolute sontes, aut insontes intelligas, quasi se judicem et vindicem Catilina in Republica gesserit. Per *insontes* eos indicat qui ejus consiliis nihil officiebant, quique erga illum insontes erant.

[x] *Veteris*] Adversus Marium; ex qua omnes suos Sylla ditaverat.

Cn.[15] Pompeius in extremis[z] terris bellum gerebat:[16] ipsi consulatum petendi magna spes:[17] Senatus nihil sane intentus:[18] tutæ tranquillæque res omnes,[19] sed ea prorsus opportuna Catilinæ.[20]

17. Igitur circiter Kalendas Junias L. Cæsare[a] et C. Figulo Consulibus primo singulos appellare: hortari alios,[1] alios[2] tentare: opes suas, imparatam rempublicam, magna præmia conjurationis docere.[3] Ubi satis explorata sunt,[4] quæ voluit; in unum omnes convocat, quibus maxima[5] necessitudo,[b] et plurimum audaciæ. Eo[6] convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura,[c] P. Autronius,[d] L. Cassius Longinus, C. Cethegus,[e] P. et Servius Sullæ, Servii[f] filii,[7] L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Læca, L. Bestia,[g] Q. Curius:[h] præterea ex[8] equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc[9] multi

C. G.—16 *b. g. terris* A.—17 *magis opes erat* B. *magna spes erat* C. G.—18 *intentus erat* A. B.—19 *omnes res* H. *o. r. erant* B. *r. o. erant* C. D. *r. e. o.* G. *Cat. p. o. videbantur* B.—20 *Cat. opportuna* A. *opp. Cat. erant* C. D. G. H. M. N. *Cat. opp. prorsus* E.

1 *al. hor.* C. G.—2 *alios* delet F.—3 *edocere.*—4 *sunt ea* A.—5 *maxima* K. *magna* G.—6 *Eo loco* A. *in eo loco* E.—7 *P. Servius Sullæ Servii filius*, A. B. D. E. F. H. K. *P. Servius S. S. filii* I. M. *et Servius Sullæ Servii filii* G.—8 *p. multi ex* H.—9 *ad hæc* H.—10 *domi erant nobilis* A. *domini nobiles erant*

NOTÆ

[z] *Extremis*] Per respectum ad Romanos, qui se Orbis Dominos jactabant, istud intelligendum: Pompeius enim in Asia erat, cum Mithridate bellum gerens.

[a] *L. Cæsare*] Id est, anno mundi 3886. Ante Christum natum 62. A Roma condita 689. vel secundum alios 690.

[b] *Necessitudo*] Hic pro *necessitate* ponitur: alias pro *familiaritate.*

[c] *Sura*] Ita vocatus fuit, quod, pecunia publica absumta, cum Quæsturæ rationem reddere non posset, se dixit suram præbiturum, ut solebant pueri, qui in ludo pilæ peccassent. Post Consulatum, Senatu ob malos mores ejectus fuit: quare iterum Prætor est factus, ut pristinam dignitatem recuperaret: et in Prætura conjuravit.

[d] *Autronius*] Hic Consul designatus, de ambitu interrogatus, lege damnatus est.

[e] *Cethegus*] Is fuit ex gente Cornelia: homo vehemens et furiosus.

[f] *Servii*] Hic Servius Sylla, pater Publii et Servii Syllæ, frater fuit Syllæ Dictatoris, ut scribit Dio.

[g] *Bestia*] Hic est, qui tribunus plebis de Cicerone conquestus est; ut infra videbimus.

[h] *Curius*] Per hunc conjuratio primo patefacta est.

ex coloniis[i] et municipiis,[k] domi[l] nobiles.[10] Erant præterea[12] complures[m] paulo occultius[13] consilii hujusce participes nobiles,[14] quos magis dominationis spes[15] hortabatur, quam inopia,[16] aut alia[17] necessitudo. Ceterum juventus pleraque,[18] sed[19] maxime nobilium, Catilinæ inceptis favebat. Quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant.[i] Fuere item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum[n] non ignarum ejus[20] consilii fuisse; quia Cn. Pompeius invisus ipsi magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere: simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

18. Sed antea[o] item conjuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina: de qua[p] quam verissime potero

[i] *Illi qui poterant vivere vel magnifice vel molliter in otio* sequebantur *incerta pro certis, malebant bellum quam pacem.*

B. F. *domi nobilis erant* C. *domi et militiæ erant* D. H.—11 *compl. erant* F.—12 abest ab E. Abest *erant* ab A.—13 delet *occultius* G.—14 *hujus consilii* B. *part. fuere nobiles* C. G. *cum hujusmodi principis nobiles erant* D. *hujuscemodi* F. H. K. *hujusmodi consilii participes erant nobiles atque ignobiles* M.—15 *spes d.* B.—16 *quam i. h.* A.—17 *aut aliqua* C. D. F. G. *a. alia nec. hortabatur* H.—18 *pl. j.* B. *pl. populi Romani* G.—19 *et* C.—20 *illius* E.

NOTÆ

[i] *Coloniis*] Colonia multitudo est hominum, qui publico consilio ad novas terras deducuntur, quæ in singulos divisæ ab iis coluntur. Romani per Triumviros, Quinqueviros, &c. colonias suas constituebant. Vide plura apud Gellium XVI. 13.

[k] *Municipiis*] Fuerunt municipia civitates, quarum incolæ Cives Romani ex municipiis dicti sunt. Illorum quibusdam civitas Romana cum suffragio, aliis absque eo data fuit. Priores jus petendi Magistratus habebant, et Romanis legibus vivebant: posteriores, cum suis moribus relicti essent, etiam a Magistratibus Romæ vacabant. Atque hæc omnia varie mutata sunt: sed adi Rosinum.

[l] *Domi*] Quare *domi?* Quia scilicet, quamvis eorum opes, et potentia in sua civitate maxima esset, non illi pariter Romæ valebant.

[m] *Complures*] Romani scilicet, quales forte Cæsar, Antonius, alii.

[n] *Crassum*] Hic fuit, quo non alius Romæ ditior extabat; quem tamen auri fames ad bellum contra Parthos impulit, ubi una cum exercitu trucidatus est.

[o] *Sed antea*] Hic abrumpitur narratio, ut aliquid de alia conjuratione dicatur, cujus volunt Auctorem fuisse Crassum, quanquam studio id dissimulat Sallust. Igitur post aliquot periodos, hinc repetendum erit filum institutæ orationis.

[p] *De qua*] Id est, *de qua re, de qua conjuratione.*

dicam. L. [1]Tullo,[q] M. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sylla legibus[s] ambitus interrogati pœnas[t] dederant. Post paulo Catilina, pecuniarum[u] repetundarum reus, prohibitus[v] erat[2] consulatum petere; quod intra legitimos[w] dies profiteri[x] nequiverit.[3] Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis,[y] summæ audaciæ, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum[4] hoc[z] Catilina et Autronius, consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Januariis L. Cottam et L. Torquatum Consules interficere; ipsi,[a] fascibus[b] correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas[c] Hispanias mittere. Ea re cognita rursus, in Nonas Februarias consilium cædis transtulerant.[5] Jam tum non Consulibus modo, sed plerisque Senatoribus perniciem machinabantur.

1 *Tullio et* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K.—2 *erat* abest ab M.—3 *nequiverat* H. K. M.—4 *Cum eo* M.—5 *transtulerunt* C. D. F. G.—6 *s. s. d. pro curia*

NOTÆ

[q] *L. Tullo*] Hoc est, *tertio anno ante ultimam conjurationem.*

[s] *Legibus*] Paratæ fuerant multæ contra ambitum, quas si voles, apud Alexandrum Neapolit. III. 17. videbis. Ex earum legum auctoritate interrogabantur, de ambitu qui accusati fuerant.

[t] *Pœnas*] Magistratu movebantur, atque iis etiam mulcta pecuniaria irrogabatur.

[u] *Pecuniarum*] Africam Catilina cum diripuisset, Legati Afri in Senatu de illo absente conquesti sunt, deinde ejus nomen a Clodio delatum est: unde prohibitus fuit petere Consulatum; nam reo illud legibus interdictum erat.

[v] *Prohibitus*] Quia, ut modo vidimus, Catilina reus erat; atque etiam Lucius Volcatius alter Consul publicum consilium habuerat, An Catilinæ ratio habenda esset. Sciendum est enim non tantum debuisse eos qui candidati essent, publice declarare se Magistratum petere velle; sed insuper nomen apud eum qui Comitia habiturus erat, profiteri astrictos fuisse, a quo recipiebantur, si digni essent, sin minus rejiciebantur.

[w] *Legitimos*] *Lege institutos:* dies enim certos Accusatori et Defensori ad actionem instituendam præscribebant.

[x] *Profiteri*] Defensionem suam et expurgationem, scilicet.

[y] *Nobilis*] Utpote a Calpo, Numæ filio, oriundus: Pisones enim ex gente Calpurnia fuerunt, quam Ovidius a Calpo deducit.

[z] *Hoc*] Pisone scilicet.

[a] *Ipsi*] Catilina et Autronius.

[b] *Fascibus*] Notum est fasces Virgas fuisse ex ulmo aut betula cum securi colligatas, quas Magistratibus lictores præferebant: cum vero insignia essent dignitatis, hinc factum, ut pro ea fasces accipiantur; atque hic pro Consulatu positi sunt.

[c] *Duas*] Ulteriorem scilicet et cite-

Quod ni Catilina maturasset pro curia[d] signum sociis dare;[6] eo die, post conditam urbem Romanam, pessimum[7] facinus patratum[8] foret. Quia nondum[9] frequentes armati convenerant; ea res consilium diremit.

19. Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore[e] missus est, annitente[1] Crasso; quod eum infestum[f] inimicum[2] Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus Provinciam[g] invitus dederat: quippe fœdum hominem a republica procul esse volebat: simul,[4] quia boni quam plures præsidium[h] in eo putabant: et jam tum[5] potentia Cn. Pompeii formidolosa erat. Sed is Piso,[6] in provinciam[7] ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est. Sunt, qui ita dicunt,[8] imperia ejus injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos,[9] Cn. Pompeii veteres fidosque clientes,[10] voluntate[i] ejus Pisonem aggressos: nunquam Hispanos præterea[j] tale facinus fecisse, sed imperia sæva multa antea[11] perpessos. Nos

A.—7 *tam pessimum* D. H. M.—8 *perpetratum* M.—9 *non fuit quia* M. *sed nondum* N.

1 *annuente* M.—2 *et inimicum* H. delet M.—3 *procul a Rep.* A. *Romano populo procul esse v.* C. G. *a R. procul esse v.* D. E. F. H. I. K. L. N.—4 *et simul* N.—5 *et etiam tum* M.—6 *Sed Piso* P.—7 *in provincia* M.—8 *dicunt* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—9 *illos* abest ab A. G.—10 *ex voluntate* M. —11 *multa ante* M. *multo ante* N.—12 *relinquimus* A. B. C. D. F. H. K. *re-*

NOTÆ

riorem; idque cum per vim, tum contra morem: nam Hispaniæ Provinciæ erant Prætoriæ, Piso Quæstor tantum erat; deinde alterutra, non ambæ, uni assignabantur.

d *Pro curia*] Id est, *Ante locum ubi Senatus congregatus erat;* non enim uno et eodem loco semper habebatur.

e *Pro Prætore*] Id est, *Quamvis Prætor non esset, missus est tamen in Provinciam Prætoriam, cum Prætoria potestate.*

f *Quod eum infestum*] Sperabat enim Pompeii potentiam per Pisonem imminutum iri.

g *Provinciam*] Hispaniam scilicet. Nimirum Pop. Romanus, quando nationem aliquam bello domuerat, eam plerumque Magistratibus suis subjiciebat.

h *Præsidium*] *Auxilium Reipublicæ adversus Pompeium, illi resistendo.*

i *Voluntate*] *Pompeii hortatu.*

j *Præterea*] Omnino hunc locum ita arbitror intelligendum, ut non sit excusatio, quod alii volunt, sed facti negatio. Quasi dicat, *Quidam dicunt, Hispanos interfecisse Pisonem, et inter eos nonnulli ejus crudelitatem causam mortis faciunt, alii jussum Pompeii; at vero alii negant ab Hispanis Pisonem interfectum esse.*

eam rem in medio[k] relinquemus.[12] De superiore conjuratione satis dictum.[13].

20. Catilina[l] ubi eos, quos paulo ante memoravi,[1] convenisse videt: tametsi cum singulis multa sæpe egerat; tamen in rem[2] fore credens[k] universos appellare et cohortari, in abditam partem ædium secedit:[3] atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.[4]

'Ni virtus fidesque vestra spectata mihi forent,[5] nequicquam opportuna res cecidisset;[6] spes magna, dominatio[7] in manibus frustra fuissent:[8] neque ego per ignaviam, aut vana[9] ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi[10] fortes[l] fidosque mihi: eo animus ausus,[11] maximum atque pulcherrimum[m] facinus[12] incipere:[n] simul quia vobis, eadem mihi, bona malaque intellexi:[13] nam[o] idem velle atque nolle, ea demum firma[14] amicitia est. Sed ego quæ mente[15] agitavi, omnes

[k] *Cum crederet ad conjurationis utilitatem pertinere.*
[l] *Quia multis et magnis periculis vos cognovi fortes.*

liquimus M.—13 *dictum est satis* A. B. E. *satis dictum est.* D. F. G. H. K. M. N.

1 *commemoravi* E. K.—2 *in re* A. B. H. K. L. M.—3 [*secessit* Havercamp.] *secedit* D. (l. sed in marg. *secessit*) L.—4 *orationem habuisse talem proprio ore prædicatur* G.—5 *satis spectata* A. B. E. *spectata satis* F. H. *spectata satis mihi foret* M.—6 *res opportuna accidisset* A. B. *opp. res accidisset* F. M. N.—7 *magna dominationis* A. B. C. D. E. G. K. *spes dominationis magna* F. H.—8 *fuisset* E. F. G. H. K.—9 *vaga* C. G.—10 *viros fortes* A. *fortes esse* D. H.—11 [*ausus est* Havercamp.] *est* delet C. *magnum* A.—12 *facere et incipere* F.—13 *Namque* E. F. H.—14 *prima* C. *prima vel firma* D. *summa* H.—15 *animo ac*

NOTÆ

[k] *In medio*] Ita ut cuivis liberum sit quod volet credere, aut pro alterutra sententia argumenta proferre.

[l] *Catilina*] Nunc ad postremam Catilinæ conjurationem Auctor revertitur.

[m] *Pulcherrimum*] Ea vis est boni, ut illius specie etiam perditissimi parricidæ suas adumbrent machinationes.

[n] *Incipere*] Hic Gruterum virum doctissimum pudet barbariei: attamen idem prorsus in Terentii Eunucho, Act. v. sc. 9. legitur, *an me, qui id ausu' sim Incipere; an fortunam collaudem? &c.* Unde satis constat, hinc *Incipere*, ut ille voluit, non esse deturbandum.

[o] *Nam*] Hæc partim conclusio firmissimis nititur fundamentis; verum eam obscuravit Catilina, dum honestis nominibus nefandum scelus obvelare studet. Ita vero resolvas ejus ratiocinationem. *Ausus sum pulcher-*

jam antea diversi audistis.[m] Ceterum mihi in dies magis[16] animus accenditur, cum considero, quæ conditio vitæ futura[17] sit, nisi nosmet ipsi vindicamus[18] in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum jus atque ditionem concessit;[n] semper illis reges, tetrarchæ[p] vectigales esse:[19] populi, nationes stipendia[q] pendere: ceteri[20] omnes, strenui, boni, nobiles atque[21] ignobiles vulgus fuimus,[o] sine gratia,[r] sine auctoritate,[s] his obnoxii, quibus, si respublica valeret,[t] formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honor, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt: repulsas[u] nobis reliquere, pericula, judicia,[v] egestatem. Quæ quousque tandem patiemini fortissimi[22] viri? nonne emori per virtu-

[m] *Omnes jam antea audivistis separatim, quæ ego cogitavi.*
[n] *Postquam Respublica redacta est sub imperium et dominationem paucorum.*
[o] *Pro fæce et colluvione habiti sumus.*

mente F.—16 *magis magisque* D. F. G.—17 *futuræ* A. E.—18 *vindicemus* A. B. C. D. E. F. G. H.—19 *erant* A. E. *esse ceperunt* G.—20 *ceteri nos omnes* M. —21 *atque* abest ab A.—22 *viri fortiss.* A. *o fortissimi* B. C. D. F. G. H. I. K.

NOTÆ

rimum facinus, non tantum quia vos estis fortes; verum etiam quia sumus amici firmi: constat vero firmos nos esse; quia eadem volumus et nolumus; at volumus eadem, quia eadem sunt nobis bona et mala. Atque hæc posterior probatio detruncata est; et aperta ut sit, addas oportet, *quorum quidem bonorum aut malorum ea est natura, ut nos omnes, uno et eodem modo eodem cogant.* Falsum autem est quod dicit Catilina, eadem velle et eadem nolle, efficere amicitiam: honestas si adsit, tunc illud nomine cohonestabitur amicitiæ; quæ si Catilinæ non defuisset, nihil fere pulchrius aut utilius ejus oratione extaret.

[p] *Tetrarchæ*] Non sunt illi qui quatuor Provinciis, sed qui unius Provinciæ quartæ parti præsunt.

[q] *Stipendia*] Hic fuit dolus quorundam populorum, et fraus Romanorum. Cum illis horum cognita esset avaritia, hi vero omnium fere gentium metum perspectum haberent, concordabant inter se, ita ut Romani, qui saltem gratia et auctoritate pollerent, ab illis populis publicam injuriam averterent, Patronis vero suis illi stipendia, aut, quod magis ad nostrum sermonem accedit, pensiones solverent.

[r] *Gratia*] Apud populum: *Sans faveur.*

[s] *Auctoritate*] In Senatu: *Sans crédit.*

[t] *Valeret*] Id est, *statum suum legitimum obtineret.*

[u] *Repulsas*] Catilina bis Consulatum petiit, bis repulsus fuit.

[v] *Judicia*] Quæ in nos exercentur scilicet. Alii ambitus, alii repetundarum pœnas dederant.

tem[23] præstat, quam vitam[24] miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris,[25] per dedecus amittere? Verum enim vero pro Deum atque hominum fidem![26] victoria nobis in manu:[27] viget ætas, animus valet: contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt:[w] tantum modo incepto[28] opus est: cetera res expediet.[x] Etenim quis mortalium, cui virile ingenium,[29] tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant[30] in exstruendo[y] mari et montibus coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos[31] binas, aut amplius, domos continuare; nobis larem[z] familiarem nusquam ullum[32] esse? Cum[33] tabulas, signa, toreumata[a] emunt; nova[b] diruunt, alia ædificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant,[c] tamen summa lubidine divitias[34] vincere nequeunt.[p] At nobis domi inopia, foris æs alienum: mala res, spes multo asperior: denique, quid reliqui habemus, præter[35] miseram animam? Quin igitur expergiscimini?[36] En illa, illa,[37] quam sæpe

[p] *Tamen per* suam *summam libidinem et sumtus immensos non possunt exhaurire suas divitias.*

—23 *virtute præstat* N.—24 *hanc vitam* K. M. *vitam hanc* N.—25 *fueritis* B. C. D. E. F. G. H. K. M. N. *fuerimus* I.—26 *fidem testor* C. D. E. *fidem obtestor* H.—27 *nobis i. m. e.* A. *vobis est* C. G. *sita i. m. n. e.* D. H. *in m. sita est n.* M.—28 *o. i. est* A. E. *incepto quis* C.—29 *est* B. C. E. G. I. K. M. delet *est* D. H. L.—30 *profundunt* A. B. C. D. G. H. *in montibus* F.—31 *et illos* E. H. M.—32 *nusquam esse* E.—33 *cum illi* B.—34 *divitias suas* B. C. D. E. F. G. H. I. K.—35 *præter hanc m. a.* B.—36 *expergiscimini et capessite Remp.* D. H.—37 *En illa quam* A. B. C. D. E. F. G. H. I. L. M.—38 *gloria,*

NOTÆ

[w] *Consenuerunt*] Id est, *imminuta sunt, aut prorsus interierunt.*

[x] *Res expediet*] Id est, *reliqua sine nobis perficientur.* Gall. *Le reste se fera de soi-même.*

[y] *Exstruendo*] *Exstruere* hic est *ædificare, donec locus mari subtrahatur.* Gallice optime dicimus, *Combler les mers.*

[z] *Larem*] Lares Dii erant domestici, quibus focus sacer erat: unde ipsi pro foco et domo sæpe positi, ut hoc in loco.

[a] *Toreumata*] Toreuma esse videtur quicquid cœlo, aut torno elaboratum est. Gall. *Tout ouvrage de relief, et fait en bosse: Ouvrage fait au tour.*

[b] *Nova*] Id est, *quod nuper ædificaverant, hodie diruunt, ut denuo extruant.*

[c] *Vexant*] Verbum istud prorsus referendum est ad pecunias, non, uti volunt nonnulli, ad homines. Hoc dicit, Aliquos, quanquam pecunias suas profunderent, non potuisse tamen exhaurire: sed verbum quo usus est Auctor, magnam habet emphasim.

optastis, libertas, præterea divitiæ, decus, gloria[38] in oculis sita sunt![q] fortuna omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis, quam oratio,[39] hortentur.[40] Vel imperatore, vel milite me utimini: neque animus,[d] neque corpus a vobis aberit. Hæc ipsa, ut spero, vobiscum consul agam: nisi forte animus fallit,[41] et vos servire, quam imperare, parati estis.'

21. Postquam accepere[1] ea homines,[2] quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, tamen etsi illis quieta movere,[3] magna merces videbatur; tamen postulare[4] plerique, uti proponeret, quæ conditio belli foret: quæ præmia armis[5] peterent: quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri[6] tabulas[e] novas, proscriptionem[f] locupletium, magistratus, sacerdotia,[g] rapinas, alia[7] omnia, quæ bellum atque lubido victorum[8] fert. Præterea esse in Hispania citeriore[9] Pisonem,[h] in Mauretania[i] cum

[q] *Decus, gloria vobis se oggerunt.*

honor D.—39 [*orat. mea* Havercamp.] *mea* abest ab H.—40 *hortantur* C. G.—41 *me fallit* A. B. D. E. F. K. *me animus fallit* G. L. *fallit me* H.

1 *P. e. a. h.* E.—2 *omnes* F. H.—3 *quietam movere Remp.* D. H. *Remp. quietam movere* F. M. *quietam Remp. movere* G. N.—4 *postulavere* C. E. F. G. H. I. K. L. *poneret* C.—5 *in armis* G.—6 *polliceri cœpit* B.—7 *aliaque* H.—8 *victoribus* A. C. *fert victori* D.—9 *dicebat Pisonem* A. B. C. G.—10 *P. Siti-*

NOTÆ

[d] *Animus*] Id est, *vos consilio et manu juvero.*

[e] *Tabulas*] Tabulæ novæ appellantur, cum abolitis prioribus debitis, nemo, quod ante a creditoribus acceptum est, cogitur solvere: quæ quidem propositæ sunt aliquando tabulæ, cum ære alieno, et præsertim usuris plebs Romana oppressa erat. Gall. *Abolition de dettes.*

[f] *Proscriptionem*] Ex quo factiosis locupletium bona veniebant. Illud vero malum in civitatem invexerant bella civilia. Nam qui per illa victoriam adepti fuerant, illi nomina eorum, qui diversarum partium fuisse putabantur, in tabulis descripta proponebant, constitutis præmiis, si quis eorum quenquam occidisset, bonis etiam Proscriptorum publicatis atque hastæ subjectis.

[g] *Sacerdotia*] Non tam dignitatem ipsam sacerdotalem, cujus nebulones illi prope nullam curam habebant, quam ex dignitate lucrum, aut, quod vocamus nos, *beneficium* aut *præbendam.*

[h] *Pisonem*] Quem occisum fuisse Catilinam latebat, aut certe dissimulabat.

[i] *Mauretania*] Africæ regio est, versus Gaditanum fretum.

exercitu P. Sittium[10] Nucerinum,[j] consilii[11] sui participes:[12] petere Consulatum C. Antonium,[k] quem sibi collegam fore speraret, hominem et[13] familiarem, et omnibus necessitudinibus circumventum: eo[14] Consulem initium agendi[15] facturum. Ad hoc[16] maledictis increpat[17] omnes bonos: suorum unumquemque nominans laudare; admonebat[18] alium egestatis, alium cupiditatis suæ, complures periculi aut ignominiæ, multos victoriæ Syllanæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacres videt;[r] cohortatus, ut petitionem[l] suam curæ haberent, conventum dimisit.

22. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad jusjurandum populares[1] sceleris sui[2] adigeret,[s] humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse;[m] inde cum post execrationem omnes degustavissent, sicuti in solennibus[n] sacris fieri consuevit,[3] aperuisse[4] consilium suum, atque eo, dictitare,[5] fecisse, quo inter se fidi[6] magis forent, alius alii tanti facinoris conscii.[7] Nonnulli ficta hæc,[8] multa præterea[9] existimabant ab iis, qui

[r] *Postquam videt animos omnium oratione commotos et accensos.*
[s] *Cum adigeret ad jusjurandum illos qui sceleris sui conscii erant et fautores.*

nium H. P. *Sicium* I. delet *Sitium* M.—11 *esse* K.—12 *præterea petere* A. C. *ad hoc petere* B. K. *ad hæc petere* H.—13 Abest *et* ab A. D. E. F. G. H. K.—14 [*cum eo se Consul* Havercamp.] *Consule se* H. *se consule* K. *consule initium agendi* L. M.—15 *agendi belli* A. H. *belli agendi* C.—16 *Ad hæc* H. N. *se initium consule* N.—17 *increpat* N.—18 Sic A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. [*admonere* Havercamp.]

1 *conscios sceleris sui* C. D. G. H. *socios sceleris sui* M.—2 *addiceret* B. F. *adiceret* D. E. G. H. I. K. L. N. *aduceret* M.—3 *in solemnitatibus sacris* F. *in s. s. consuevit* (deleto *fieri*) *fertur aperuisse* N.—4 *dicitur aper.* D. E. *a. c. dicitur*, deleto *suum* M.—5 *dictam rem* C. F. *dictatam rem* I. *dictitante* K.—6 *fidi magis* K. M. N.—7 *alius a. f. conscius* I.—8 *et hæc et multa* K. L. *hæc ficta et m. pr.* N.—9 *et alia multa* A. *et præterea multa alia* B. *et alia. pr. e.* M.

NOTÆ

[j] *Nucerinum*] *Nuceria ortum.* Quatuor autem Nuceriæ fuerunt in Italia.

[k] *C. Antonium*] Hic fuit Triumviri patruus.

[l] *Petitionem*] Consulatus scilicet, ut illi ambirent, &c.

[m] *Circumtulisse*] Ut singuli biberent, seu potius libarent, et leviter attingerent.

[n] *Solennibus*] Id est, *quæ certis anni temporibus fieri solerent.* In iis autem mos erat Sacerdoti, priusquam inter victimæ cornua vinum funderet, simpulo, id est, vasculo ligneo aut fictili, propinare, atque astantibus circumferre, ut pariter libarent, et de vino gustarent.

Ciceronis[o] invidiam, quæ postea orta est, leniri[10] credebant atrocitate sceleris eorum, qui pœnas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.[11]

23. Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus[1] haud obscuro loco,[2] flagitiis atque[3] facinoribus coopertus; quem Censores Senatu[4] probri gratia amoverant.[t] Huic homini non minor vanitas, quam audacia;[u] neque reticere,[5] quæ audierat, neque suamet[6] ipse scelera occultare:[7] prorsus neque dicere, neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui cum minus gratus esset, quia inopia[8] minus largiri poterat, repente glorians[9] maria montesque[10] polliceri cœpit; [11]minari[p] interdum ferro, nisi[12] obnoxia foret: postremo ferocius agitare,[13] quam solitus erat. At Fulvia insolentiæ Curii causa cognita,[14] tale periculum reipublicæ haud occultum habuit; sed, sublato auctore, de Catilinæ conjuratione quæ quoque[15] modo audierat compluribus narravit.[v] Ea res inprimis, studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat, et quasi pollui consulatum credebant,[16] si eum, quamvis egregius, homo novus[q] adeptus foret. Sed ubi periculum advenit,[17] invidia atque superbia postfuere.[w]

[t] *Quem Censores ex Senatu ejecerant, ut ipsum ignominia multarent.*
[u] *Non minor levitas et futilitas inerat huic quam audacia.*
[v] *Sed, tacito nomine Auctoris, narravit compluribus ea quæ* audiverat *de conjuratione Catilinæ, eo modo quo audiverat.*
[w] *Invidia atque superbia postpositæ fuerunt.*

—10 *leniri posse* B. C. G.—11 *est* delet N.
1 *natus* delet E.—2 *haud in loco obscuro* F. M.—3 *atque* delet C.—4 *a Senatu* A. B. F. H.—5 *poterat reticere* B. M.—6 *sua ipse* G. *suamet ipsa* H. I. *sua ipsemet* K.—7 *occultabat* M.—8 *inopia ei* K.—9 *gloriari* N.—10 *maria ac montes* M.—11 *et minari* A. C. D. F. G. H. I. K. L. M. N.—12 *ni sibi f. o.* A. G. *ni sibi o. f.* D. F. H. M. *ni foret s. o.* K.—13 *agitare se* H.—14 *agnita* C.—15 *et quomodo* B. G. H. M. N. *quomodo* C. E. I. L. *quæ quo audiverat* K.—16 *credebat* C. E. H. K. M.—17 *evenit* A.

NOTÆ

[o] *Ciceronis*] Hoc est, *quæ in eum exarsit.*

[p] *Minari*] Dicebat se eam gladio interfecturum.

[q] *Novus*] Ille novus homo dicebatur, cujus Majores amplissimis usi non essent honoribus: qui primus virtute sua Majoribus prælucebat.

24. Igitur comitiis[r] habitis, Consules declarantur M. Tullius et C. Antonius. Quod factum primo populares conjurationis concusserat.[x] Neque tamen Catilinæ furor minuebatur; sed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam sua, aut amicorum fide sumtam mutuam,[1] Fæsulas[s] ad Manlium[2] quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciendi.[y] Ea tempestate plurimos cujusque generis homines ascivisse[3] dicitur; mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentes sumtus stupro corporis toleraverant: post ubi ætas tantummodo quæstui, neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant.[t] Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare,[z] urbem incendere,[u] viros earum vel adjungere sibi,[4] vel interficere.

25. Sed in his erat Sempronia, quæ multa sæpe[1] virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atque forma, viro, liberis satis fortunata: literis Græcis atque Latinis docta:[3] psallere, saltare[4] elegantius,[5] quam necesse est probæ:[6] multa alia,[7] quæ instrumenta luxuriæ. Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit:[8] pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile decerneres: lubido sic accensa, ut sæpius[9] peteret viros, quam peteretur.[10]

[x] *Quod factum turbaverat primo conjuratos.*
[y] *Qui postea primus bellum intulit.*
[z] *Credebat se posse per eas multitudinem servorum urbanorum ad defectionem impellere.*

1 *mutuo* A. D. E. H. K. M.—2 *Mallium* M. et alii quidam.—3 *adjunxisse* I. 4 *sibi adjungere* C.

1 abest *sæpe* ab A.—2 *satis* delet N.—3 *edocta* B.—4 *psallere saltare* A. H. *psallere et cantare* M. *cantare* addit B. *et psallere, saltare* N.—5 delet *elegantius* E.—6 *probæ sciebat* C. *probæ et m. a.* D. *alicui probæ* M.—7 *præterea m. a.* A. *et multa alia* H. N. *multaque alia* K.—8 *fuere* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. (a secunda manu, sed a prima *fuit*)—9 *potius* A.—10 *peteretur a viris*

NOTÆ

[r] *Comitiis*] Comitia conventus erant Populi ad creandos Magistratus, leges ferendas, &c.

[s] *Fæsulas*] Fæsulæ, urbs Tusciæ versus Apenninum, juxta Florentiam.

[t] *Conflaverant*] Id est, *quæ se alieno ære obstrinxerant.* Gall. *Qui s'étoient endettées.*

[u] *Incendere*] Ut scilicet, per tumultum facilius esset, quos vellent, interficere.

Sed ea sæpe antehac[11] fidem prodiderat,[v] creditum[12] abjuraverat,[a] cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps[13] abierat. Verum ingenium ejus haud absurdum;[14] posse versus facere, jocum[w] movere, sermone uti vel modesto,[x] vel molli,[y] vel procaci.[z] Prorsus multæ facetiæ[a] multusque lepos inerat.[15]

26. His rebus comparatis, Catilina nihilominus in proximum annum Consulatum petebat; sperans, si[1] designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiæ[2] deerant. Namque[3] a principio Consulatus sui, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante[4] memoravi,[5] consilia Catilinæ sibi proderet. Ad hoc[6] collegam suum Antonium pactione[b] provinciæ perpulerat, ne contra rempublicam sentiret;[7] circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit,[8] et Catilinæ neque petitio,[9] neque insidiæ, quas Consulibus[10] in campo fecerat prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri: quoniam quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.

[a] *Pejerando, rem creditam negaverat.*

B. H.—11 *ante hæc* N.—12 *creditum sibi* M.—13 *in præceps* K.—14 *h. a. erat* A. B. E. K. *h. a. fuit* C. G.—15 *inerant* C. G.

1 *si consul d. f.* D. H. *si d. f. consul* G. N.—2 *doli astutiæque* H.—3 *Nam* A.—4 *de quo ante* I.—5 *commemoravi* D. K.—6 *Ad hæc* H. N.—7 *dissentiret* D. E.—8 *advenit* A.—9 *petitiones* A. C. E. F. H. K. M.—10 *q. consuli fecerat* deleto *in campo* A. B. E. H. K. M. *q. consulibus fecerat* C. Sed L. vulgatam servat lectionem.

NOTÆ

[v] *Fidem prodiderat*] Id est, *promissis cum sacramento non steterat; perfidam se præbuerat.*

[w] *Jocum*] Gall. *Elle entendoit la raillerie.*

[x] *Modesto*] Gall. *Le sérieux.*

[y] *Molli*] *Le galant.*

[z] *Procaci*] *Le langage qui est trop libre; qui n'est bon quà' des effrontées.*

[a] *Facetiæ*] Id est, *urbanitas, et gratia, decus et exculta elegantia.* Forte non male vertas Gallice, *Enjouement.*

[b] *Pactione*] Ciceroni Macedonia cum obtingeret, quæ optima erat Provincia ex commercio et mercibus Orientis, eam ille Antonio concessit, ut obsequio ipsum mitigaret, atque impediret ne contra Rempublicam machinaretur.

27. Igitur[1] C. Manlium Fæsulas[2] atque in eam[3] partem Etruriæ,[c] Septimium quendam Camertem[d] in agrum Picenum,[e] C. Julium in Apuliam[f] dimisit;[4] præterea alium alio, quem ubique opportunum credebat. Interea Romæ multa simul moliri; Consuli[5] insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis[6] hominibus obsidere: ipse cum telo esse,[b] item alios jubere: hortari, uti semper intenti paratique[7] essent: dies noctesque festinare, vigilare,[8] neque[9] insomniis[g] neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta[h] nocte conjurationis principes convocat[10] per M. Porcium Læcam: ibique multa de ignavia eorum[11] questus,[12] docet, 'se Manlium præmisisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum officere.'

28. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus,[1] et cum eo L. Vargunteius Senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem,[c] ac de improviso domi suæ imparatum confodere. Curius[2] ubi intelligit,[3] quantum periculi Consuli[4] impendeat,[5] propere

[b] *Ipse cum gladio in publicum prodibat.*

[c] *Constituerunt introire ad Ciceronem ea nocte, paulo post, sicuti salutatum ivissent.*

1 *Mallium* M. et alii quidam.—2 *Fæsulas mittit* A.—3 *in eandem* N.—4 *misit* A. B. C. D. G. K.—5 *Consulibus* C. G. I.—6 *cum armatis* B. D.—7 *parati intentique* F. K.—8 *vigilare festinare* G.—9 *neque insomniis* delet C.—10 *vocat* D. F.—11 *sociorum eorum* G.—12 *conquestus* B. *multa de ignavia questus* H.

1 *o. s. dare pollicitus est* D. *p. est* A. H.—2 Q. *Curius* E. F. H. N.—3 *intellexit* B. C. D. E. F. G. H.—4 *quantum periculi pendeat* H.—5 *inpendebat* A. B.

NOTÆ

[c] *Etruriæ*] Italiæ regio non longe a Latio, ad occasum. Hodie, *Toscane.*

[d] *Camertem*] *Ex oppido Umbriæ Camerta, aut Camerino, oriundum.*

[e] *Agrum Picenum*] In media propemodum Italia, ad mare Adriaticum. Hodie, *La marche d'Ancone.*

[f] *Apuliam*] Ad mare Adriaticum jacet, in Italiæ ora extrema fere quæ vergit ad Orientem.

[g] *Insomniis*] Insomnia est, cum quis dormire non potest.

[h] *Intempesta*] *Circa mediam noctem, cum tempus non est amplius operandi. Conticinio, Concubio.*

per Fulviam dolum, qui parabatur,[6] enunciat. Ita illi januæ[i] prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem solicitare, egestate simul, ac dolore[j] injuriæ novarum rerum cupidam: quod, Syllæ dominatione, agros bonaque omnia amiserat;[7] præterea latrones cujusque[8] generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Syllanis[9] colonis,[k] quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

29. Ea cum Ciceroni nunciarentur;[1] ancipiti[l] malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus, aut quo consilio foret, satis[m] compertum habebat, rem ad Senatum[2] refert[n], jam antea vulgi rumoribus[3] exagitatam.[4] Itaque,[5] quod plerumque in atroci negotio solet,[6] Senatus decrevit,[7] DARENT OPERAM[o] CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET. Ea[8] potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives: domi militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter, sine populi jussu, nulli earum rerum Consuli[9] jus est.

30. Post paucos dies L. Lænius senator in Senatu literas

inpenderat F.—6 *dolum qui Ciceroni parabatur* B.—7 *cujuscunque* K.—8 *amiserant* H. N.—9 *coloniis* N.

1 *nunciarent* A.—2 *defert* M.—3 *rumoribus volgi* C. D.—4 *excitatum* M.—5 *Itaque Senatus*, &c. K.—6 *solet fieri* A. E. H. M. N. *fieri solet* B. C. G.—7 *ut darent* A. C. D. F. G. N. *uti darent* B.—8 *Potestas ea* M. *Hæc ea* N.—9 *consulum* C.

NOTÆ

[i] *Janua*] Ciceronis scilicet.

[j] *Dolore*] Quod sibi a Sylla bona erepta fuissent.

[k] *Colonis*] Syllæ milites erant, quibus Hetruscorum agros diviserat, quod ii Marii partes secuti essent.

[l] *Ancipiti*] Id est, *quod ex utraque parte imminebat*.

[m] *Satis*] Ex toto hoc negotio maximum certe erat periculum. Cum enim in Senatu ipso plurimi essent, iique maxime potentes, qui conjurationi faverent, invidiosum erat homines accusare tanto favore subnixos, nisi pariter coarguerentur: deinde ipsis Reipublicæ consilia manifestabantur.

[n] *Refert*] *Referre*, est *rem agitandam in Senatu proponere*.

[o] *Darent operam*] His verbis solennibus, summum Imperium, et quasi Dictatorium Consulibus deferebatur.

recitavit, quas Fæsulis allatas[1] sibi dicebat:[2] in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem IV. Kalendas Novembris. Simul id,[3] quod[p] in tali re solet,[4] alii portenta[5] atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari,[6] Capuæ[q] atque in Apulia servile[r] bellum moveri. Igitur[7] Senati[s] decreto Q. Marcius[t] Rex Fæsulas, Q. Metellus[u] Creticus in Apuliam circumque loca missi.[8] Ii utrique ad urbem[v] Imperatores[9] erant; impediti,[10] ne triumpharent, calumnia paucorum quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Sed Prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer[w] in agrum Picenum; iisque[11] permissum[x] 'uti pro tempore atque periculo exercitum compararent:[12] ad hoc[13] 'si quis indicavisset de conjuratione,[14] quæ contra rempublicam facta erat, præmium[15] servo libertatem et sestertia[16] centum:[z] libero impunitatem ejus rei, et sestertia ducenta.'[17] Item

1 *sibi allatas.*—2 [*diceb. a Quinto Fabio* Edit. Havercamp.] delet *a Q. Fabio* A. B. C. E. F. H. I. K. L. M.—3 *simul quod* H.—4 *fieri solet* B. *solet fieri* H. C. M.—5 *portenta alii* H.—6 *arma parari* N.—7 *Senatus* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. et sic semper Mss.—8 *sunt missi* E. *missi sunt* B. C. G. M. *sunt ea loca missi* H.—9 *utrique imperatores* B. M. *Nam utrique imp.* C. N. *utrique imp.* D. G. *utrique ad urbem,* &c. K. *Hi utrique a. n.* L.—10 *impediti illi* M.—11 *permissum est* B. F. G. I. M.—12 *pararent* G. *comparent* H. 13 *Ad hæc* H. N.—14 *conjurationem indicasset* K.—15 *præmium decrevere* I. N. —16 *et sestertia centum* abest in L.—17 *ducenta millia* L. et passim alii.—

NOTÆ

[p] *Id quod*] Parenthesis est. Gall. *Comme c'est la coutume en de pareilles rencontres.*

[q] *Capuæ*] Urbs fuit Campaniæ nobilissima, mari Tyrrheno adjacens: cujus illecebris et amœnitate usque adeo captus Annibal, ut ipsius domitrix dicta fuerit.

[r] *Servile*] Id est, *quod per servos gereretur.* Gall. *Qu'on tâchoit d'y faire soulever les esclaves.*

[s] *Senati*] Pro *Senatus;* ita olim.

[t] *Marcius*] Marciorum familia ab Anco Marcio quarto Romanorum rege deducitur. Hic Consul fuit cum L. Metello, quo mortuo, et eo qui in ejus locum suffectus erat, solus Marcius Consulatum gessit.

[u] *Metellus*] Cognomen habuit a devicta Creta post Consulatum.

[v] *Ad urbem*] Quia ante triumphum urbem intrare non erat licitum.

[w] *Metellus Celer*] Hic beneficio Ciceronis, Galliam ipsi destinatam, sed in concione depositam, administravit: Consul fuit postea cum Afranio.

[x] *Permissum*] Immo et imperatum.

[z] *Sestertia*] Hujus loci si accuratiorem cognitionem habere voles, opus erit adire eos qui de ære tractarunt,

[decrevere] 'uti gladiatoriæ familiæ[a] Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro[18] cujusque opibus:[b] Romæ

18 *et pro* N.—19 *vigiliæ crebræ* B.

NOTÆ

Budæum, puta, Hottomannum, aliosque: neque enim quæcumque ab aliis bene scripta sunt opus est huc transcribere. Interim, ne omnino vacuus discedas, quantum satis erit, dicemus ad hujus loci intelligentiam. Sestertius, uti quidem plurimis ex locis colligere videor, nummus fuit primo æreus, valore duorum assium cum semisse, qui postea ex argento conflatus quinque æstimatus fuit: atque utrumque si ad monetæ nostræ Gallicæ rationem exigas, prior decem Turonensibus denariolis, paulo pluris; vel secundum alios quatuordecim, posterior duplo valebit. Verum difficultas in eo non est, cum ubique prostent Tabulæ pro monetarum æstimatione. Numerandi ratio hac in parte obscuritatem attulit, quam tamen ex pauculis sequentibus lineis intelliges. Quando numerus intra mille continetur, nulla est prorsus difficultas; rotunde et absque ulla præcisione Romani, sicut et alii, numerant: sed numerus quando mille nummos seu sestertios excedit, sæpe detruncatus est; ita ut mille pro singulis sint intelligendi. Cum summa eo quo dixi modo amplius quam mille complectebatur, tum per Genitivum pluralem *Sestertium* illam exprimebant; adeo ut *Sestertium*, et mille sestertii, sint res una et eadem. Unde factum, ut Poëtæ, ex Genitivo illo plurali, nomen genere neutro effecerint, quo tamen nisi in numero plurali non utuntur; atque ita illis singula sestertia pro mille veniunt sestertiis illis parvis a masculino sestertius, quo solo Oratores utuntur. Si vero summa esset minimum decies centenorum millium, tum adverbiis decies, vicies, centies, &c. utebantur, quæ adverbia centena millia faciebant, quamvis ea non exprimerentur. Jam res satis clara est; interim nodus unus restat explanandus; sciendum enim, an hoc Sallustii loco centum sestertii, an centum sestertium seu sestertiorum intelligantur. Hic vero opus est conjectura et judicio. Dico itaque, primo, ab aliis prolixe probatum esse hanc figuram H-S. pro minoribus sestertiis, in masculino genere, positam esse, quatenus nullus numerus, nisi qui expressus est, intelligitur; deinde venire etiam eandem figuram pro *sestertium* vel *sestertia* Poëtarum. Hoc posito, nihil facilius est quam videre, ineptum fore si Senatus, in re quæ salutem publicam respiciebat, centum sestertios, vilissimam pecuniam, decrevisset. Ergo figura hæc H-S. C. centum, hoc in loco, facit Sestertium, vel, si cum Poëtis loqui ames, Centum sestertia, id est, centena millia nummorum, seu sestertiorum: quæ ad nostram monetam, si per summam integram et solidam referas; quingentos efficient aureos dupliones; *Cinq cents pistoles.*

[a] *Familiæ*] Qui gladiatores apud unum lanistam sese exercebant, discebant, aut serviebant, ii familia dicebantur.

[b] *Opibus*] Sæpe gladiatores a privatis emti, ad tumultum et cædem: ipsi aliquando bella et quidem gravia excitaverunt: adeoque minime mirum si suspecti essent; ex urbe deducerentur; atque pro ratione virium, in municipia distribuerentur.

per totam urbem vigiliæ[19] haberentur, iisque minores[c] magistratus præessent.

31. Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies:[1] ex summa lætitia[2] atque lascivia,[d] quæ diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere: suo quisque[3] metu pericula[4] metiri. Ad hoc[5] mulieres, quibus, reipublicæ[6] magnitudine,[d] belli timor insolitus, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tollere; miserari parvos liberos; rogitare,[7] omnia pavere;[8] superbia atque deliciis omissis, sibi patriæque diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa[9] movebat: tamen etsi præsidia parabantur;[10] et ipse lege Plautia[e] interrogatus[11] ab L. Paullo.[f] Postremo dissimulandi causa, atque sui[12] expurgandi, sicut[13] jurgio[g] lacessitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Consul, sive præsentiam[h] ejus timens, seu ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem reipublicæ: quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda[14] omnia, demisso vultu, voce supplici postu-

[d] *Propter Reipublicæ magnitudinem.*

1 *Quibus rebus est p. c. a. i. u. facies* H.—2 *lascivia atque lætitia* F.—3 *quisquis* A.—4 *periculum* C.—5 *Ad hæc* H. N.—6 *pro Reip. magn.* Carrio. *Reip. pro magnitudine* N.—7 *rogitare Deos* A. B. E. F. H. M. N.—8 *pavere omnia* M.—9 *omnia movebat* A.—10 *tametsi præsidia quæ ante parabantur* M.—11 [*interrog. erat* Havercamp.] *erat* abest ab H.—12 *et sui* A. *aut sui* C. E. F. G. H. I. *ac sui* K. *aut sui purgandi* N. vulgatum approbat L. *simulandi caussa aut purgandi sui* M.—13 *quasi jurgio* L.—14 *simulanda.*

NOTÆ

[c] *Minores*] Quæstores, puta, Æediles minores, Triumviri capitales, &c.

[d] *Lascivia*] Non hic posita pro incontinentia seu obscœna libidine; sed tantum pro ludibunda, exultante, et profusa lætitia.

[e] *Plautia*] Eam tulit Plautius Tribunus plebis, adjuvantibus Catulo et Lepido, anno ante conjurationem Catilinæ 15. ut quæreretur in eos qui quovis modo Senatui, Magistratibus, immo et privatis hominibus, insidias aut vim fecissent.

[f] *Paullo*] Is postea Consul fuit.

[g] *Jurgio*] *Comme si on lui eut fait une querelle mal-à-propos.*

[h] *Præsentiam*] Timebat ne forte, cum Catilina ausus esset in Senatum venire, minus crederent Senatores quæ ipse de Conjuratione indicaverat.

lare,[15] 'Patres Conscripti ne quid de se temere crederent: ea familia ortum,[16] ita[17] ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe[i] haberet:[e] ne[18] æstimarent, sibi patricio homini, cujus ipsius, atque majorum[19] plurima[20] beneficia in plebem Romanam essent, perdita Republica opus esse,[21] cum eam servaret[j] M. Tullius inquilinus[k] civis urbis Romæ.' Ad hoc[22] maledicta alia cum adderet; obstrepere omnes,[23] hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: 'Quoniam quidem circumventus,' inquit, 'ab inimicis præceps agor, incendium meum[l] ruina restinguam.'[24]

32. Dein se ex Curia domum proripuit. Ibi multa[1] secum ipse volvens, quod neque insidiæ consuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis[2] munitam, optimum factum[3] credens,[4] exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, antecapere,[5] quæ[6] bello usui forent;[7] nocte

[e] Pergit dicere, *se esse ortum ea familia, ita instituisse vitam ab adolescentia, ut non, nisi bonam spem, de se præberet.*

—15 [*postul. a patribus conscriptis ne,* &c. Havercamp.] *p. a P. cepit* A. B. D. F. H. K. *postulare Patres cœpit* L. *p. c. a P. cœpit* M. N.—16 *dicebat se ortum* M. N.—17 *et ita se* A. *ita se* C. D. E. G. H. I. K. L.—18 *neque* A. B. G. N.—19 *suorum majorum* H.—20 *plura* F.—21 delet *esse* B.—22 [*Ad hæc* Edit. Havercamp.] *Ad hoc* I. L. M. N. *Ad hæc cum adderet alia maledicta* D. H.—23 *omnes strepere* K.—24 *vestra ruina exstinguam* A. H. *ruina vestra extinguam* M. *nostra ruina extinguam* B. *ruina vestra restinguam* C. *ruina vestri exstinguam* D. G. *ruina extinguam* E. F. N. et Carrio. vulgatam firmant K. L.

1 *multa s. v.* delet *ipse* C. E. I.—2 *vig. esse munitam* G.—3 *factu* G. H. I. K. M. N. Carr.—4 *esse credens* C.—5 [*multo antecap.* Havercamp.] *multa* A. B. C. D. E. F. G. H. K. L. N. Carr. *multo prævenire cupere ea* I. *multa occupare loca* M.—6 [*ea q. bell.* Havercamp.] *quæ bello* A. B. C. D. F. K—7 *essent*

NOTÆ

[i] *Bona in spe*] *Qu'on ne pouvoit avoir que des espérances avantageuses de lui.*

[j] *Servaret*] Id est, *servare studeret, aut servandam simularet.* Neque vero Catilinæ mens est dicere, servata opus esse Republica, aut se ejus ruinam quæsiisse.

[k] *Inquilinus*] Peregrinus, Arpino oriundus.

[l] *Meum*] Id est, *quod in me excitatum est.* Metaphora sumta ab incendiis, quæ, ut ne in dissita ædificia grassentur, ruina intermediorum, impediri solent. Intendit Catilina se pestem Reipublicæ, aut saltem inimicis importaturum, potius quam periturum. Ceterum auctoritate Ciceronis contendunt, non istud in Senatu a Catilina dictum fuisse; sed eum Catoni ante comitia Consularia Judicium minitanti, respondisse volunt, si quod esset in fortunas suas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.

intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo, ceterisque quorum cognoverat[8] promtam audaciam, mandat,[9] quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent,[10] cædem, incendia, aliaque belli facinora parent:[11] sese[12] prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum.[13] Dum hæc Romæ geruntur C. Manlius ex suo[14] numero ad Marcium Regem mittit,[f] cum mandatis hujuscemodi.

33. 'Deos hominesque testamur, Imperator, nos[1] arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus,[g] sed uti corpora nostra ab injuria[2] tuta forent;[3] qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patriæ,[4] sed omnes fama atque fortunis[5] expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege[m] uti, neque, amisso patrimonio, liberum corpus[n] habere: tanta sævitia fœneratorum atque Prætoris[6] fuit. Sæpe majores vestrum miseriti[7] plebis Romanæ decretis suis inopiæ

[f] *Manlius mittit quosdam ex suis militibus legatos ad Q. Marcium Regem.*
[g] *Neque ut alios in discrimen adduceremus.*

M.—8 *q. p. a. noverat* A.—9 *ut quibus* C. D. N. *quibus possent modis* I. *quibus* delet M.—10 *maturarent* A.—11 *pararent* K. M.—12 *seseque* G. M.—13 *adventurum* G. M.—14 *sui nomine* G.
1 *neque arma* A.—2 *ab injuriis* H.—3 *essent* D.—4 *patria* H. M. N. Carr. —5 *fortuna* A.—6 *Prætorum* G.—7 *miserti* M. N.—8 *ære c. s. est* K. *ex*

NOTÆ

[m] *Lege*] Papiria, aut quavis alia, quæ civibus adversus fœneratores consuleret; ne illi in debitores sævirent, eos ligarent, aut alio modo vexarent.

[n] *Liberum corpus*] Lex fuit duodecim tabularum atrocissima contra perfidiam debitorum, qua, non tantum illi vinciri, sed etiam in partes secari, ab iis quibus adjudicati essent, licitum erat. Illam eo fine paraverant, ut ne, perfidia debitorum, subsidium pecuniæ mutuatitiæ, quo communis hominum vita indiget, inopiæ temporariæ adimeretur. Quoniam vero sævitia ista pœnæ non quita est non contemni, quenquam dissectum esse antiquitus, Gellius testatur, se nec legisse, nec audivisse: hinc factum ut situ et senio, tum etiam legibus subsequentibus, de ista acerbitate detractum fuerit. Ligari corpus debitorum non pariter in desuetudinem abiit: nam, pro moribus et temporibus Reipublicæ, plebem hac de re conquestam esse, cum ex aliis locis, tum ex hac Manlii epistola omnino conspicimus.

opitulati sunt:[o] ac novissime memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære[p] solutum est.[8] Sæpe ipsa plebes[9] aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus[q] secessit. At nos non imperium neque[10] divitias petimus; quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt; sed libertatem, quam nemo bonus,[r] nisi cum anima simul, amittit.[11] Te atque[12] Senatum obtestamur, [13]consulatis[s] miseris civibus; legis præsidium, quod iniquitas Prætoris eripuit, restituatis; neve[14] eam necessitudinem[15]

communi ære est solutum A. *ex communi ære s. e.* B. D. E. *s. e. ex c. æ.* F *comm. æ. s. e.* G. *s. est ex c. æ.* H.—9 *plebs* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. et sic semper Mss.—10 *non* H.—11 *amisit* A. B. H.—12 *Te igitur* G. —13 *ut consulatis* A. B. E. *obtestor ut consulatis nobis m. c.* M.—14 [*neve nobis eam* Havercamp.] *nobis* abest C.—15 *necessitatem* B.

NOTÆ

[o] *Opitulati sunt*] Fœnus cum pro libitu non semel auctum fuisset, aliquando etiam tribunitia rogatione diminutum est adeo, ut non tantum ex unciario, quod cautum fuerat duodecim tabulis, semunciarium, in singulos menses, factum sit, sed omnino lege L. Genutii Tribuni plebis sublatum.

[p] *Ære*] Hic per æs nonnulli æs commune, seu ærarium intelligunt; atque arbitrantur ex publicis pecuniis expedita fuisse nomina hominum privatorum; quod ut firment, aliquid simile ex Livio, multo ante tamen actum, proferunt. At certe, cum de ista nostra solutione nullum vestigium, quod quidem sciam, aut ab illis indicetur, uspiam appareat; non modo de re ipsa dubius hæreo, sed utut maxime vera esset, eam Manlii verbis significari non equidem arbitratus fuero. Potius est ut credam, hoc in loco, quamvis obscure, illud indicari tamen quod præstitit Valerius Flaccus in Marii locum suffectus, qui, ut refert Paterculus lib. II. turpissimæ legis auctor fuit, qua creditoribus quadrantem solvi jussit. Si enim verum est, uti quidem libentissime credo, quod alicubi testatur Lambinus in commentariis ad Horatium, se sestertium vidisse argenteum V signatum, id est, ut ille exponit, valore quinque assium, nullus dubito quin ad illud respexerit Manlius, cum as qui æreus est, nequidem quartam partem faciat sestertii, qui argenteus fuit; idque tam egregie ad ejus scopum pertineat. Atque ita tempora optime convenient; et vere dixerit Manlius *memoria vestra*, cum antea viderimus superstites Syllanos milites, Valerium in Marii locum subrogatum, nec quenquam lateat Syllam et Marium coævos fuisse.

[q] *A patribus*] A senatu et potentioribus; quod quidem ter aut quater factum fuisse legimus, seu libertatem, seu pudicitiam, seu natalium dignitatem, seu honorum decora et insignia Populus vindicaverit; ut loquitur Florus.

[r] *Bonus*] Id est, *cordatus.*

[s] *Consulatis*] Id est, *eorum rationem habeatis, ipsis prospiciatis, et ruinam avertatis.*

imponatis, ut quæramus, quonam modo, ulti maxime sanguinem nostrum, pereamus.'

34. Ad hæc[1] Q. Marcius:[2] 'Si quid ab Senatu petere vellent,[3] ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur: ea mansuetudine atque misericordia Senatum[4] Populumque Romanum semper fuisse,[h] ut nemo unquam ab eo frustra[5] auxilium petiverit.'[6] At Catilina ex itinere[t] plerisque Consularibus,[u] præterea Optimo cuique literas[7] mittit: 'Se falsis[8] criminibus circumventum, quoniam[9] factioni inimicorum resistere nequiverit,[10] fortunæ cedere,[i] [11] Massiliam[v] in exilium proficisci: non quo[12] sibi tanti sceleris conscius;[k] sed uti respublica quieta foret; neve ex sua contentione seditio oriretur.' Ab his longe diversas [literas][13] Q. Catulus in Senatu[14] recitavit, quas sibi[15] nomine[w] Catilinæ redditas[16] dicebat. Earum exemplum[x] infra scriptum.

35. 'L. Catilina Q. Catulo S.[1] Egregia[a] tua fides re cognita, gratam[b] in magnis[c] periculis fiduciam[d] commendationi

[h] Dicit, *Senatui et Populo Romano talem misericordiam atque mansuetudinem semper fuisse, ut, &c.*
[i] Dicit, *se circumventum falsis criminibus et accusationibus, cedere fortunæ.*
[k] *Non ideo quod sibi conscius esset tanti sceleris.*

1 *Ad hæc dicta* F.—2 *Q. Marcius Rex* B.—3 *velint* D. H. *si quid ab Senatu velint* deleto *petere* M.—4 M. in marg. Alii *Senatum p. R.*—5 *a. frustra peteret* A.—6 M. in marg. Alii *petiverit*.—7 Abest *literas* C.—8 *Falsis se* A.—9 *et quoniam* N.—10 *nequiverat* A.—11 *Massiliam* abest K.—12 *non quod* H.—13 *literas* abest K.—14 *in senatum* N.—15 *sibi* delet G. *sub nomine* B. D. E. H. M.—16 *allatas* B.

NOTÆ

[t] *Ex itinere*] Postquam Roma discesserat; ex locis ubi commorabatur.

[u] *Consularibus*] Illis qui Consulatum gesserant ideo scripsit Catilina, quod major eorum in Senatu auctoritas esset, primique sententiam suam dicerent.

[v] *Massiliam*] Urbs est Galliæ Narbonensis maritima, quæ et antiquissima; a profugis ex Ionia Phocensibus condita. Hodie *Marseille.*

[w] *Nomine*] Gall. *De la part.*

[x] *Exemplum*] Gall. *La copie.* Atque ipsius Catilinæ propria esse verba arbitror; cujus ut mens, ita stylus perplexus est.

[a] *Egregia*] Id est, *excellens, cuique vix similis reperiatur.*

[b] *Gratam*] Id est, *jucundam;* sed istud ita intelligendum est, ut grati animi testificationem involvat. Gall. diceremus, *Dont je vous suis obligé.*

[c] *Magnis*] Catuli enim gratia fultus maxime, cum incesti cum Fabia virgine Vestali accusatus esset, judicium effugit.

[d] *Fiduciam*] Id est, *facit ut confidam, tibi commendans meas fortunas.*

meæ[e] tribuit. Quamobrem[f] defensionem in novo consilio[g] non statui[h] parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam[i] me Dius fidius[k] veram licet agnoscas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriæque meæ privatus, statum[l] dignitatis[2] non

1 *s.* abest ob omnibus Mss.—2 *dignitatis meæ* G.—3 *non quod* B. D.

NOTÆ

[e] *Meæ*] Id est, *qua ego fortunas meas tibi committo.*

[f] *Quamobrem*] Locum maxime difficilem nobis fecit mens Catilinæ scelerata et perturbata, cui insuper tenebras offuderunt variæ eodem congestæ commentationes. Quidam istud *quamobrem* ad præcedentia, alii ad sequentia referunt, idque totum diverse connectunt: prolixus essem si omnia conarer excutere; adeoque id tantum proferam quod magis probatum fuerit. Castilioneus ita exponit, *Decrevi proponere satisfactionem ex nulla conscientia de culpa, quamobrem non statui parare defensionem in novo consilio. Id est, decrevi purgare me apud te, cum nullius mihi delicti conscius sim, cur Romæ causam non dixerim, meque defenderim ab inimicorum calumniis.* Agnosco equidem hanc expositionem non multum ab ipsis Auctoris verbis recedere; at certe vereor ejus ut mentem satis assequatur. Itaque pauculis rem, ut videtur, expedio: *Ob eam rem, et quia tibi confidendum esse experientia didici, ego discessi, nec statui me defendere in Senatu denuo convocato. Non enim decrevi me expurgare, aut satisfactionem proponere, cum nullius culpæ sim mihi conscius: atque ita esse facile cognosces, si mecum statum et rationes meas velis perlustrare.* Pergit porro Catilina, atque sigillatim ostendere conatur, illud sibi minime vitio vertendum esse quod a Senatu maxime reprehendebatur. Dicet forte aliquis, me particulam negantem ex longinquo in meam explicationem retraxisse; aliquid etiam addidisse; quivis quidlibet objiciet. Unum omnibus respondeo, Quorsum iret, aut quid ageret, quem conscientia et lictores insectarentur, Catilinam nescivisse; adeoque opus esse gradus ipsius firmare, quodque minus exposuit, apertius declarare.

[g] *Consilio*] Per *consilium novum*, illud præsertim intelligendum est quod de discessu et bello patriæ inferendo tunc tantum vult videri iniisse Catilina, cum ante alia omnia simulasset.

[h] *Non statui*] *Immo contra libere fateri, quod et acriter persequar, quanquam id mihi crimini vertant, me scilicet causam miserorum suscepisse.*

[i] *Quam*] Me scilicet nullius culpæ esse conscium.

[k] *Fidius*] Arbitratur ex Festo doctissimus Vossius, *Me-dius-fidius* juramentum esse per Herculem Jovis filium; ita ut *dius* positum sit pro Græco διὸς, quod *Jovis* significat; et *fidius* pro *filius* mutato L in D, more antiquo; *me* vero pro Græco μὰ, quod est adverbium jurandi. Confirmat eam sententiam ex Varrone et Tertulliano, qui Dium-fidium, Græcis Herculem esse dicunt. Alii alia, quibus non assentior.

[l] *Statum*] Id est, *ex eo gradu dignitatis, ad quem mea virtute assurrexeram, dejiciebar.* Equidem, cum ille tanta familia, et tantis animis esset, post Præturam, non abs re, si bonus

obtinebam, publicam miserorum causam, pro mea consuetudine suscepi: non[3] quin æs alienum[m] [4]meis nominibus[n] ex possessionibus solvere[5] possem[6]; cum alienis[7] nominibus[o] liberalitas Orestillæ[8] suis filiæque copiis persolveret:[9] sed quod non dignos[10] homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum[p] sentiebam. Hoc nomine[q] satis honestas pro meo casu[r] spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. Plura[11] cum scribere vellem, nunciatum est,[12] vim mihi[13] parari. Nunc Orestillam[14] commendo tuæque fidei trado. Eam[15] ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. Aveto.'

36. Sed ipse paucos[1] dies commoratus apud C. Flaminium Flammam[2] in agro Arretino,[s] dum vicinitatem, antea solicitatam,[3] armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit.[4] Hæc ubi Romæ comperta; senatus ' Catilinam et Manlium hostes judi-

H. *non quia* E. F. K. L.—4 *ideo sumtum æs alienum* H.—5 *m. nominibus sumtum* A. D. *sumtum m. n.* E. *non quia alienum æs sumptum ex m. n.* M. *non quia æs alienum m. n. ex p. s. non p.* N.—6 *non possem* C. D. E. G. K. L. *non p. s.* H.—7 *cum et sumtum* A. [*cum et alienis* Edit. Havercamp.] *cum alienis, &c.* B. *cum ex a. n.* M. *cum ex alienis* deleto *nominibus* N.—8 *Aureliæ Orestillæ* H. M. Carrio.—9 *debitum persolveret* G. *persolvere posset* M.—10 *indignos* E.—11 *Plurima* A. F.—12 *nunciatum est mihi v. p.* E.—13 *m. vim p.* A. B. D. H. I. M. N.—14 [*Orest. tibi com.* Havercamp.] *tibi* abest a C. D. E. H. I. L. M. N.—15 *ut eam* B. F. *eam ut* G. N. *ut ab injuriis* M.—16 [*Haveto* Havercamp.] *Aveto* M.

1 *per paucos* A. B. G. H. N. *ipse Catilina paucos dies moratus* M.—2 *Flammam* abest ab A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. Carr. &c.—3 *dum civitatem ante solicitam* M. *dum in civitate juventutem ante solicitatam* N.—

NOTÆ

fuisset, ad Consulatum aspirasset.

[m] *Æs alienum*] *Pecuniam mutuo sumtam.* Hinc vero satis constat arma movendi unum et eundem Conjuratis fuisse prætextum; violentiam nempe fœneratorum.

[n] *Meis nominibus*] *En mon nom; sous mon propre seing.*

[o] *Alienis nominibus*] Intelligo de pecunia sumta a Catilina, prædibus et sponsoribus amicis; illud enim ab ipso factum fuisse supra vidimus: atque ita sumendum esse non difficile esset ostendere, si tanti haberetur.

[p] *Alienatum*] *Rejectum.* Gall. *Disgracié, Rendu suspect.*

[q] *Hoc nomine*] Id est, *Ea causa; præsertim vero quod me suspicione falsa alienatum sentio, postquam Cicero atroci criminatione innocentiam meam ad Senatum divexavit.*

[r] *Pro meo casu*] Id est, *pro eo statu in quo ego sum.* Gall. *Vu l'état où je me trouve.*

[s] *Arretino*] Quidam legunt *Reatino;* nam Reate urbs fuit in Sabinis,

cat; ceteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude[5] liceret ab armis discedere,[l] præter[t] rerum capitalium[v] condemnatis.'[6] Præterea decernit,[7] 'uti Consules delectum[w] habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet;[8] Cicero urbi præsidio sit.'[9] Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile[x] visum: cui cum ad occasum ab ortu solis omnia[y] domita armis[10] paterent; domi otium atque divitiæ, quæ prima[z] mortales putant, affluerent; fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus[a] Senati[11] decretis ex tanta multitudine, neque præmio inductus[12] conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium[13] discesserat.[14] Tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

37. Neque solum illis aliena[b] mens erat, qui conscii conjurationis;[1] sed omnino cuncta plebes[2] novarum rerum studio Catilinæ incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quis opes nullæ sunt, bonis[c] invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant;

[l] *Præscribit diem ceteræ multitudini, ante quam liceret impune discedere ab armis.*

4 *tendit* I.—5 *sine fraude liceat* B. *s. f. liceret* H. K. M. N.—6 *condemnatos* H.—7 *decrevit* H.—8 *maturaret* E. H.—9 *foret* H.—10 *armis* abest B.—11 *Senatus* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. M. N.—12 *quisquam inductus* A.—13 *omnium* delet E. *hominum* H.—14 [*decesserat* Edit. Havercamp.] *discesserat* M. N.
1 [*conjurat. fuerant* Havercamp.] *Catilinæ fuerant* H. *erant* K.—2 *plebs* Mss.

NOTÆ

Roma prorsus ad Septentrionem. *Rieti* vocatur in novis tabulis Geographicis.

[t] *Præter*] Adverbium est. Gall. *Excepté.*

[v] *Capitalium*] Id est, *rerum aut criminum, quæ capitis pœnam arcessunt, vel morte multantur.*

[w] *Delectum*] Id est, *milites deligerent, et ad militiam conscriberent.* Gall. *Qu'ils levassent des troupes.*

[x] *Miserabile*] Id est, *miseratione dignum.* Gall. non dicas *misérable,* sed, *digne de compassion.*

[y] *Omnia*] Hyperbole est, eo, quo volunt Auctores, sensu intelligenda; ut, scilicet, quascumque terras Romani cognoscerent, eæ ipsorum subirent aut venerarentur imperium.

[z] *Prima*] Id est, *præcipua et excellentissima.*

[a] *Duobus*] Prius vidimus, ubi agitur de sestertiis, posterius vero, ubi dies statuitur ante quam sine fraude liceret ab armis discedere.

[b] *Aliena*] *Aversa a bono Reipublicæ; Alienata.*

[c] *Bonis*] *Iis qui in Republica poten-*

odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura[d] aluntur:[m] quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes,[3] ea vero præceps[e] ierat[4] multis de causis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime præstabant;[5] item alii[6] per dedecora[f] patrimoniis amissis; postremo omnes,[7] quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, sicuti[9] in sentinam,[g] confluxerant. Deinde multi[10] memores Syllanæ victoriæ, quod ex gregariis[h] militibus alios Senatores videbant, alios ita divites,[11] uti regio victu atque cultu ætatem agerent, sibi quisque, si in armis forent, ex victoria talia sperabant.[12] Præterea juventus, quæ in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat,[n] privatis[i] atque publicis[k] largitionibus excita,[13] urbanum otium ingrato[l] labori prætulerant: eos atque alios[14] omnes[m] malum[15] publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentes, malis[16] moribus, maxima spe,

[m] *Aluntur sine cura inter turbas et seditiones.*
[n] *Quæ toleraverat inopiam fructu laboris sui.*

omnes, et sic passim.—3 *plebs* Mss. omnes, et sic passim—4 *erat* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—5 *præstabat* L.—6 *alii qui* N.—7 *omnis* M. *omnes* delet H. *omnes pauperes* G.—9 *sicut aqua in sentinam* H. N. *sicut aquæ in s.* M.—10 *multi mortales* H.—11 *alios divites* A.—12 *victoria sperabat talia* M. *vict. t. sp.* N.—13 *excitata* C. F. H. I. K. *exc. urbana otia*, &c. M.—14 *omnis* abest a B.—15 in textu *commune malum.* in marg. *publicum malum* M.—16 *inbuti m. m.* D.—17 *Ad hæc* N.—18 *Senatus* A. B. C. D. E. F. G. H. K. L.

tes sunt et florentes.

[d] *Sine cura*] Rerum suarum scilicet, quia nihil possident: deinde etiam de iis minus soliciti quæ in usum quotidianum requiruntur; cum hinc inde quælibet, per turbam, rapiant.

[e] *Præceps*] *Cæco impetu ad Catilinam defecerat, et ipsius incœptis favebat.*

[f] *Per dedecora*] Id est, *flagitiose.* Jam sæpius vidimus Sallustium adverbiis non ita libenter uti, sed ea per præpositionem et substantivum exprimere solitum esse.

[g] *Sentinam*] Proprie est *sentina* pars navis infima, in quam sordes omnes defluunt. Hic metaphorice sumitur pro improborum receptaculo.

[h] *Gregariis*] Id est, *infimis, quorum laus nulla est.*

[i] *Privatis*] *Quæ a privatis hominibus fiebant, ut Populi gratiam aucuparentur, et ejus suffragia demererentur.*

[k] *Publicis*] Frumenta enim in populum publice distribuebantur: deinde donationes publice in ludis a quibusdam Magistratibus fiebant.

[l] *Ingrato*] Id est, *ex quo quantum illi vellent non capiebant.*

[m] *Omnes*] Ejusdem generis, supple;

reipublicæ juxta ac sibi consuluisse.[n] Præterea quorum, victoria Syllæ, parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum[o] erat, haud sane alio[p] animo belli eventum expectabant. Ad hoc,[17] quicumque aliarum atque Senati[18] partium erant, conturbari rempublicam, quam [19]minus[q] valere ipsi malebant. Id adeo[20] malum[r] multos[s] post annos in civitatem[21] reverterat.

38. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso Consulibus tribunicia potestas restituta;[t] homines adolescentes, [summam[u] potestatem nacti] quibus ætas animusque ferox, cœpere, Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiendo, atque pollicitando[1] magis incendere; ita[2] ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, Senati[v] specie[3] pro sua magnitudine. Namque, uti paucis absolvam, per[4] illa tempora quicumque Rempublicam agitavere,[5] honestis nominibus,[w] alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo Senati[6] auctoritas maxima

quam Senatus I. M. *partium quam Senatus* A. *partium atque Senatus* B.—19 *minus* delet N.—20 *id malum* A. K. *ideo malum* L.—21 *in civitate* B.

1 *pollicendo* A. B. D. F. H. K. M.—2 *Itaque i. c. p. f. nitebantur* M.—3 *Senatus sub specie* A. C. D. E. H. M. *sub Senatus specie* B. *Senatus specialiter* L.—4 *post illa t.* G. H. I. K. M. N.—5 *exagitavere* H.—6 *Senatus* (et sic semper) A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L.

NOTÆ

quos appellare nihil attinet.

[n] *Consuluisse*] Id est, *non majorem Reipublicæ, quam suarum rerum curam habuisse*: vel, *Reipublicæ commodum suumque idem fecisse.* Gall. *Ne prenoient pas d'autres mesures pour la République que pour eux. Confondoient l'intérêt du public avec le leur.*

[o] *Imminutum*] Sylla enim Proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit.

[p] *Alio*] Id est, *adepta victoria se quoque quosvis spoliaturos sperabant.*

[q] *Quam minus*] *Que de perdre la moindre chose de leur crédit.*

[r] *Malum*] Dissensiones intellige, quæ Senatui cum populo intercedebant.

[s] *Multos*] Tribunitiam potestatem Sylla ante aliquot annos ita disjecerat, ut Tribunis solum et nudum jus intercedendi reliquisset.

[t] *Restituta*] Ab ipso Pompeio, ut Populi gratiam promereretur; cujus facti mox ipsum pœnituit.

[u] *Summam*] A prima institutione summa non fuit, quamvis Sacro-sancta dicta potestas Tribunitia: verum eo usque progressa, et limites transgressa est, ut convocare Senatum, dimittere ab aliis convocatum, Tribuni aliquando ausi sint.

[v] *Senati*] Id est, *cum pro Senatus dignitate se certare simularent, pro sua quisque gloria nitebantur.*

[w] *Nominibus*] Sic solent homines;

foret, bonum publicum simulantes,[o] pro sua quisque potentia certabant. Neque modestia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

39. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum[x] atque Mithridaticum[y] missus; plebis opes imminutæ,[1] paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia[2] tenere: ipsi innoxii,[z] florentes, sine metu ætatem[3] agere, ceteros judiciis[a] terrere,[3] quo plebem[b] in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis[c] rebus novandis spes oblata, vetus certamen[d] animos eorum arrexit.[5] Quod si primo[e] prælio Catilina superior, aut æqua manu discessisset: profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset,[f] imperium atque libertatem extorqueret.[6] Fu-

[o] *Quicumque turbaverunt Rempublicam illis temporibus, eam* turbaverunt *honesto prætextu.*

1 *imminutæ sunt* A. B. D. E. F. M.—2 *omnia* delet H.—3 *vitam agere* M.—4 *terere* N.—5 *erexit* K.—6 *eriperet* L.—7 abest *tamen* ab I.—8 [*ad Cat.*

NOTÆ

vel, quod mali faciunt occultum habent; vel, palam si audent, virtutis specie et nomine obtrudunt: adeoque per fraudem pleraque conantur et exequuntur.

[x] *Maritimum*] Adversus Cilices, qui etiam a Mithridate sustentabantur. Hoc bellum Piraticum vocatur in Flori titulis.

[y] *Mithridaticum*] Mithridates Rex fuit Ponti, in Asia, qui longum et grave bellum adversus Romanos sustentavit.

[z] *Innoxii*] Passive, quibus nemo nocere audebat: nam *innoxius* active etiam dicitur pro eo qui nemini nocet.

[a] *Judiciis*] *Condemnationibus, aut certe earum periculo.*

[b] *Quo plebem*] Locus obscurus. Sic intelligo. Pauci, qui omnia ad libitum inflectebant, Tribunos præsertim, judiciis et condemnationibus terrebant, ut ne illi plebem exagitarent, sed eam placidam et obsequentem efficerent.

[c] *Dubiis*] *Seditionibus*, quibus Respublica in dubio et discrimine ponitur; quibusque pro imperio ita certatur, ut penes quos futurum sit, lateat.

[d] *Certamen*] Quod Patricios inter et plebem per Tribunos intercedebat.

[e] *Primo*] Cave hinc concludas sæpius cum Catilina prælium commissum esse: semel enim et in perpetuum armis cum ipso certatum est. Dicit tantum, maximum futurum periculum, si superior, aut æqua manu discessisset; quia videlicet plurimi ad ipsum confugissent.

[f] *Qui plus posset*] Tertius aliquis ex Republica, Crassus forte, Pom-

ere[7] tamen[g] extra conjurationem complures, qui ad Catilinam profecti sunt: in his[9] A. Fulvius, senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari jussit.[h] Iisdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscumque moribus[10] aut fortuna[i] novis[11] rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios solicitabat; neque solum cives, sed cujusquemodi[12] genus hominum, quod modo [bello] usui foret.

40. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum[k] requirat;[l] eosque, si possit, impellat ad societatem belli: existimans publice[m] privatimque ære alieno oppressos, præterea, quod natura gens Gallica[1] bellicosa esset, facile eos ad tale consilium[2] adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus, plerisque principibus notus erat, atque eos noverat: itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens[3] ejus casum[n] requirere cœpit, 'quem exitum tantis malis sperarent?' Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum,[4] quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium

initio prof. Havercamp.] *in initio* F. H. M.—9 *In iis Fulvius* M. prænomen *A.* passim abest a Mss.—10 *fuisse malis moribus* A.—11 *dubiis novandis* M.—12 *sed cujuscunque modi* E. M. N. *sed etiam cujuscunque modi* H.

1 *gens Gallorum* D.—2 *negotium* B.—3 *condolens* C. D. L.—4 *et quod* G.—

NOTÆ

peius, Cæsar: nisi insuper tantam fuisse pestem Sallustius arbitratus est, ut etiam per hanc conjurationem, exhausta Respublica nudum, regibus et exteris hostibus, latus porrigeret.

g *Tamen*] Transitio est.

h *Jussit*] Patria potestate, quæ antiquis temporibus maxima erat in filios; ut major esset quam in servos: tametsi postea de rigore tanto eo usque detractum est, ut, patres filios contumaces judici, qui fere ex eorum præscripto pœnas infligeret, offerrent.

i *Fortuna*] Adversa scilicet et duriore.

k *Allobrogum*] Populi erant lacus Lemanni accolæ et Rhodani. *Les Savoyards, les Dauphinois, et les Bressans.*

l *Requirat*] Id est, *quærat sedulo, et ad belli societatem adducat.* Gall. *Qu'il les cherchât soigneusement, et qu'il tâchât de les gagner.*

m *Publice*] Propter tributa et vectigalia quæ Romanis victoribus persolvebant.

n *Casum*] Quod ita scilicet, Magistratuum avaritia opprimerentur. Gall. *Plaignant leur malheur.*

mortem[5] expectare: 'At ego,' inquit, 'vobis, si modo viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala[6] effugiatis.' Hæc ubi dixit, Allobroges in maximam spem adducti, Umbrenum orare,[7] uti sui misereretur:[8] nihil tam asperum, neque tam difficile, quin[9] cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit;[10] quod foro propinqua, neque aliena consilii, propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma[11] aberat. Præterea Gabinium arcessit, quo major auctoritas sermoni inesset: eo præsente conjurationem aperit: nominat socios, præterea multos cujusque[12] generis innoxios;[o] quo legatis animus amplior esset: dein[13] eos pollicitos operam suam dimittit.

41. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. In altera[p] parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in[1] altera[q] majores opes,[r] tuta consilia, pro incerta spe, certa præmia. Hæc illis volventibus,[p] tandem vicit fortuna[s] reipublicæ. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio[t] civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam [consilio] cognito, legatis præcepit,[2] studium[3] con-

[p] *Cum hæc illi animo reputarent.*

5 *morte* A. *mortemque* D. *mortem spectare* M. N. et Carr.—6 *cuncta mala* L. [*tanta ista mala* Havercamp.] *tanta ista mala* M. N. et Ed. Grut.—7 *orare cœperunt* B.—8 *misereatur* K.—9 *quod non c. e. f.* A. E. *quod non c. f. e.* B. C. D. H. I. L. M. *quod cupidissime facturi non essent* K.—10 *perduxit* G.—11 *Roma aberat* D. E. F. I. K. L. M. N.—12 *utriusque* A.—13 *dein ita* M. *deinde eos* N. —14 [*domum dimittit* Havercamp.] *domum* abest a K.

1 *In altera parte* H. M.—2 *præcepit* A. B. C. E. F. G. H. I. K. L. M. N. et

NOTÆ

[o] *Innoxios*] *Viros bonos, qui conjurationis conscii non erant.* Atque ideo eos nominabant conjurati, ut in validissimas partes confugere se Allobroges crederent.

[p] *Altera*] Si nimirum, a conjuratorum partibus starent; credere enim erat se ære alieno, per eos victores, liberatum iri, &c.

[q] *Altera*] Si Romanis fidem servarent.

[r] *Majores opes*] In fide permanendum esse hæ rationes suadebant; potentia maxima Reipublicæ, (neque enim plurimos videbant inter conjuratos, qui multum valerent.) tuta consilia, &c.

[s] *Fortuna*] *Urbis genius*, qui Romæ publice colebatur.

[t] *Patrocinio*] Romæ habebant sin-

jurationis vehementer[4] simulent,[q] ceteros[u] adeant, bene polliceantur; dentque operam, uti eos quam maxime manifestos[5] habeant.

42. Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore[v] atque ulteriore, item in agro Piceno,[1] Bruttio,[w] Apulia motus[x] erat.[2] Namque illi, quos antea Catilina dimiserat,[y] inconsulte ac veluti per dementiam [cuncta simul[z]] agere:[4] nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando[5] omnia plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures[6] Q. Metellus Celer Prætor ex Senati[7] Consultu,[a] causa cognita, in vincula conjecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat.

43. At Romæ Lentulus, cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur,[1] magnis copiis, constituerant,[2] uti, Catilina in agrum Fæsulanum cum venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus[b] Ciceronis, bellique gravissimi[3] invidiam[c] optimo

[q] *Legatis præcipit ut maxime simulent se ad conjurationem propensos esse.*

Ed. Carr.—3 [*ut stud.* Havercamp.] *uti* Ed. Carr.—4 *simuletur* B.—5 *manifestatos* A.

1 *Brutio* abest C. *Bruttio et Apulia motus belli erat* N.—2 *erat armorum* H.—3 [*nam* Havercamp.] *Namque* G. L. M.—4 [*agebant* Havercamp.] *agere* Carr.—5 *agendo* K.—6. *quam pluris* M.—7 F. et quidam alii *ex sociis*: ita H. et K. *ex sociis Catilinæ* N.

1 [*ut videbatur* Havercamp.] delet M.—2 *ut constituerat* M. *fuerat* G. *erat* K.

NOTÆ

gulæ civitates suos Patronos, in quorum clientela essent; per quos etiam negotia sua curarent.

[u] *Ceteros*] Conjuratos scil.

[v] *Citeriore*] Ea est quæ Italiæ proxima; Ulterior quæ trans Alpes.

[w] *Bruttio*] Calabria est inferior, in Italiæ extremo angulo Orientali, ad meridiem.

[x] *Motus*] Bellicus scil. *Des soulèvemens.*

[y] *Dimiserat*] *In diversas partes miserat*, qui sibi socios adjungerent.

[z] *Simul*] Prudentibus, contra, omnia divisa sunt temporibus.

[a] *Senati Consultu*] Ita enim malim legere, quam, ut habent alii, *ex sociis*, quod invectum ex compendiaria scribendi ratione. Si tamen retineas *ex sociis*, intellige quosdam ex illis nebulonibus, festinatione sua deprehensos, conjurationem et socios manifestos fecisse.

[b] *Actionibus*] *De querelis adversus conjuratos in Senatu habitis.* Gall. *Des procédures.*

[c] *Invidiam*] Ita ut ille, querimoniis suis, belli auctor videretur.

Consuli imponeret; eo signo,[4] proxima nocte cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exequerentur. Sed ea divisa[d] hoc modo dicebantur: Statilius, Gabinius uti cum magna manu duodecim simul[5] opportuna loca urbis incenderent, [6]quo tumultu facilior[7] aditus ad Consulem, ceteros, quibus insidiæ parabantur, fieret.[r] Cethegus Ciceronis januam obsideret, eum vi[8] aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars, parentes interficerent; simul, cæde et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent.[9] Inter hæc parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando[e] magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto,[10] in tali periculo opus esse: seque, si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum.[11] Natura ferox, vehemens, manu promtus, maximum bonum in celeritate putabat.

44. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium[h] ceteros conveniunt;[1] ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant[2] jusjurandum, quod[3] signatum[i] ad cives perferant:[4] aliter haud facile eos ad tantum negotium[5] impelli posse. Ceteri nihil[6] suspicantes dant:[k] Cassius semet eo[l] brevi venturum pollicetur,[7] ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus [cum his] T. Vulturcium

[r] *Ut per tumultum aditus esset facilior ad Consulem et reliquos quibus insidiæ parabantur.*

—3 *gravissimam* A. E. F. H. K. N.—4 *eo signo dato* B. C. *eo dato signo* D.—5 *simul* abest a K.—6 *a quo tumultu* B.—7 *facilius* A.—8 *vi* abest a K. *ut aggr.* N.—9 *erumperetur* H.—10 *consultando* I.—11 *facturum dicebat* A.

1 *convenerunt* H.—2 *postulabant* A. D.—3 *quod ad s. c. signatum perferant* E.—4 *proferant* F. *præferant* M.—5 *facinus* K. *n. i. p. dicebant* N.—6 *n. s. mali* N.—7 *pollicebatur* H.—8 *confirment* K.—9 *Ipse Lentulus* A.—10 *Qui sum ex*

NOTÆ

[d] *Divisa*] Id est, *Unusquisque sibi hoc aut illud exequendum receperat.*

[e] *Prolatando*] *En tirant de long; en différant.*

[g] *Sed*] Transitio est.

[h] *Per Gabinium*] Legatos ille ad conjuratos introducebat.

[i] *Signatum*] Signum seu sigillum apposuerunt. *Signatum; Cacheté.*

[k] *Dant*] Jusjurandum, scilicet, signo confirmatum.

[l] *Eo*] *Ad Allobroges.* Cautus hac in parte fuit.

quendam Crotoniensem[m] mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem[n] confirmarent.[8] Ipse[9] Vulturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum[o] infra scriptum: 'Quis sim, ex eo,[10] quem ad te misi, cognosces. Fac[11] cogites, in quanta[12] calamitate sis, et memineris te virum; consideres, quid tuæ rationes[p] postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab[13] infimis.'[q]

Ad hoc[14] mandata[r] [15] verbis dat: 'Cum ab Senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet?[s] in urbe parata[16] esse, quæ jusserit: ne[17] cunctetur ipse propius accedere.'

45. His rebus ita actis,[1] constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomtino[2] Prætoribus imperat, uti in ponte Mulvio[s] per insidias Allobrogum comitatus[t] deprehendant: rem omnem aperit, cujus[3] gratia mittebantur: cetera, uti facto opus sit, ita agant,[v] permittit.[4] Homines militares,[w] sine tumultu

[s] *Præterea verbis imperat*, ut dicat Catilinæ, *qua causa servos rejiciat, cum hostis a Senatu judicatus sit.*

eo numero H. *qui sim* I. L.—11 *Fac ut* A. B.—12 *in qua* G.—13 *et ab infimis* F. *etiam ab infirmis* I.—14 *Ad hæc* E. H.—15 *mandatum* K.—16 *omnia* H. N. —17 *nec* K.

1 *peractis* A. C.—2 *Proptini.* M. *Promptinio* N. Alii aliter.—3 *cujus rei gratia* A. *cujus gratia rei.* D.—4 *Præmittit* N.—5 *insidiis* F. *illi præsidiis* H.—

NOTÆ

[m] *Crotoniensem*] Duæ fuerunt urbes in Italia, Croton, aut Crotona, nominatæ, altera in extrema Calabria ad ortum, altera in Umbria.

[n] *Societatem*] Fœdus conjurationis.

[o] *Exemplum*] Forte verba non sunt eadem, sed sensus. Ansam præbet dubitandi, quod paulo aliter hæc et similia a Cicerone referuntur, in Catilinam: illumque adeo, si penitius de hac conjuratione tibi compertum esse cupis, adibis.

[p] *Rationes*] Ex Cicerone vim vocis istius cognosces: ita vero illam reddit, *Cogita quem in locum sis progressus, et vide quid jam tibi sit necesse.* Gallice, *Les mesures que vous avez prises; l'état de vos affaires.*

[q] *Infimis*] *Servis.*

[r] *Mandata*] Quæ perferret ad Catilinam. Gall. *Il lui recommanda de lui dire de bouche.*

[s] *Mulvio*] Vocatur hodie *Ponte-molle.* Distat ab urbe duobus millibus passuum, plus minus.

[t] *Comitatus*] *Omnes eos qui Allobroges comitarentur.*

[v] *Ita agant*] Imperat ut pro re nata consilium capiant. *Qu'ils prissent leurs mesures selon qu'ils le jugeroient à propos.*

[w] *Militares*] Ejusmodi expeditionibus assueti.

[5]præsidiis[x] collocatis, occulte pontem obsidunt.[6] Postquam ad id loci legati cum Vulturcio venere, et simul utrimque[y] clamor exortus est; Galli, cito[7] cognito consilio, sine mora[8] prætoribus se tradunt. Vulturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis[9] desertus est, multa prius de salute sua Pomtinum[10] obtestatus, quod ei notus erat; postremo timidus, ac vitæ[11] diffidens,[z] veluti hostibus, sese Prætoribus dedit.[12]

46. Quibus rebus confectis,[1] omnia propere per nuncios Consuli declarantur. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere. Nam lætabatur, conjuratione patefacta, civitatem periculis[2] ereptam esse: porro autem anxius erat, in maximo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus; pœnam illorum sibi oneri,[a] impunitatem perdendæ[3] reipublicæ credebat.[t] Igitur confirmato[b] animo vocari ad sese jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q.[4] Cœparium quendam Terracinensem,[c] qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat.[5] Ceteri sine mora veniunt:[7] Cœparius[7] paulo ante domo egressus,[8] cognito indicio,[d] [ex urbe] profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens perducit;[u] reliquos cum custodi-

[t] Cogitabat *supplicium illorum futurum sibi oneri, impunitatem perdendæ Reipublicæ.*

[u] *Consul ipse tenens Lentulum manu, quia Prætor erat, eum deducit in Senatum.*

6 *obsident* G. H. K. N.—7 *cito* abest a K.—8 *sine timore* N.—9 *a legatis ubi* A.—10 *Pontinium* N. sed supra idem *Promtinio.*—11 *vitæ suæ* M.—12 *tradit* F. H.

1 *ita confectis* E.—2 *a periculis* A. B. D. N.—3 *causam perdundæ R. f.* C.—4 [*itemque Cœparium* Havercamp.] Q. *Cœparium* N.—5 *properabat* G.—6 *conveniunt* C.—7 *sed Cœparius* H.—8 *digressus* N.—9 *et S. advocat* L.—10 *con-*

NOTÆ

[x] *Præsidiis*] In villas proximas bipartiti sunt, referente Cicerone, qui Vulturcio insidias fecerunt; ut Tiberis inter eos, et pons interesset.

[y] *Utrimque*] Scilicet statim cognovit Vulturcius, dolos et insidias subesse.

[z] *Vitæ diffidens*] Timens ne in loco interficeretur.

[a] *Oneri*] Quemadmodum fuit, nam ideo postea in exilium actus est.

[b] *Confirmato*] Ad id corroborato, ut conjurati punirentur.

[c] *Terracinensem*] Tarracina urbs est Volscorum maritima, ab urbe Roma ad ortum.

[d] *Indicio*] *Ayant découvert la trame; Ayant eu le vent de ce que l'on faisoit.*

bus in ædem Concordiæ venire jubet. Eo[9] Senatum advocat,[10] magnaque frequentia ejus ordinis,[e] Vulturcium cum legatis[f] introducit: Flaccum Prætorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem[11] afferre jubet.

47. Vulturcius[1] interrogatus de itinere,[g] de literis, postremo quid, aut qua de[2] causa[h] consilii habuisset; primo fingere alia,[v] dissimulare de conjuratione;[3] post ubi fide[4] publica[i] dicere jussus est, omnia, uti gesta erant, aperit: 'paucis ante diebus a Gabinio et Cœpario socium ascitum,[5] nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Syllam, L. Vargunteium, multos[6] præterea in ea conjuratione esse.' Eadem Galli fatentur: ac Lentulum dissimulantem coarguunt, præter literas, sermonibus, quos habere solitus:[w] 'Ex libris Sibyllinis[k] regnum Romæ tribus Corneliis[l] portendi; Cinnam atque Syllam antea: se tertium, cui fatum[m] foret[7] urbis po-

[v] *Vulturtius interrogatus de itinere, de literis, postremo quid consilii habuisset, aut qua de causa illud cepisset, primo cœpit fingere alia omnia.*

[w] *Ac convincunt Lentulum dissimulantem, præter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat.*

vocat K.—11 *ibidem* C. G.

1 *primo int. d. i. et de lit.* M.—2 *qua causa* K.—3 *d. c. Catilinæ* K.—4 *fide data publica* A. G. H. *fide publica data* M. N. *fidei publicæ* L.—5 *accitum* M. et Ed. Carr.—6 *m. alios præterea* D.—7 *fatatum fore* H. *fatatum foret* M. N.

NOTÆ

[e] *Ordinis*] Senatorii, scilicet. Gall. *L'assemblée étant fort complette.*

[f] *Cum legatis*] Allobrogum, scilicet, Cicero dicit non introductos fuisse eos una cum Vulturcio.

[g] *De itinere*] Quo iret, cur noctu: monet enim Cicero sub vesperam missos fuisse qui eum cum ceteris deprehenderunt.

[h] *Causa*] Quamobrem nefaria consilia contra Rempublicam cepisset.

[i] *Fide publica*] Id est, *impunitate promissa, si verum diceret.*

[k] *Sibyllinis*] Fuerunt Sibyllæ, virgines fatidicæ, quarum una, quæ Erythræa dicta est, ob origine, urbe, scilicet, Erythris, in Ionia; et Cumana, ab habitatione urbis in Campania, quæ dicitur *Cumæ*, libros tres Tarquinio obtulit, quorum auctoritas, tanquam divinitus missorum oraculorum, apud Romanos Sacro-sancta fuit.

[l] *Corneliis*] Id est, *tribus hominibus, qui ex clarissima Corneliorum gente essent oriundi.*

[m] *Fatum*] *A qui la destinée promettoit l'Empire.* Fati vero nomine indeclinabilis intelligitur series, et rerum concatenatio.

tiri;[8] præterea ab incenso[n] Capitolio illum esse vigesimum annum, quem sæpe ex prodigiis haruspices[o] respondissent bello civili cruentum[9] fore.' Igitur perlectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit,[10] 'uti abdicatus[11][p] magistratu Lentulus, item ceteri in liberis[q] custodiis haberentur.'[12] Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis,[r] Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cœparius (nam is paulo ante ex fuga retractus) Cn. Terentio senatori traduntur.[13]

48. Interea plebes,[1] conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutata mente, Catilinæ consilia[2] execrari,[3] Ciceronem ad cœlum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque lætitiam[s] agitabant.[4] Namque alia belli facinora prædæ magis, quam detrimento; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxime calamitosum putabat;[x] quippe cui omnes copiæ in usu[t] quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam[5] L. Tarquinius ad Senatum adductus erat,[6] quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum[7] aiebant.[8] Is cum se

[x] *Namque plebes putabat alia belli facinora fore magis prædæ quam detrimento, &c.*

—8 *urbe potiri* A. N.—9 *cruentatum* C. G.—10 *decrevit* B. C. D. E. F. G. M. N. —11 *abdicatus* N.—12 *habeantur* A. D. E. H. I. K. L.—13 *traditur* E. F. K. M. N.

1 *plebs* (et ita semper,) A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—2 *consilium* E.—3 *exsecratur* A.—4 [*agitabat* Havercamp.] *agitabant* E.—5 delet *quidam* C.—6 *est* F. H.—7 *esse retractum* E. *retr. ajebat* M.—8 *homines age-*

NOTÆ

[n] *Incenso*] Primo; nam ter templum illud incendio eversum est.

[o] *Haruspices*] Illi erant qui ex inspectis harugis, sive hostiis, futura prædicebant.

[p] *Abdicatus*] Magistratu ante tempus deposito.

[q] *Liberis*] Liberis custodiis detinetur qui non in publicum carcerem detruditur, sed cuipiam asservandus reus committitur.

[r] *Ædilis*] Magistratus erant Ædiles, qui ædificia curabant, et ludos solennes, itemque annonam, ut liquet ex Cicerone.

[s] *Lætitiam*] Addit ad gaudium, quod corporis gestu demonstratur.

[t] *Usu*] Id est, *in iis rebus, quarum usus erat quotidianus; quibusque carere non poterant.* Ideo plebi incendium crudele visum est.

diceret indicaturum de conjuratione,[9] si fides publica data esset; jussus[10] a Consule, quæ sciret, edicere, eadem fere, quæ Vulturcius,[11] de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium Senatum edocet;[12] præterea 'se missum a M. Crasso, qui[u] Catilinæ nunciaret,[13] ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehensi terrerent;[14] eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum[v] animos reficeret, et illi facilius e periculo[15] eriperentur.' Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maximis divitiis, summa potentia; alii, rem incredibilem rati; pars, tamen etsi verum[16] existimabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis lenienda, quam exagitanda videbatur;[y] plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant,[17] 'indicem falsum,'[18] deque ea re postulant[19] uti referatur.[z] Itaque consulente[a] Cicerone frequens[b] Senatus decernit:[20] 'Tarquinii indicium falsum videri; eumque in vinculis retinendum; neque amplius potestatem[21] faciendam,[c] nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem mentitus esset.'[22] Erant eo tempore,[23] qui æstimarent, illud a P. Autronio machinatum,[24] quo facilius, appellato Crasso, per societatem[d] periculi reliquos illius potentia tegeret.[a] Alii Tarquinium

[y] *Quia tanta potentia* illius *hominis videbatur magis mulcenda, quam irritanda.*
[z] *Postulant, ut de eo sermo habeatur denuo in Senatu.*
[a] *Ut, Crasso inter conjuratos recensito, potentia illius tegeret reliquos, cum ipse in idem periculum adductus esset.*

bant A.—9 *de c. i.* A.—10 *jussus est* A. D. F.—11 *edocuit quæ Volturcius docuerat* H.—12 *docet* B. C. D. I. K. L. N.—13 *enunciaret* E.—14 *aliique de conjuratione terrerent* A.—15 *a periculo* E. F.—16 *verum esse* A. *veram* E.—17 *conclamabant* G. *omnes conclamabant* H.—18 [*fals. esse* Havercamp.] *esse* abest a B.—19 *postulabant* G.—20 *decrevit* B. C. E. F. G. M.—21 *neque amplius habere potestatem faciundi* M.—22 *foret m. t. r.* A. *tantam r. m. foret* N. *esset mentitus aut machinatus erat* G.—23 *e. e. t. homines* H.—24 *esse machina-*

NOTÆ

[u] *Qui*] Pro *ut*. Optime.

[v] *Ceterorum*] Ut conjuratis, iis, scilicet, qui deprehensi non erant, animum relevaret.

[a] *Consulente*] *Présidant, et recueillant les voix.*

[b] *Frequens*] Illud est quod supra dixit, *magna frequentia ejus ordinis.*

[c] *Faciendam*] Ulterius, scilicet, loquendi in Senatu, aut quicquam de conjuratione dicendi.

[d] *Per societatem*] Ut, cum ille, eodem supplicio multandus, potentia sua evaderet, ceteri, qui in eodem essent reatu, damnari non possent.

a Cicerone immissum[e] aiebant, ne Crassus, more suo, suscepto malorum patrocinio, rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego[25] postea prædicantem audivi, tantam illam[26] contumeliam sibi[27] ab Cicerone impositam.

49. Sed iisdem temporibus Q. Catulus[f] et C. Piso[g] neque gratia, neque precibus,[1] neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Cæsar[h] falso nominaretur. Nam uterque[2] cum illo graves inimicitias exercebant.[3] Piso oppugnatus[i] in judicio repetundarum,[4] propter cujusdam Transpadani[k] supplicium injustum: Catulus ex petitione Pontificatus[l] odio incensus,[5] quod extrema[6] ætate, maximis honoribus usus, ab adolescentulo[m] Cæsare victus[n] discesserat. Res autem opportuna[o] videbatur; quod privatim[p] egregia liberalitate, publice maximis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim[q]

tum K.—25 *ego* abest M.—26 *illam* abest ab E.—27 *sibi* abest M.
1 *n. p. n. g.* A. B. D. E. G. H. I. L. *neque gratia* abest C.—2 *utrique* G.—
3 *exercebat* F. L.—4 *pecuniarum repetundarum* C. E. G. H. I. K. L. M.—5 *in-*

NOTÆ

[e] *Immissum*] Delegatum. Gal. *Atitré, Aposté.*

[f] *Catulus*] Hic ille fuit, omnium confessione princeps Senatus; cui, cum bellum maritimum Pompeio committendum, dehortaretur, addidissetque, *Si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis?* succlamavit universa concio, *Te, Quinte Catule.*

[g] *Piso*] Hic est quem Cicero defendit: Consul fuit cum Glabrione; deinde Galliam administravit, ubi transpadanum, de quo nunc agitur, morte affecit.

[h] *Cæsar*] Julius est, primus Imperatorum.

[i] *Oppugnatus*] Accusationem intentaverat Cæsar contra ipsum.

[k] *Transpadani*] Padus fluvius est in Italiæ parte suprema, quem Galliæ veteres accensebant. Transpadanus est qui trans Padum habitat, Romæ habita ratione.

[l] *Pontificatus*] In maximo fuit honore apud Romanos Pontificum dignitas, præsertim vero Pontificis maximi, de qua nunc agitur.

[m] *Adolescentulo*] Nato tamen 35. aut 36. annos, circiter. Ut vero te minus moveat hæc appellatio, a te velim observari, isthuc dictum esse cum comparatione ad ætatem Catuli, et quodammodo ex ipsius persona.

[n] *Victus*] A Pontificatu exclusus.

[o] *Opportuna*] Id est, *conjurasse Cæsarem facile erat creditu.* Gall. *La chose paroissoit plausible, vraisemblable.*

[p] *Privatim*] *Par une dépense magnifique dans sa maison.*

[q] *Singulatim*] *Les uns d'un côté, les autres d'un autre.*

circumeundo, atque ementiendo, quæ[7] se ex[8] Vulturcio, aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo,[9] ut nonnulli equites Romani, qui præsidii causa cum telis erant circum[10] Concordiæ, seu periculi magnitudine, seu animi [r]nobilitate[11] impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitarentur.[12]

50. Dum hæc in Senatu aguntur, et dum legatis[1] Allobrogum et Tito Vulturcio, comprobato eorum indicio,[b] præmia decernuntur: liberti, et pauci ex clientibus Lentuli, diversis[2] itineribus,[s] opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum solicitabant: partim exquirebant duces multitudinum,[t] qui pretio rempublicam vexare soliti. Cethegus autem per nuncios familiam[v] atque libertos suos,[3] exercitatos[4] in audaciam, orabat, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis præsidiis, ut res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, QUID DE HIS FIERI[5] PLACEAT, QUI IN CUSTODIAM[6] TRADITI ERANT. Sed eos paulo ante frequens Senatus judicaverat: CONTRA REMPUBLICAM FECISSE. Tum D. Junius Silanus, primus[7] sententiam rogatus,[8] quod eo tempore Consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, præterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent,

[b] *Indicio eorum pro vero recognito.*

census erat A. B.—6 *in extrema* E. K.—7 *ea quæ se* A. D.—8 *a Volturcio* D.—9 *usque adeo* B. D. F. H. I. M. et *usque adeo* E. G.—10 [*circ. æd. Concord.* Havercamp.] *circa* K.—11 *mobilitate* L. M.—12 *minarentur* A. B.

1 *dum Senatus decreto l. All.* N. *libertini* E.—2 *ex diversis* G.—3 *lectos* A. I. L. [*suos, electos, et exercitatos* Havercamp.]—4 *exercitatósque* B.—5 *facere* M.—6 *in custodiis* D. E. H. *qui in custodia* deletis *tr. e.* M.—7 *primo dare* A. abest *primus* a K.—8 *dicere rogatus* D. *rogatus dicere* H.—9 *iturum dixerat*

NOTÆ

[r] *Nobilitate*] Plerumque legitur *mobilitate*, i. e. *Légèreté de jeunes gens.* Hos alicubi Cicero insigniter, et prope tanquam Catilinæ socios notat.

[s] *Itineribus*] Id est, *hic et illic omnibus modis conabantur quosvis ad Patronum eripiendum incitare.*

[t] *Duces multitudinum*] Illi sunt qui otiosis nebulonibus, quales plurimi sunt in magnis urbibus, imperant, quia ipsi ad omnem nequitiam maxime sunt exercitati.

[v] *Familiam*] Id est, *omnes suos servos.*

supplicium sumendum decreverat. Isque postea, permotus oratione C. Cæsaris, pedibus[w] in sententiam Tib. Neronis iturum se[9] dixerat; quod de ea re,[10] præsidiis[x] additis, referendum censuerat. Sed Cæsar, ubi ad eum ventum, rogatus sententiam[11] a Consule, hujuscemodi verba locutus est:

51. 'Omnes homines, Patres Conscripti, qui de rebus dubiis[a] consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium[1] lubidini simul et usui paruit.[c] Ubi intenderis ingenium,[2] valet: si lubido possidet, ea dominatur,[b] animus nihil valet. Magna mihi copia memorandi, P. C.,[3] qui reges atque populi,[4] ira aut misericordia impulsi, male consuluerint:[5] sed ea malo dicere, quæ majores nostri, contra lubidinem animi, recte atque ordine[6] fecere. Bello Macedonico, quod cum rege[7] Perse[c] gessimus, Rhodiorum[d] civitas, magna atque magnifica, quæ populi Romani opibus creverat,[e] infida atque adversa nobis fuit: sed postquam, bello confecto,[f] de Rhodiis con-

[c] *Neque quisquam omnium simul fecit ea quæ lubido, et ea quæ utilitas suasit.*

D.—10 *seque de ea re* D.—11 *dare sententiam* B. H.
1 *hominum* C. H.—2 *intenderis animum i. v.* A. *ubi tu i. i.* M.—3 [*P. C.* omittit Havercamp.] *memorandi Patres Conscripti* C. E. I. K. L.—4 *aut qui pop.* Ed. Carr.—5 *consuluerunt* F. *consuluere* K.—6 *ordinate* A.—7 *contra re-*

NOTÆ

[w] *Pedibus*] Quandoque hoc modo sententiam suam aperiebant: cum ex Senatoribus aliquis suam dixisset, quibus ea probabatur, illi in eundem locum cum ipso discedebant: atque ea ratio vocabatur, *Per discessionem.*

[x] *Præsidiis*] Custodum numero circa eorum domos adaucto, quibus Lentulus et reliqui commissi fuerant: itemque urbe vigiliis bene firmata.

[z] *Hujuscemodi*] Neque enim iisdem omnino verbis Cæsar usus est; sed in hunc sensum orationem habuit.

[a] *Dubiis*] *Délicates et difficiles.*

[b] *Ea dominatur*] Istud opus esset oculis semper obversari.

[c] *Perse*] Macedonum rex fuit ultimus Perses, seu Perseus, filius Philippi, a P. Æmilio in triumphum ductus.

[d] *Rhodiorum*] Rhodus insula est maris Mediterranei, Soli olim sacra, ubi et ejus fuit Colossus. Sita est ad angulum minoris Asiæ Occidentalem.

[e] *Creverat*] Rhodii Romanis auxilio, bello Syriaco, adversus Antiochum fuerant; quo devicto, illis quasdam civitates de ejus regno Pop. Romanus concessit.

[f] *Confecto*] Rege Perse debellato.

sultum est, majores nostri, ne quis divitiarum[g] magis, quam injuriæ causa bellum inceptum[8] diceret, impunitos dimisere. Item bellis Punicis[h] omnibus, cum sæpe Carthaginienses et in pace,[9] et per inducias multa [10]nefaria[i] facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quam quid in illis jure[11] fieri posset, quærebant. Hoc idem providendum est, Patres conscripti, ne plus valeat[k] apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; non magis iræ, quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur,[12] novum[l] consilium approbo: sin[13] magnitudo sceleris[14] omnium[15] ingenia[m] exsuperat;[16] iis[n] utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite[o] atque magnifice casum reipublicæ miserati sunt: quæ belli sævitia, quæ victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros: divelli liberos a parentium complexu: matres familiarum pati, quæ[17] victoribus collibuissent: fana atque domos exspoliari;[18] cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri.[19] Sed, per Deos immortales, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet[p] quem res tanta atque tam atrox non per-

gem Perseum G. K.—8 *susceptum* G.—9 *et in pace et in bello* C.—10 *nefanda* Ed. Carr.—11 *jure* deest in L.—12 *reperiretur* K.—13 *sed si* K.—14 *scelerum* A.—15 *eorum hominum ingenium* E. *omnium ingenium* K.—16 *iis suppliciis* C. G.—17 *pati ea* M.—18 *spoliari* C. E. H. I. K. L. M.

NOTÆ

g *Divitiarum*] *Causa* supple. *Ne quis crederet magis inceptum bellum desiderio divitiarum, quam ulciscendæ injuriæ.*

h *Punicis*] Adversus Carthaginienses, qui et *Pœni* dicti sunt.

i *Nefaria*] Cum, verbi gratia, Cornelio Asinæ, Consuli et Legato, catenas injecerunt.

k *Plus valeat*] Id est, *prospiciendum est, ne dum plus æquo in pœna Conjuratis pro merito infligenda attenti eritis, minus quid vobis dignum sit, videatis.*

l *Novum*] Ut, scilicet, conjurati, contra morem et leges, ea causa paratas, morte multentur.

m *Ingenia*] Ita ut pœna non possit satis gravis excogitari.

n *Iis*] *Exilio*, aut *Carcere*.

o *Composite*] Istud invidiose dictum, Gall. diceremus, *Ils ont fait paroître leur bel esprit à, &c. Ils nous ont fait de beaux discours touchant, &c.*

p *Scilicet*] Responsio est obliqua et amara, ut ostendat, non modo Sena-

movit,[20] eum oratio accendet.[21] Non ita est;[q] neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi eas gravius[r] æquo habuere. Sed aliis alia[s] licentia, Patres-conscripti. Qui demissi[t] in obscuro vitam habent,[22] si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui magno[23] imperio præditi in excelso ætatem[24] agunt, eorum facta cuncti[25] mortales novere. Ita in[26] maxima[u] fortuna minima licentia est. Neque studere,[v] neque odisse, sed minime irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic æstimo, Patres conscripti, omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse. Sed plerique mortales [27]postrema[w] meminere, et in hominibus[x] impiis sceleris obliti de pœna[28] disserunt,[y] si ea paulo severior[29] fuit.[30] D. Silanum[z] virum fortem atque strenuum, certe[31] scio, quæ

—19 *inpleri* K.—20 *movit* K.—21 *accenderet* N.—22 [*agunt* Havercamp.] *habent* I.—23 *maximo* B.—24 *vitam* K.—25 *multi mortales* D.—26 *magna* N.—27 *extrema* A.—28 [*eorum obl. de pœn.* Havercamp.] *de pœna eorum* K. *de p. dixerunt* N.—29 *sævior* F. H. K. L. M.—30 [*fuerit* Havercamp.] *fuit* A. B. C. E. F. L.—31 [*certo* Havercamp.] *certo* abest

NOTÆ

tores opus non esse conjuratis infestos facere; sed insuper inutilia esse quæcumque alii ea gratia dixissent.

q *Ita est*] Interrogationi expressæ non respondet, *An uti vos infestos conjurationi faceret?* Sed intellectæ, *An quia non estis infesti conjurationi?* Operosa est hæc oratio, quia Cæsar, aperte, quæ sentiebat et optabat, proloqui minus audebat.

r *Gravius*] Gall. *Ont porté leurs ressentimens plus loin qu'il ne falloit.*

s *Alia*] Id est, *non omnes, uno et eodem modo, ulcisci decet injurias.*

t *Demissi*] *Homines ignobiles qui in turba latent.*

u *In maxima*] Nihil magis verum et æquum est; interim secus plane inter homines evenit: nam ut quisque in sublimi positus est, ita plerumque se ille putat male faciendi licentiam adeptum esse.

v *Studere*] Nota, pro *favere.*

w *Postrema*] Pœnam scilicet, quæ impiis infligitur.

x *In hominibus*] Hoc est, *cum de iis agitur.*

y *Disserunt*] In malam partem, scilicet, adversus eos qui nocentes pœnæ addixerunt.

z *Silanum*] Nominis proximitas in memoriam revocat quæ ego vidi, immo et expertus sum, de istorum, quos nos *bonos homines* vocamus, mollitia, et animi imbecillitate. Non possis pejores alios rerum publicarum administrationi præficere; quippe qui obvio cuique affectatæ suæ plerumque sanctitatis admiratori, non omnes modo vere bonos et strenuos spoliandos et

dixerit, studio[a] reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam,[32] aut inimicitias exercere: eos mores, eam[33] modestiam viri cognovi.[d] Verum sententia non mihi crudelis,[34] quid enim in tales homines crudele fieri potest? sed aliena[b] a republica nostra videtur. Nam[35] profecto aut metus, aut injuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, cum præsenti diligentia clarissimi viri Consulis tanta præsidia sint in armis.[c] De pœna[d] possumus[36] equidem dicere id, quod res[37] habet: in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; [38]ultra[e] neque curæ neque gaudio locum esse. Sed per Deos[39] immortales, quamobrem in sententiam[40] non addidisti, uti prius verberibus in eos animadver-

[d] *Novi ita se habere mores et modestiam Silani.*

a K.—32 *odium, gratiam,* &c. G.—33 *atque modestiam* K.—34 *videtur crudelis* E.—35 *Nostra profecto* D.—36 *possum* A. B. C. F. H. I. K. L. *possim* G.—37 *dicere quid res habet* F.—38 *citra* I.—39 *Sed p. D. Sullane i.* D.—40

NOTÆ

lacerandos objiciunt, sed et se ipsos tandem, cum sua inepta lenitate, perversis insidiatoribus deridendos propinant. Bonitas ista pravitas est semper, et sæpe nequitia; atque satius esset ab uno malo regi, quam a bono, mille latronibus tradi. Hunc vide, quæso, Silanum quo abducant Cæsaris laudes flagitiosæ. Primo optime censuerat capite multandos parricidas, qui Patriæ interitum moliti fuerant: non prius accedit callidus assentator, qui quatuor verbis gratiam init, quam ille transversus ridicule sententiam mutat, atque liberandos sinit, qui postea urbem ferro et igne devastent. Optime ineptam et pravam, de qua diximus, levitatem, in Adelphis, pingit et illudit Terentius.

[a] *Studio*] Id est, *singulari in Rempublicam benevolentia.*

[b] *Aliena*] Id est, *extra usum, unde etiam detrimentum et damnum inferatur.*

[c] *In armis*] Præsidium, sæpius ex se, illud indicat quod armis paratur: attamen, cum Amici, Muri, Latebræ præsidio nobis esse possint, non male hic additum *in armis*, ad distinctionem.

[d] *De pœna*] Hic aliquid deesse putant nonnulli, quia non resumit Cæsar quod proposuerat, cum dixit, *aut metus, aut injuria, &c.* atque illi membrum posterius omissum esse aiunt. Non ita mihi videtur, nam injuria et pœna sunt, in hoc negotio, termini relativi et æquivalentes, quod patebit attendenti ad scopum Cæsaris. Hoc enim tantum voluit, Silanum motum fuisse in ferenda sententia, aut rationibus quas metus suggessisset, aut iis, quæ ex sceleris natura politice nascerentur.

[e] *Ultra*] *Post mortem.*

teretur? an, quia lex Porcia vetat? at[41] aliæ leges item condemnatis civibus[42] animam non eripi,[43] sed in exilium permitti jubent. An, quia gravius est[45] verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? Sin[46] quia levius;[47] qui convenit in minore negotio legem timere,[49] cum eam in majore neglexeris?[48] At enim[f] quis reprehendet, quod in parricidas reipublicæ decretum erit? tempus,[g] dies, fortuna,[h] cujus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidit, quicquid evenerit:[50] ceterum vos, Patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis[51] orta sunt: sed ubi imperium ad ignaros,[52] aut minus bonos pervenit;[53] novum illud [exemplum] ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur.[i] Lacedæmonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum[54] tractarent. Hi primo[55] cœpere pessimum quemque et omnibus invisum indemnatum[k] necare. Ea[56] populus lætari, et merito dicere fieri. Post, ubi paulatim[57] licentia[l] crevit, juxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultæ[m] læti-

in sententia M.—41 *aut* K.—42 *de civ. cond.* G. *de cond. civ.* L.—43 *non eripi vitam* C. *non vitam eripi* I. *non animam eripi* D. E. K. *vitam* M.—45 *est* abest K.—46 *sin autem* L.—47 [*lev. est* Havercamp.] *est* abest K.—48 *quid convenit in minori legem contemnere cum eam in majori negotio neglexeris?* M.—49 Ed. Carr. *observare.*—50 *evenit* M.—51 [*ex rebus domesticis* Havercamp.] *bonis* A. B. C. D. E. F. I. K. L. *bonis rebus* D. E. H. *rebus bonis* N. *bonis initiis* M.—52 *ignaros cives* D. H. K. M. N. *ignavos cives* F.—53 *transfertur* M. —54 *eorum* delet C. et Ed. Carr.—55 *primum* A. E. F. H.—56 *Ea lege* B. E. *eo* C. *ea re* G. M. N.—57 *ubi l. paululum crevit* K.—58 *hujusmodi* I. *aliosque*

NOTÆ

[f] *At enim*] Objectio ex parte eorum quos sibi Cæsar facit adversarios.

[g] *Tempus*] Responsio Cæsaris ad objectionem adversariorum. Per tempus autem, intelligit homines, qui post longum tempus de conjuratorum pœna dissertarent.

[h] *Fortuna*] Innuit conjuratorum supplicium, pravo exemplo, in Reipublicæ malum posse converti.

[i] *Transfertur*] Non tantum intelligit exemplum ad indignos transferri, sed eos, præsertim, exemplo perverse uti.

[k] *Indemnatum*] Hoc est, *Causa indicta.* Gall. *Sans aucune forme de procès.*

[l] *Licentia*] Triginta tyrannorum, scil. qui passim optimum quemque, per avaritiam, aut ambitionem, usu confirmata tyrannide, necabant.

[m] *Stultæ*] Quia non providerant illi bonos perinde ac malos tolli posse,

tiæ graves pœnas dedit. Nostra memoria, victor Sylla cum Damasippum[n] et alios hujusmodi,[58] qui malo reipublicæ creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat? homines scelestos, factiosos,[59] qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos[60] aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Nam uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas,[61] aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, uti[62] in proscriptorum[o] numero esset. Ita quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, post paulo ipsi[63] trahebantur:[e] neque prius finis jugulandi fuit, quam Sylla omnes suos divitiis[64] explevit. Atque ego hæc[65] non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna[66] civitate multa et varia ingenia sunt. Potest[67] alio tempore, alio[68] Consule, cui item exercitus in manus, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per Senati decretum,[p] Consul gladium eduxerit, quis[q] finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, Patres conscripti, neque[69] consilii, neque audaciæ unquam eguere: neque[70] superbia obstabat,[71] quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus,[r] insignia magistratuum ab Tuscis[s] pleraque sumserunt: postremo quod ubique apud

[e] *Ipsi paulo post indigne trucidabantur.*

hujuscemodi K.—59 *et factiosos* D. F. L. mox *agitaverant* N.—60 *esse necatos* H.—61 *p. vas aut v.* K. N.—62 *ut is* A. B. E. F. G. H. I. K.—63 *trah. ad supplicium* H.—64 *quam s. o. s. explevit* deleto *divitiis* F.—65 [*hoc* Havercamp.] *hæc* N.—66 *in tam magna* A. B. H.—67 *Potestque* C.—68 *et alio* H.—69 *neque illis* H. N.—70 *neque prius* non agnoscit B. *neque illis s. o.* I. K.

NOTÆ

si quibus causam dicendi potestas adimeretur.

[n] *Damasippum*] Homo fuit nullius nominis, nisi quod Marii partes secutus, quosvis ad ipsius nutum interfecit.

[o] *Proscriptorum*] Bonis enim suis spoliabantur.

[p] *Decretum*] Illud intellige, quo summa potestas Consulibus, verbis solennibus permittitur, *Dent illi operam ne quid Respublica detrimenti capiat.*

[q] *Quis*] Maxime cavendum est, ne bonis regnantibus, eæ in malos sanciantur leges, per quas mali postea bonos oppressum eant.

[r] *Samnitibus*] Samnites, seu Sabelli, Italiæ populi supra Campaniam, ad Septentrionem.

[s] *Tuscis*] Populi Italiæ, mari eorum nomine adjacentes, non longe a Roma

socios, aut hostes[72] idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati,[73] verberibus animadvertebant in cives, de condemnatis[74] summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit et[75] multitudine civium factiones valuere, circumvenire[t] innocentes,[76] alia hujuscemodi fieri cœpere: tum lex Porcia aliæque[77] paratæ, quibus legibus exilium[78] damnatis permissum. Hanc ego caussam, Patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus[79] atque sapientia major in illis[80] fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta[81] vix[82] retinemus. Placet[u] igitur, eos dimitti et augeri[83] exercitum Catilinæ? Minime; sed ita censeo:[84] publicandas[85] eorum pecunias,[v] ipsos in vinculis habendos per municipia,[w] quæ maxime opibus valent: neu[86] quis de iis postea ad Senatum referat, neve cum populo[x] agat: qui[87] aliter fecerit, Senatum[88] existimare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum.'

52. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo[y]

L.—71 *obstabat illis* D.—72 *aut apud hostes* K. M.—73 *sunt imitati* A.—74 *de condemnatissimis modo* M. *de condemnatissimo* N.—75 *et* abest in A.—76 [*circumveniri* Havercamp.] *circumvenire* N. *innocentes sicuti nocentes* E.—77 [*aliæque leges* Havercamp.] *leges* abest ab F.—78 *quibus exsilium d. p. e.* B. E.—79 *atque virtus* M.—80 *illos* M.—81 *parata* H.—82 delet *vix* A.—83 *augere* K. N.—84 *censeo ego esse publicandas &c.* A.—85 *pecunias e. p.* K.—86 *ne quis* L. *neu quisquam* N.—87 *qui vero* F.—88 *credat Senatum* M.

NOTÆ

ad occasum.

[t] *Circumvenire*] Id est, *per fraudem in vitæ periculum adduci.* Tacite autem indicare voluit Cæsar, conflatum fuisse crimen conjurationis, aut saltem ab inimicis auctum; ut eo facilius ad eas leges descenderet, quibus vitæ civium, utut noxiorum, consulebatur.

[u] *Placet*] Occurrit objectioni.

[v] *Pecunias*] Eo nomine omnia bona veniunt. *Qu'il faut confisquer tout leur bien.*

[w] *Per municipia*] Quos in carcerem conjicere nolebant, eos vel militibus, vel fidejussoribus, vel Magistratibus custodiendos tradebant, vel eos per oppida Italiæ dividebant: atque his periculum maximum erat si rei evaderent; ita ut oppidani pro hostibus et perduellibus haberentur, sicuti a Dione observatum est.

[x] *Cum populo*] Provocatio erat ad Populum; adeoque potuissent conjurati, gratia et amicorum potentia, liberari, rogando atque supplicando.

[y] *Verbo*] Elliptica oratio: sic intellige: *Hic et alius in sententiam hujus*

alius alii varie[1] assentiebantur:[2] at M. Porcius Cato[z] rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit:

'Longe mihi alia[3] mens est, Patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris[a] atque focis suis[4] bellum paravere: res autem monet, cavere[5] ab illis,[6] quam, quid in illis statuamus,[7] consultare. Nam cetera[8] tum persequare,[b] ubi facta sunt; hoc, nisi provideris, ne accidat;[9] ubi evenit,[10] frustra judicia implores: capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per Deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas,[11] signa, tabulas[c] vestras pluris,[12] quam rempublicam, fecistis: si ista, cujuscumque[d] modi sint,[13] quæ amplexamini,[e] retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis; expergiscimini aliquando et capessite[f] rempublicam. Non agitur[14] de vectigalibus, non de

1 *Pariter* M.—2 *assentiebatur* F.—3 *aliena* E. F. H.—4 *aris atque focis bellum atque incendium* deleto *suis* N.—5 *nos cavere* E.—6 [*illis magis quam* Havercamp.] deest *magis* C.—7 *statuatis* A. G. N.—8 *cetera maleficia* [Havercamp.] *malefacta* F.—9 *n. a. malum* A.—10 *evenerit* F.—11 *atque villas* H.—12 *pluris pretii* A. B. D. M.—13 *sunt* M.—14 *Nam modo non agitur* A. *Nam*

NOTÆ

aut illius Senatoris veniebat, seu pedibus eundo, seu verbo et voce: atque ita varie assentiebantur, seu modum ferendi suffragium, seu ipsum suffragium spectes.

[z] *Cato*] Hic fuit minor, Uticensis dictus, quod Uticæ se sua cæde cruentaverit, Pronepos illius Catonis Censorii dicti.

[a] *Aris*] Per aras, templa; per focos, domos privatas intelligit. Ceterum isthac enumeratione Cato tacite, sed prorsus reos damnat, iisque qui ante se sententiam suam dixerant, invidiam creat. Vehemens est hæc oratio, et, propemodum dixerim, divina. Figuras habet et aculeos summa cum dignitate conjunctos. Cum videas censeas; sed memineris, Silanum Consulem designatum, oratione Cæsaris permotum, sententiam, quod turpissimum fuit, mutasse; Senatum ad misericordiam delapsum esse; denique Catonem admodum adolescentem inter postremos sententiam rogatum fuisse: ut, scilicet, tam gravis ejus Censura, qui ea digni essent, Senatum ipsum universum haberet.

[b] *Persequare*] Id est, *Quilibet Magistratus ulcisci possit.*

[c] *Tabulas*] Pictas intellige. *Des Tableaux.*

[d] *Cujuscumque*] Cato Stoicus fuit; adeoque fortunæ bona, quæ vocant, revera bona esse aut mala dicere noluit. Verum hic insuper quædam latet exprobratio, qua nimiæ divitiarum cupiditatis Romanos arguit.

[e] *Amplexamini*] Id est, *Assidue et maximo cum studio amplectimini.*

[f] *Capessite*] Id est, *ejus curam suscipite.*

sociorum[g] injuriis; libertas et anima nostra in dubio[15] est. Sæpe numero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine[h] feci: sæpe de luxuria[16] atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortales ea causa adversos habeo: qui mihi atque animo[i] meo nullius[17] unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini[j] malefacta condonabam. Sed, ea[k] tametsi vos parvi pendebatis;[18] tamen respublica firma, opulentia[l] negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis, an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quam magnificum imperium[19] populi Romani: sed cujus hæc[m] cumque modi,[20] nostra, an nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam[n] mansuetudinem et misericordiam nominat. Jampridem equidem[21] nos vera rerum vocabula amisimus;[o] quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur: eo respublica in extremo sita.[f] Sint sane,[q] quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint[22] misericordes in furibus ærarii: ne illis[23] sanguinem nostrum largiantur; et,

[f] *Quia* largiri bona aliena *vocatur* liberalitas; audacia malarum rerum *vocatur* fortitudo, *ea re respublica ad ultimas angustias redacta est.*

---

nunc non agitur B. *Nam hic non agitur* K. M.—15 *sita est* B. *sunt* F.—16 *de socordia* K.—17 *nullis unquam delictis* A.—18 *pendatis* D.—19 *populi Romani imp. sit* M.—20 [*cumq. mod. videntur* Havercamp.] *videntur* abest N.—21 *equidem* abest a K.—22 Posterius *sint* delet H.—23 *videant ne illi* G. *ne*

NOTÆ

[g] *Sociorum*] Id est, *quæ ab ipsis acceptæ fuerint.*

[h] *Ordine*] Senatorio; fuit alter equestris, tertius plebeius.

[i] *Animo*] Per animum, appetitus intelligit, qui, in Catone, quia temperati erant, bene animi nomine honesto appellantur.

[j] *Lubidini*] Jam notantur appetitus, prout effræni in omne ruunt flagitium.

[k] *Ea*] Quæ ego verba feci, intellige, in Senatu, contra eorum pravitatem.

[l] *Opulentia*] Id est, *immensa auctoritas et potentia, itemque divitiæ P. Romani patiebantur nos aliquanto negligentius imperium agitare.* Verissime Cato: nam neque uno momento conduntur quæ occidunt; neque uno momento quietem nanciscuntur corpora quibus motus impressus est, præsertim si illis moles non desit.

[m] *Hæc*] Eadem quæ supra memoravit, cum his ipsis terminis usus est.

[n] *Quisquam*] Invidiose.

[o] *Amisimus*] Verecunde et ingeniose admodum mores carpit corruptos: sensus est enim, Romanos, (in quorum numero, ut invidiam declinet, seipse involvit,) virtutis sub specie vitia sectari.

dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes[24] perditum eant. Bene et composite[r] C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa, credo, existimans,[25] quæ de inferis memorantur: diverso[s] itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa[t] habere. Itaque[26] censuit PECUNIAS EORUM PUBLICANDAS, IPSOS[27] PER MUNICIPIA IN CUSTODIIS[28] HABENDOS; videlicet[u] timens, ne, si Romæ sint, aut a popularibus conjurationis, aut a[29] multitudine conducta[30] per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores.[31] Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit. Sin[32] in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert[33] mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis,[34] pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus conjuratis decernere.[v] Quanto vos attentius[w] ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum[35] modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nolite[36] existimare, majores nostros[37] armis[x] rempublicam ex parva magnam

illi K.—24 *boni omnes ne p. e.* A.—25 [*credo falsa existumans ea, quæ* Havercamp.] delet *ea* N.—26 *Itemque* G.—27 *et ipsos* E.—28 *in custodia* K.—29 *aut multitudine* E.—30 *pretio per vim* B. *vi eripiantur* K.—31 [*op. min. sunt* Havercamp.] *minores o. s.* C.—32 *Si* F. G. M. N. *aut si* K.—33 [*refert, me mihi* Havercamp.] *me refert mihi* A. *eo refert* &c. delet *magis* K. delet *me* M.—34 *statueritis* G.—35 *Si paullulum v. l.* H.—36 *Nolite P. C. exist.* M.—

NOTÆ

[q] *Sint sane*] Vehementem habet reprehensionem hæc ellipsis. Neminem nominat Cato; sed eo gravius conjuratorum fautores exagitat.

[r] *Bene et composite*] Iisdem propemodum verbis aliorum Cæsar reprehenderat orationem: atque ita in eo, quod gravissimum est, idem illud peccatum Cato castigat, quod ille in aliis animadvertisse rebatur.

[s] *Diverso*] Quæ de inferis et Elysiis campis fabulati sunt Poëtæ, nemo non novit.

[t] *Formidolosa*] Hoc est, *quæ formidinem incutiunt, et metum.* Gall. *Où règne la frayeur.*

[u] *Videlicet*] Irrisio est Cæsaris, quem Cato per totam hanc orationem acerbe vellicat et insectatur.

[v] *Decernere*] Gall. *Que vous faites le procès à Catilina, &c.*

[w] *Attentius*] Hic fere significat *majori cum rigore.* Gall. *Plus vous apporterez de vigueur dans cette affaire.*

[x] *Armis*] *Tantum* supple, aut *præsertim.*

fecisse. Si ita res esset multo pulcherrimam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum major nobis copia, quam illis.[38] Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere;[39] quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber,[40] neque delicto,[y] neque lubidini[41] obnoxius.[42] Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus[z] divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen[a] nullum;[43] omnia virtutis præmia ambitio[b] possidet. Neque mirum;[44] ubi vos separatim sibi[c] quisque consilium capitis,[g] ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis;[d] eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego hæc[45] omitto. Conjuravere nobilissimi cives patriam incendere: Gallorum gentem infestissimam nomini Romano ad[46] bellum arcessunt:[47] dux hostium supra[48] caput est.[h] Vos cunctamini[49] etiam nunc,[e] quid intra mœnia apprehensis hostibus, faciatis?[50] Misereamini[51][f] cen-

[g] *Quandoquidem vos capitis consilium, quisque pro se seorsim.*
[h] *Dux hostium fauces urget cum exercitu, et nos premit.*

37 *vestros* N.—38 [*illis est* Havercamp.] Delet *est* M.—39 *quæ f. i. m.* M.—40 *liber erat* A. B.—41 *n. d. lubidinive* N.—42 *erat obnoxius* B.—43 *nullum est* D. E. N.—44 *Neque est mirum* C. *neque mirum est* D. E.—45 *hoc* A.—46 *in bellum* A.—47 *arcesserunt* D. H.—48 *super* M.—49 [*eti. nunc, et dubitatis* Havercamp.] Absunt *et dubitatis* ab I.—50 *statuatis* H. N.—51 *Miseremini*

NOTÆ

[y] *Delicto*] Tacite quosdam carpit qui conjurationis conscii esse credebantur; quasi illi, cum in culpa essent, ideo perduellibus faverent, quod aliter sibi consulere non possent.

[z] *Laudamus*] Pro *amamus*. Ita enim comparata est hominum natura, ut, quæ laudamus, ea pariter amemus. Atque hinc oritur, et huc recurrit omnis Politicorum scientia.

[a] *Discrimen*] Id est, *nulla bonorum ratio habetur.*

[b] *Ambitio*] Cato ideo ad Consulatum non fuit promotus, quia ambire et, ut mos erat aliis, populo supplicare noluit, virtute sua confisus scilicet, quæ tamen illi, hac in parte, ut sæpe alias, inutilis fuit.

[c] *Sibi*] Actum est de eo corpore, cujus vinculum solvitur, bonorum communio.

[d] *Servitis*] Hoc est, *non pro bono Reipublicæ, sed pro pecunia, aut gratia a privatis consequenda, suffragia fertis.*

[e] *Nunc*] Hic in quibusdam Edit. additur *et dubitatis.* *Cunctari* retardationem actionis, *dubitare* ejus anxietatem notat, cum, quid agamus, ancipites hæremus.

[f] *Misereamini*] Ironia est; tametsi res ipsa serio ex eorum persona qui conjuratis favebant, proponitur.

seo: deliquere[g] homines adolescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Ne[52] ista[h] vobis mansuetudo[53] et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.[54] Scilicet res aspera est; sed vos[i] non timetis eam. Immo[j] vero maxime; sed inertia et mollitia animi, alius alium expectantes[k] cunctamini, Dis immortalibus[l] confisi, qui hanc rempublicam in maximis[55] sæpe periculis servavere. Non votis,[m] neque suppliciis[n] muliebribus[56] auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospera[57] omnia cedunt: ubi secordiæ te[58] atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores; irati infestique sunt. Apud majores nostros T.[60] Manlius Torquatus bello[59] Gallico filium suum, quod is contra[o] imperium in hostem pugnaverat, necari jussit: atque[61] ille egregius adolescens immoderatæ[62] fortitudinis morte pœnas dedit; vos de crudelissimis parricidis quid statuatis,[63] cunctamini? Vide-

L. et aliquot alii.—52 [*Næ ista vobis* Havercamp.] *Næ i. verior* D. N. *Ne &c.* M. et quidam alii.—53 *ego timeo, et misericordia* H.—54 *convertantur in miseriam* A. B. *in miseriam convertatur* C. D. E. F. H. K. L. M. *in miseriam convertantur* G. *in miseriam vertatur* I.—55 *sæpe in magnis* K.—56 *mulierum* H.—57 [*prospere* Havercamp.] *prospera* C. E. F. H. I. L.—58 [*tete* Havercamp.] *tete* abest a K.—59 *in bello* H.—60 [*A. Manlius* Havercamp.] *T. Manlius* N.—61 *at ille* E.—62 delet *immoderatæ* A.—63 *faciatis* K.—64 *unquam* abest a K.

NOTÆ.

[g] *Deliquere*] Ratio pro misericordia, quæ ex persona quoque subjicitur Cæsaris et aliorum, cum amara ironia.

[h] *Ne ista*] Jam pro se loquitur Cato.

[i] *Sed vos*] Iterum adversarios, eos scilicet, qui ad misericordiam inclinabant, exagitat.

[j] *Immo*] Ad ea respondet Cato, quæ cum irrisione concesserat. Quasi dicat, *Ne quis vestrum, non timere se simulet, nam vos maxime timere res ipsa indicat.*

[k] *Expectantes*] Gall. diceremus, *En vous regardant les uns les autres, pour savoir à qui ouvrira le pas.*

[l] *Dis immortalibus*] Inepto Senatorum consilio ineptam subjicit rationem, illudque ad modum ea ratione intortum, ut non jam Senatus, Regum, sed puerorum consessus esse videatur. Certe minime mirandum est, Cicero si alicubi testatur, Catonem vitam suam in discrimen obtulisse, atque sententiæ invidiam sibi capitis periculo præstandam vidisse.

[m] *Non votis*] Ineptam arguit Senatorum rationem.

[n] *Suppliciis*] Id est, *precibus inutilium muliercularum*, quæ stulte a Diis petunt, quæ non aliter ipsi quam per homines exequuntur.

[o] *Contra*] Non equidem *contra*, sed *sine* imperio; nisi quod in bello, is contra imperium facit, qui absque eo aliquid audet.

licet vita cetera eorum huic sceleri obstat.[p] Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si Dis aut hominibus unquam[64] ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiæ; nisi iterum patriæ[65] bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cœpario[66] loquar? quibus si quicquam unquam[67] pensi fuisset, non ea[q] consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset,[r] facile paterer, vos ipsa re corrigi,[s] quoniam verba[68] contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus[69] urget: alii intra mœnia, in[70] sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quicquam[71] occulte potest: quo magis properandum. Quare ita ego censeo:[72] cum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxima pericula venerit, hique[73] indicio T. Vulturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint,[74] cædem, incendia, alia fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis[t] rerum capitalium, more[u] majorum, supplicium sumendum.'[75]

53. Postquam Cato assedit, Consulares omnes itemque Senatus magna pars sententiam ejus laudant,[1] virtutem animi ad cœlum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus[2] habetur:[3] Senati decretum fit,

—65 [*nisi iterum jam patr.* Havercamp.] *alterum* C. delet *jam* N.—66 *et Cœpario* K.—67 *unquam* abest a B.—68 [*verba mea* Havercamp.] *mea* delet D.—69 *Italiæ urget* K. *faucibus Italiæ urget* M. N.—70 [*atque in sinu* Havercamp.] *alii in s. u.* K. deleto *atque*.—71 *quisquam p. o.* A.—72 *censeo ego* F. I. K.—73 *cumque* M.—74 *sunt* D. G. delet E.—75 *censeo supp. sumendum esse* A. B. F. *esse sumendum* D. *sumendum est* E.

1 *laudabant* A. B.—2 *cl. atque m.* E. F. I. K. L.—3 *habebatur* D.—4 *et*

NOTÆ

p *Obstat*] Prout id factum in illo Horatio, cujus crimen intra gloriam fuit, ut loquitur Florus. Gall. diceremus, *Contrebalance.*

q *Non ea*] Hoc est, *tam nefaria.* Verissime dictum: nam per gradus ad extremam nequitiam descenditur; quod adolescentibus maxime notandum est.

r *Locus esset*] Id est, *si, postquam patratum fuisset facinus conjuratorum, res posset ad salutem converti.*

s *Re corrigi*] Hoc est, *damno et incommodis, quæ ex conjuratorum facinore in vos redundarent.*

t *Manifestis*] Illi sunt, quos crimen admisisse constat.

u *More*] Priusquam leges paratæ essent pro tergo et capite civium.

sicuti ille censuerat. Sed mihi multa legenti, multa[4] audienti, quæ populus Romanus domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxime[5] tanta negotia sustinuisset. Sciebam, sæpe numero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse:[i] cognoveram, parvis copiis bella gesta[6] cum opulentis regibus: ad hoc sæpe fortunæ violentiam[v] toleravisse: facundia Græcos, gloria[7] belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse;[k] [8] eoque factum,[9] uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est; rursus respublica magnitudine sua[10] imperatorum atque magistratuum vitia[l] sustentabat;[w] ac, veluti[11] effœta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute[12] magnus fuit.[m] Sed memoria mea ingenti virtute, diversi moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Cæsar: quos, quoniam res obtulerat, silentio præterire, non[13] fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem,[14] aperirem.

54. Igitur his[1] genus,[x] ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par,[2] item gloria; sed alia alii.

[i] *Sciebam P. Romanum sæpe certasse parvo exercitu cum magnis legionibus hostium.*

[k] *Et constabat mihi multa sedulo cogitanti, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patrasse.*

[l] *Ex adverso Respublica sustentabat magnitudine sua vitia Imperatorum.*

[m] *Et, sicuti* Roma *mater effœta, et lassata fuisset, non fuit sane quisquam Romæ magnus virtute, per multas tempestates.*

multa B. C. F. H. *multique* D.—5 *maxuma* A. B. *maximum* C.—6 *esse gesta* A.—7 *scientia belli* K.—8 *perpetrasse* A.—9 *eoque factum est* A. E. F. *eodem factum est* B.—10 *sui* N.—11 *sicuti* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—12 *virtute* abest a D.—13 *mihi non fuit* B.—14 *possim* I.

1 *his duobus* B. D.—2 *par fuit* C. *par erat* H. *par erat item gratia: alia alii*

NOTÆ

[v] *Violentiam*] Cum, verbi gratia, adversus Samnites, Gallos, Pyrrhum, Annibalem, bellum gesserunt.

[w] *Sustentabat*] Id est, *Tanta erat Reipublicæ opulentia, ut Magistratuum negligentia et inertia ea non intercideret; sed eorum vitia magnitudine sua quodammodo absorberet.*

[x] *Genus*] Catonis genus principium dignitatis et gloriæ a proavo Catone

Cæsar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus:[3] huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar dando,[y] sublevando, Cato nihil largiendo[z] gloriam adeptus. In altero miseris[a] perfugium;[4] in altero malis pernicies: illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Postremo Cæsar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus,[6] sua negligere; nihil denegare, quod dono[7] dignum esset; sibi magnum[8] imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ,[b] decoris, sed[9] maxime severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque[10] factione[11] cum factioso; sed cum strenuo virtute,[12] cum modesto pudore,[13] cum innocente abstinentia[14 c] certabat; esse, quam videri, bonus malebat; ita[15] quo minus gloriam petebat, eo magis[16] sequebatur.

55. Postquam, ut dixi,[1] Senatus in Catonis sententiam

M.—3 *factus est* B. E. H. K. *habebatur* M.—4 *refugium erat* M. *profugium erat* N. [*perfug. erat* Havercamp.] *erat* abest ab I.—6 *esse intentus* B.—7 *bono* F.—8 *maximum* F.—9 *et maximæ sev. e.* N.—10 *Non de d. c. d. neque de f. c. f.* D. *Non de divitiis c. d. cum modesto pudore*, &c. H.—11 *de factione* M.—12 *de virtute* B. D. M.—13 *de pudore c. i. de a. c.* D. *de pudicitia* M.—14 *de abst.* M.—15 *itaque* B. M.—16 [*illum assequeb.* Havercamp.] *illam* E. G. M. N. *eam* F. H. *eo maxime illam* I.

NOTÆ

Censorio sumsit: Cæsar vero ab Iulo Æneæ filio, Æneas a Venere, quæ ipsum ex Anchise genuit, natales repetebat. Sed, ut vides, quæ adulatio ex fabulis invexerat, gravis Auctor a rei veritate segregavit.

[y] *Dando*] Noluit dicere *largiendo*, quod in vitium verteretur; verum usus est Gerundio, quod vim habet frequentativam. Quoad rem idem dicit; sed sermo honestus est.

[z] *Largiendo*] Non dixit *dando*, ne videretur Cato tenax et avarus, sed *largiendo*; ut, quibus largitionibus alii Populi gratiam et suffragia emendicabant, ab iis ille integer cognosceretur.

[a] *Miseris*] Immo et malis, nam utrisque Cæsar favebat: sed illud dissimulat Sallustius, qui et ipse, in his, a Julio sustentatus fuerat. Nonne modo largitionum Cæsaris invidiam honesto nomine declinavit? Egregius artifex, quem nemo non virum sanctissimum credat, nisi aliunde notus sit.

[b] *Modestiæ*] Vide quid sit modestia ex opposito Cæsaris ingenio agitato, elato, ambitioso.

[c] *Abstinentia*] Ita ut, neque alteri quicquam detraheret, neque vero dona accipere vellet.

discessit. Consul optimum factum ratus, noctem,[d] quæ instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros,[e] quæ supplicium postulabat, parare jubet:[2] ipse, dispositis præsidiis, Lentulum in carcerem deducit:[3] idem fit ceteris[4] per Prætores. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum escenderis[5] ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus.[6] Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera,[f] lapideis fornicibus[g] vincta: sed incultu,[7][h] tenebris, odore fœda atque terribilis ejus facies est. In eum locum postquam demissus Lentulus,[8] quibus præceptum erat, laqueo gulam[9] fregere. Ita ille patricius, ex clarissima gente Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitium[10] vitæ[11] invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cœpario eodem modo supplicium sumtum.[12]

56. Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse[1] adduxerat,[2] et Manlius habuerat, duas legiones[n] instituit;[3][i] cohortes, pro numero militum, complet:[j]

[n] *Catilina instituit duas legiones ex omnibus militibus quos ipse adduxerat, et Manlius habuerat.*

1 *ut dixi* abest ab H.—2 *jussit* C.—3 *deduxit* B.—4 *de ceteris* D. K. M. N. —5 *ascenderis* A. B. C. D. E. F. G. I. K. L. N. *a. l. descenderis* M.—6 *depressus est* B.—7 *inculta* A. B. C. D. E. F. G. I. K.—8 [*Lentul.; vindices rerum capitalium, quib.* Havercamp.] *et judices* N.—9 *gulam ejus* C.—10 *exitum* E. F. (addit. aut. *exitum* G.) I. K. N. Carr. Edit.—11 *vitæ* delet N.—12 *supplicium* A. *sumtum est* K.

1 *secum ipse* B. *ipse* deleto *et* D. K.—2 *abduxerat* N.—3 *constituit* N.—

NOTÆ

[d] *Noctem*] Id est, *ante omnia exequi quæ in Senatu de conjuratis decreta essent, quam nox ingrueret.*

[e] *Triumviros*] Capitales scilicet, quibus carceris et supplicii, immo et aliquando inquisitionis cura demandata erat. *C'étoit une espèce de Lieutenans criminels.*

[f] *Camera*] *Une voute.*

[g] *Fornicibus*] Quid sint hoc in loco fornices nescio, nisi arcuatos lapides intelligamus, ex quibus ipsa camera constat; vel circulos illos in cameris ad speciem etiam extantes, quales visuntur in ædificiis, præsertim Gothico more extructis, quibus tota cameræ et ædificii moles innititur.

[h] *Incultu*] Hoc est, *ex eo quod locus ab hominibus non erat frequentatus.*

[i] *Instituit*] Gall. *Il ordonna.*

[j] *Complet*] Numerum non habebat militum, qui pro duabus legionibus requirebatur, adeoque, quos habuit, in singulas cohortes, quibus suus numerus non constitit, partitus est.

deinde, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venit, æqualiter[k] distribuerat;[4] ac brevi spatio legiones numero[l] hominum expleverat; cum initio[5] non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia[6] circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos,[m] aut[7] lanceas, alii præacutas sudes[n] portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montes iter facere, ad urbem modo, modo in[8] Galliam versus[o] castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare: sperabat prope diem sese[9] habiturum, si Romæ socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus[p] initio[10] ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus[11] conjurationis fretus; simul alienum[q] suis rationibus [existimans,][12] videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

57. Sed postquam in castra nuncius pervenit, Romæ conjurationem patefactam; de Lentulo, Cethego, ceteris, quos supra memoravi, supplicium sumtum:[1] plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem[r] abducit;[2] eo con-

4 *distribuebat* I.—5 *in initio* K. M.—6 *omnibus copiis* M.—7 *atque lanceas* M.—8 *in* delet E. F. G. I. M. N. *modo Galliam modo Urbem versus* K.—9 [*magnas copias se h.* Havercamp.] delet *se* N.—10 *quorum* C. E. G. H. M. *cujus rei in initio* D.—11 *quia quibus* K.—12 *existumans* non invenitur in I. *existimans* M.

NOTÆ

k *Æqualiter*] Ita ut singulæ cohortes de advenientibus eundem numerum acciperent.

l *Numero*] Instituta fuit legio a Romulo hominum 3000. quæ postea crevit usque ad 6000. qualis fuit tempore Catilinæ.

m *Sparos*] *Sparus,* aut *sparum,* rusticum est telum, in modum pedis recurvum.

n *Sudes*] Perticæ sunt acutæ, præustæ.

o *Versus*] Adverbium est.

p *Cujus*] In neutro genere. Eadem ratione Gallice dicimus, *Dont; De quoi.*

q *Alienum*] Nimirum, istud eos deterruisset, qui Romæ occultius conjurationis erant participes: dicerent enim, *Quid nos isti colluvioni immiscebimus?* Deinde minus Catilinæ causam defendere potuissent: nec locus ullus excusationi relictus fuisset.

r *Pistoriensem*] In Etruriæ parte Occidentali, ad Apennini montis radices.

silio, uti per tramites occulte perfugerent in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum[s] eadem illa existimans, quæ supra diximus,[t] Catilinam agitare. Igitur ubi iter ejus ex perfugis[3] cognovit, castra propere movet ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat [in Galliam properanti]. Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui[v] magno[4] exercitu, locis æquioribus expeditus,[w] in fuga[5] sequeretur.[o] Sed Catilina postquam[6] videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugæ, neque præsidii ullam spem,[p] optimum factum ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam[7] primum confligere. Itaque, concione advocata,[8] hujuscemodi orationem habuit:

58. 'Compertum ego[1] habeo, milites, verba virtutem[2] non addere; neque ex ignavo[x] strenuum, neque fortem ex timido[z] exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura, aut moribus[a] inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere: timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti causam consilii[b] aperirem. Scitis equidem, milites, secordia[3] atque

[o] *Utpote qui sequeretur locis planioribus in fugam promtos.*
[p] *Postquam Catilina vidit neque fugæ, neque tutelæ ullam spem remanere.*

1 *sumtum esse* K.—2 *inducit* K.—3 *profugis* B. C. D. G.—4 *magno* deest in B. *cum magno* K.—5 [*in fugam* Havercamp.] *in fuga* F. K. L. M.—6 *postquam Catilina* A. K.—7 *pr. confl.* deleto *quam* I.—8 *convocata concione* B.
1 *ego* abest a K. M.—2 *viris non addere* G.—3 *socordia* E. et alii passim,

NOTÆ

[s] *Difficultate rerum*] Quibus, scilicet, Catilina circumventus erat.

[t] *Quæ supra diximus*] Hæc verba, in textum, ex marginali nota irrepsisse videntur.

[v] *Utpote qui*] Non refertur ad integram sententiam, sed tantum ad verbum *aberat*. Quasi dixisset, *Neque tamen Antonius longe aberat, quanquam aberat tamen, utpote qui, &c.* Non placet hæc scribendi ratio.

[w] *Expeditus*] Qui neque sarcinis, neque armatura gravi onustus erat.

[x] *Ignavo*] Quod ad corpus.

[z] *Timido*] Quod ad animum refertur.

[a] *Moribus*] *Exercitio et assuetudine.*

[b] *Consilii*] Intelligit de consilio manus cum Antonio conserendi.

ignavia Lentuli quantam ipsi[3] cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc quo in[4] loco res nostræ sint,[5] juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo,[6] unus ab urbe, alter a Gallia obstant:[7] diutius in his locis esse, si maxime animus ferat,[q] frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti[8] atque parato animo sitis; et,[9] cum prælium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta, commeatus[c] abunde, coloniæ atque municipia patebunt.[d] Sin[10] metu cesserimus, eadem illa adversa fiunt:[11] neque locus,[e] neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis[12] et illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum[f] est[13] pugnare[14] pro potentia paucorum. Quo audacius aggredimini,[15] memores pristinæ virtutis. Licuit[16] nobis[17] cum summa turpitudine in exilio ætatem[18] agere: potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes[g] expectare. Quia illa fœda atque intoleranda[19] viris[h] videbantur, hæc sequi[i] decrevistis. Si relinquere[k] vultis,

[q] *Quamvis maxime vellemus.*

præter F. et meliores.—3 *sibi* D. I. *sibi nobisque cladem* M.—4 *quo loco* M. N.—5 *sint sitæ* G. H.—6 *duo* abest ab F.—7 *obstat* N.—8 *uti fortes* M.—9 *ut* M.—10 *Si* A. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—11 *fieri* B. *nobis fient* G. *erunt* H.—12 *vobis* K.—13 *est* delet F.—14 *pro pot. p. pugn.* E. F. G. K. L.—15 *aggrediamini* G. M.—16 *Sed vos, &c. potuistis* L.—17 *vobis* B. C. D. E. G. K.—18 *vitam agere* F. M.—19 *intolerabilia vobis* B. *intoleranda vobis* C.—

NOTÆ

[c] *Commeatus*] Ita vocantur ea omnia, quæ ad exercitus alimoniam spectant.

[d] *Patebunt*] Id est, *iis utemur faventibus.*

[e] *Neque locus*] Minime mirum si desperati omnes, qui cum Catilina perstiterunt, adversis vulneribus conciderint: vel ipsis lapidibus animos hæc ejus oratio dedisset.

[f] *Supervacaneum*] *Superfluum et inutile*, quosque adeo facilius est vincere; cum ferocior sit in libertate sua vindicanda dolor, quam in injusta dominatione defendenda cupiditas.

[g] *Opes*] Largitiones puta, captatas hæreditates.

audacia[l] opus est. Nemo, nisi victor, pace[20] bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quis[21] corpus tegitur, ab hostibus averteris,[m] ea vero[22] dementia[23] est.[r] Semper in prælio* maximum est periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur.[n] Cum vos considero, milites, et cum facta vestra æstimo,[o] [24] magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra hortantur;[p] præterea[25] necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam[q] multitudo hostium ne circumvenire queat,[26] prohibent angustiæ.[s] Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit,[r] cavete, inulti[27] animam[28] amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.'[t]

59. Hæc ubi dixit, paululum commoratus, signa[s] canere

[r] *Nam dementia est, sperare salutem in fuga, atque insuper avertere ab hostibus arma, quibus corpus tegitur.*

[s] *Nam angustiæ loci impediunt ne multitudo hostium possit nos circumcludere.*

[t] *Cavete ne inulti moriamini, neve capti potius trucidemini, sicuti bruta, quam relinquatis hostibus victoriam cruentam ac luctuosam, cum certaveritis more virorum.*

—20 *pro pace* C. G. *pace bellum* E.—21 *quibus* A. B. C. D. E. F. G. I. K. L. M. N.—22 *vera* E. I.—23 *summa dementia* D.—* [*iis m.* Havercamp.]—24 *cum existimo* D.—25 *postremo* I.—26 *nos queat* D.—27 *ne inulti* E. F. G. H. I. K. *ne vos inulti* M.—28 *vitam* I. K.

NOTÆ

[h] *Viris*] Id est, *hominibus strenuis et cordatis.*

[i] *Hæc sequi*] *Bellum Patriæ indicere.*

[k] *Relinquere*] *Bellum;* ut illi otium succedat.

[l] *Audacia*] Omnino; nec aliter unquam victoria quisquam potitus est.

[m] *Averteris*] Prout fit illud in fuga.

[n] *Habetur*] Pro *est:* jam sæpius eo sensu vidimus.

[o] *Æstimo*] Id est, *singulis suam laudem tribuo;* adeoque quam præclara fuerint reputo.

[p] *Hortantur*] *Mihi addunt alacritatem.*

[q] *Nam*] Rationem reddit, cur de fortitudine suorum, quantumvis paucorum, bene speret; quia scilicet, per loci angustias, eos non liceat hostibus circumvenire.

[r] *Inviderit*] Id est, *si vobis pereundum sit.* Ille vero vocibus abstinet ominosis.

[s] *Signa*] Quibus prælium indicebatur. Tubis autem, buccinis, et cornibus utebantur, non tympanis, ut solent nostrates, aliique, quando milites ad prælium, vel ad aliquod opus erant evocandi; vel etiam cum signa et Aquilæ erant movendæ. Sed apud alios ista plenius videbis.

jubet; atque instructos ordines[t] in locum æquum deducit:[u] dein, remotis omnium[1] equis, quo militibus, exæquato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum, pro loco atque copiis, instruit.[2] [v] Nam, uti planities erat inter[3] sinistros montes, et ab[4] dextra rupe aspera, octo cohortes in fronte constituit:[5] reliqua[6] signa[w] in[7] subsidio[x] arctius[y] collocat. Ab[8] his centuriones omnes lectos,[9] et evocatos,[z] præterea ex gregariis militibus optimum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Fæsulanum quendam in sinistra parte curare jubet: ipse cum libertis[10] et colonis[a] propter[11] Aquilam assistit, quam bello [12]Cimbrico[b] C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C.[13] Antonius, pedibus[c] æger, quod[14] prælio adesse

[u] *Jubet signa canere, atque deducit ordines ad prælium compositos, in locum planum.*

1 *omnibus* A.—2 *instituit* G. *instruxit* I. M.—3 *in* L.—4 *ad dextram* A. *a dextris* B. C. *rupe* E. I. K. L. *ab dextera parte obsistente rupe aspera* H. *et dextera rupe aspera* M. *et a dextra rupem asperam* N.—5 *instituit* F. *in frontem constituit* M.—6 *reliquarum* E. G. K. L. *reliquorum* I. N.—7 [*subsidiis* Havercamp.] *subsidio* I. M.—8 *longe ab his* M.—9 *electos advocat et evocatos* D. *electos et evocatos* G. M. *electos evocat* H.—10 *liberis* K. *libertinis et colonis* M.—11 *prope aquilam consistit* G. *prope aquilam adsistit* H. M.—12 *in bello* M.—13 *Consul Antonius* C. *Consul C. Antonius* G.—14 *qui* M.—15 *tumultus* A. B.

NOTÆ

[t] *Ordines*] Id est, *milites, prout singuli erant sub suis signis; atque huic, aut illi centurioni parebant.*

[v] *Instruit*] Ordines erant instructi; at, exercitus non erat: illud est munus Imperatoris.

[w] *Signa*] Id est, *reliquum exercitum.*

[x] *Subsidio*] Pars erat aciei postrema, ubi plerumque triarii, et fortissimi erant milites.

[y] *Arctius*] *Il les fit serrer davantage.*

[z] *Evocatos*] Illi erant qui militia functi, ad bellum, nisi in tumultu, cogi non poterant; sed precibus illecti, in gratiam Ducum militabant. Cum itaque longo usu bellandi artem didicissent, merito eos Sallustius *lectos* appellat.

[a] *Colonis*] Syllæ fuerant milites, quibus eum Etruriam colendam divisisse antea vidimus; quos, cum suo largius usi essent, et rebus novis studerent, facile in suas partes Catilina illexerat.

[b] *Cimbrico*] Cimbri Germaniæ populi fuerunt, maxime ad Septentrionem, qui cum terras eorum inundasset Oceanus, quærentes sedes novas, cum Theutonis, atque Tigurinis, adversus Romanos bellum gesserunt.

[c] *Pedibus*] Mente potius; nam morbum finxisse scribit Dio: veritus scilicet, ne sibi palam aliquid a Catilina objiceretur, quod conjurationis participem fuisse eum declararet.

nequibat, M. Petreio[d] legato exercitum permittit. Ille[e] cohortes veteranas, quas[15] tumulti[f] causa conscripserat, in fronte;[16] post eas ceterum[17] exercitum in subsidiis[18] locat. Ipse[g] equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat,[19] uti meminerint, se contra latrones inermos, pro patria, pro[20] liberis; pro aris[21] atque focis suis cernere. Homo militaris, quod[22] amplius annos triginta[23] tribunus,[h] aut præfectus,[i] aut legatus, aut prætor cum magna gloria fuerat, plerosque ipsos[24] factaque eorum fortia[25] noverat; ea commemorando militum animos accendebat.[26]

60. Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petreius tuba signum[k] dat, cohortes paulatim incedere jubet. Idem[1] facit hostium exercitus. Postquam eo ventum, unde a ferentariis[l] prælium committi posset, maximo[2] clamore, cum infestis signis concurrunt;[3] pila omittunt; gladiis res[4] geritur.

C. D. E. F. G. H. I. K. M. N.—16 *in frontem* M.—17 *reliquum* M.—18 *in subsidio* M.—19 *rogat* abest C.—20 *pro libertate, pro liberis* G. N.—21 *pro aris* delet M.—22 *qui* G. K.—23 *triginta annis* D. *annis triginta* M.—24 *ipse* M.—25 *eorum fortia* abest a K.—26 *incendebat* K.

1 *Idemque* E.—2 *utrimque m. c.* M. N. *utrimque concurrunt* G.—3 *corruitur* M.—4 *bellum geritur* A. *res agitur* B. F. H. I. K. M.—5 *instant* C. *pugnare*

NOTÆ

[d] *Petreio*] Is postea legatus fuit Pompeii in Hispania, uti quidem videtur, qui se rerum desperatione interemit in Africa; vel, ut alii volunt, cum Juba mutuo vulnere concidit.

[e] *Ille*] Petreius.

[f] *Tumulti*] Pro *tumultus*. Ita olim indifferenter.

[g] *Ipse*] *Mirum quam hic hæsitent commentatores, ac contraria, et sentiant, et exponant in re non admodum difficili: Ego*, inquit Glareanus, *per* Ille, Petreium *intelligo; per* Ipse, Antonium: *quod Lector ipse, simul atque priora cum sequentibus conferet, facile intelliget.* At vero Zanchius, *Non satis mirari possum Glareanum qui asserit hic Commentatores hæsitare, ac contraria exponere, cum ipse potius in re facillima contraria exponat. Ego, ut a Glareano dissentiam, per* Ille *Antonium accipio, per* Ipse, *Petreium; quod unusquisque mediocriter eruditus animadverteret.* Quartus accedat, si volet, cui ipse ridiculo fuerim, certe tertius Zanchium et ejus confidentiam multis de causis demiror, atque in Glareani partes unice concedo.

[h] *Tribunus*] Dux mille hominum, *Colonel.*

[i] *Præfectus*] Qui neque est Imperator, neque Legatus; sed pro tempore vicem præstat Imperatoris aut Prætoris.

[k] *Signum*] *Bellicum*, seu *classicum;* signum cum hoste congrediendi. *Fit sonner la charge.*

[l] *Ferentariis*] Illi erant, quibus le-

Veterani, pristinæ virtutis memores, comminus acriter instare;[5] illi haud timidi resistunt. Maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis[m] in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros[n] pro sauciis arcessere: omnia providere: multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire: strenui militis, et boni imperatoris officia simul exequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam contra,[o] ac[6] ratus erat, magna[7] vi tendere;[8] cohortem prætoriam[p] in medios hostes inducit,[9] eos[10] perturbatos atque alios alibi[q] resistentes interficit,[11] deinde utrimque ex lateribus aggreditur. Manlius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis[r] atque pristinæ dignitatis, in confertissimos hostes incurrit,[12] ibique pugnans confoditur.

61. Sed confecto prælio, tum vero cerneres,[s] quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam fere, quem quisque[1] pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos cohors prætoria disjecerat, paulo diversius,[2] sed omnes tamen adversis[t] vulneribus conciderant.[3] Catilina vero longe a suis, inter

I.—6 *ut ratus erat* G. *ac quam erat ratus* H. *ac quam r. e.* M. *contra quam r. e.* K.—7 *maxima vi contendere* F. M. *ac m. v. t.* N.—8 *contendere* B. C. D. E. G. K.—9 *adduxit* A. *deducit* K.—10 *eos* N.—11 *interfecit* L.— 12 *concurrit* A.
1 [*quisque vivus pugn.* Havercamp.] *p. l. v. c.* K. *in viis* M.—2 *diversi a suis* A. *diversius jacebant* D. N.—3 *inciderant* M.—4 [*paullum* Havercamp.]

NOTÆ

vis armatura; quique primi, quibus vis telis eminus missis, prælium committebant.

[m] *Expeditis*] Non jam intelliguntur levis armaturæ milites, ut supra; (quid enim faceret Catilina cum inermis nebulonibus?) sed ii qui ad pugnandum alacres videbantur. *Les plus lestes, les plus braves.*

[n] *Integros*] Qui neque vulnerati, neque lassi erant. *Des gens frais.*

[o] *Contra*] Adverbium. *Contra ac*, optime: *Contre l'opinion qu'il avoit eue.*

[p] *Prætoriam*] Ea erat quæ a Prætore non discedebat; in quam amici, voluntarii, fortissimi, omnes optime armati ascribebantur.

[q] *Alibi*] Id est, *adversus alios, quam a quibus interficiebantur.*

[r] *Generis*] In primis nobilem fuisse supra vidimus.

[s] *Cerneres*] Pro, *quivis cernere posset.* Sic sæpe et elegantissime loquuntur.

[t] *Adversis*] Id est, *quæ corpore adverso, et hosti opposito acceperant.*

hostium cadavera repertus est, paululum[4] etiam spirans[5] ferociamque[6] animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Postremo, ex omni copia, neque in prælio, neque in fuga quisquam civis ingenuus captus.[v] Ita cuncti suæ hostiumque vitæ juxta[u] pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani lætam aut incruentam victoriam adeptus:[7] nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio,[8] aut graviter[9] vulneratus discesserat. Multi autem, qui de[10] castris visendi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia[11] cadavera, amicum alii, pars[12] hospitem reperiebant. Fuere item,[13] qui inimicos suos cognoscerent.[14] Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror; luctus atque[15] gaudia[16] agitabantur.

[v] *Postremo, ex omni Catilinæ exercitu, neque in prælio, neque in fuga, quisquam civis ingenuus captus est.*

---

paullulum A. B. C. G. H. I. K. L. M.—5 *suspirans* D. *aspirans* G. *etiam tum spirans* K. *etiam adhuc* M.—6 *ferocitatemque* K. M.—7 [*adeptus erat* Haverc.] *est* A. B. D. G. H.—8 *in prælio* abest a K.—9 *gravior* K. abest M.—10 *ex castris visendi* A. D. F. H. I. *e castris visendi* C. G.—11 *hostium* D.—12 *alii hospitem* I.—13 *autem* A.—14 *recognoscerent* A. F. *cognoverant* D.—15 delet *atque* A.—16 *gaudium agitabatur* B. *gaudium agitabantur* D.

NOTÆ

[u] *Juxta*] Jam vidimus hanc vocem pro *pariter* positam. Intellige, Hos Catilinæ milites, modo ut hostes interficerent, sibi minimum cavisse.

CAII CRISPI SALLUSTII

BELLUM JUGURTHINUM.

FALSO queritur de natura sua[1] genus humanum, quod imbecilla[2] atque ævi brevis[3] forte[4] potius, quam virtute regatur.[a] Nam contra,[5] reputando,[b] neque majus aliud,[6] neque præstabilius invenias,[7] magisque naturæ[8] industriam[a] hominum, quam vim,[b] aut tempus deesse.[c] Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus[9] est, neque fortunæ[c] eget:[10] quippe probitatem,[12] industriam,

[a] *Homines queruntur inique et absque ratione de natura sua,* quando dicunt, *quod, cum sint debiles atque vitæ brevis, regantur potius cæco fato, aut fortuna, quam virtute.*
[b] *Inquirendo in contrariam opinionem.*
[c] *Et potius invenies industriam hominum deesse naturæ.*

1 *sui* C.—2 *i. ætas* C. B. N. *imbecillitas* E.—3 *atque ætas ævi brevis* D.—4 *Forte* scribunt D. F. I. K. L. ex quibus ita restituimus, sequitur enim, *neque Fortuna eget*, quod probat hic *Forte* esse legendam, non *sorte*.—5 *hoc reputando* A.—6 *aliquid* G. M.—7 *invenies* C. D. K. N.—8 *naturæ* delet H. N. —9 *potens et* G. *potensque clarus* deleto *et* K.—10 [*neque Fortuna eget* Havercamp.] *neque Fortunæ eget* H. *fortunæ* A.—12 [*quippe quæ prob.* Haver-

NOTÆ

[a] *Industriam*] Quid potissimum per industriam significetur, ex hoc loco intelligis, animi scilicet cura et diligentia cum solertia conjuncta.

[b] *Vim*] Pro *vires:* raro ita invenias.

[c] *Fortunæ*] Istud Auctoris sensu, qui hoc in loco cum Stoicis facit, est

alias artes bonas[13] neque[14] dare, neque eripere potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est:[15] perniciosa lubidine paulisper[16][d] usus;[17] ubi per secordiam[e] vires, tempus, ingenium[18] defluxere,[19] naturæ infirmitas accusatur: suam quisque[20] culpam[21] auctores[f] ad negotia transferunt.[d] Quod si hominibus bonarum[g] rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multumque[22] etiam periculosa petunt;[23] neque regerentur[h] magis,[24] quam regerent casus, et eo magnitudinis[25] procederent, ubi pro mortalibus[i] gloria æterni fierent.[e]

2. Nam uti genus hominum[1] compositum ex anima et

[d] *Quique et singuli actores, et ii qui res exequi deberent, rejiciunt in negotia culpam suam.*

[e] *Et pervenirent ad eum gradum magnitudinis, in quo (cum mortales sint) gloria æterni evaderent.*

camp.] *quippe probitatem*, &c. deleto *quæ* L.—13 *bonas artis* quidam ex Mss. —14 *neque Fortuna dare* C.—15 *est* delet H.—16 *paulisper p. l. u.* C.—17 *usus est* M.—18 *t. ætas, ingenium* A. D. F. G. M.—19 *defluxere* B. C. D. E. F. G. H. I. K. Sed *diffluxere* L. *difluxerunt* N.—20 [*quippe* Havercamp.] *quique* A. B. C. D. E. F. H. I. K. L. M. *quisque* G. N.—21 *actores* L. et Ed. Carr. —22 *multoque* E. G. K. M. N. *multaque* I. L.—23 *appetunt* H. K.—24 *n. r. casibus m. q. r. casus* H. B. *n. r. magis a casibus q. r. c.* D. F. *n. r. a casibus magis q. r. c.* E. *n. r. m. casibus q. r. c.* K. *n. r. m. a casibus q. ipsi r. c.* M.—25 *eo magnitudinis* eraso *et* I. N.

NOTÆ

accipiendum: si enim gloriam in hominum opinione reponas, omnino et fortuna, et ejus bonis opus erit; quæ plerumque præclaris factis invidet.

[d] *Paulisper*] Verissime et optime: sensibus enim cum finita et debilis admodum sit natura, per eos homo, nisi brevem, non potest capere voluptatem; qua brevi quoque exsaturabitur.

[e] *Per socordiam*] Causam indicat nostrorum omnium malorum, animi negligentiam. Ea est omnino.

[f] *Auctores*] Melius, credo, *actores* quam *auctores*. Hoc dicit, Homines rerum difficultatem, quasi illæ supra suas vires essent, causari; cum ideo tantum tales sint, quod viribus a natura concessis, in tempore et loco usi non fuerint.

[g] *Bonarum*] Earum scilicet, quæ mentem excolunt, et nobis prosunt.

[h] *Regerentur*] Nunc dicit Sallustius, sapientem adversus fortunam posse plurima, etiam in iis quæ sunt ejus juris; id est, quoad ea bona quæ non sunt in nostra potestate, ut loquuntur Stoici, puta famam, gloriam, divitias, &c. Atque hoc quoque verum est, nosque maxime ad virtutem incendere debet. Nam *sapiens quidem, pol, ipse fingit fortunam sibi*, ut ait Plautus.

[i] *Pro mortalibus*] Vis istius præpositionis, eo sensu, quo in interpretatione indicavimus, diligenter notanda est; nam aliquoties recurret in nostro Auctore.

corpore:[2] ita res cunctæ studiaque omnia nostra[3] corporis alia, alia animi naturam sequuntur.[4] Igitur præclara[j] facies, magnæ divitiæ, ad hoc[5] vis corporis, alia hujuscemodi[6] omnia brevi[7] dilabuntur;[f] at ingenii egregia[8] facinora,[9] sicuti anima,[10] immortalia[k] sunt.[g] Postremo corporis et fortunæ bonorum,[11] ut initium,[12] finis est: omnia[13] orta occidunt et aucta senescunt; animus incorruptus, æternus,[l] rector humani[14] generis, agit atque habet cuncta,[15] neque ipse habetur.[g] Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam ætatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius,[16] neque amplius[17][m] aliud[18] in natura mortalium est, incultu atque secordia[19] torpescere sinunt:[h] cum præsertim tam multæ variæque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

3. Verum ex[1] his[i] magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempestate cupienda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque

[f] *Præterea vis corporis, et alia omnia istius generis, exiguo tempore dissolvuntur et dissipantur.*

[g] *Animus versat et regit, tenet et intelligit omnia, neque ipse includitur, cogitur, aut continetur.*

[h] *Ceterum sinunt languere et stupere incultu atque socordia ingenium, quo nihil est melius, neque majus, aut dignius in natura mortalium.*

[i] *Ex his artibus.*

1 *humanum* K.—2 *ex a. et corpore* A. *est ex c. et a.* C. D. M. *et corpore et a. e.* H. I. K.—3 *nostra* delet K. M.—4 *consequuntur* H.—5 *ad hæc* H.—6 *omnia hujuscemodi* L.—7 *brevi tempore* B.—8 *præclara* H. I.—9 *facta* M.—10 *sicut a. est immortalis i. s.* H.—11 *honorum* H.—12 *ut initium sit* G. *ut est i. s. f. e.* N. 13 [*omniaque orta* Havercamp.] *omnia quæ orta sunt* F. *omnia orta occidunt* K. —14 *hujus g. h.* H.—15 *omnia* C.—16 *neque melius est.* H. *neque melius* absunt in E.—17 *clarius* sed in Marg. *amplius* M.—18 *aliud* delet I.—19 *Socordia* B. H. I. K. L.

NOTÆ

[j] *Præclara*] *La bonne mine, la belle prestance.*

[k] *Immortalia*] Rhetorice istud dictum: tametsi historiæ beneficio præclara facta in memoria hominum reviviscunt.

[l] *Æternus*] Hæc fuit opinio quorundam Philosophorum, quam ab Orphæo dimanasse volunt. Immo Stoici rotunde, animas divinæ mentis particulas esse prædicaverunt. A quo errore nos retrahit doctrina Christiana, cum animæ nostræ a Deo creatæ sint ex nihilo, adeoque initium habuerint; quamvis sint æternæ a parte post, ut loquuntur, atque in æternum esse debeant.

[m] *Amplius*] Ingenii humani tangit

illi, quibus per fraudem jus[2] fuit,[3] tuti,[n] aut[4] eo magis honesti[o] sunt.[j] Nam vi[p] quidem regere patriam, aut parentes,[q] quanquam et possis, et delicta corrigas,[r] tamen importunum est: cum præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hostilia[5] portendant;[s] frustra autem niti, neque aliud fatigando,[6] nisi odium, quærere, extremæ dementiæ est:[k] nisi forte quem inhonesta et perniciosa[7] lubido tenet, potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari.[t]

4. Ceterum ex aliis[1] negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute,[u] quia multi dixere, prætereundum[2] puto; simul, ne per insolentiam quis existimet, memet, studium laudando,

[j] *Neque illi quibus, per fraudem, jus et potestas fuit gerendi* Magistratus et imperia, *sunt ea re magis tuti aut honesti.*

[k] *Extremæ dementiæ est frustra conari, neque aliud persequi et consequi se fatigando, nisi odium.*

1 *ex his artibus* H.—2 *vis fuit* M. N.—3 *utique tuti* A. B. C. D. E. F. G. H. K. M. N. *uti tuti* L.—4 *atque eo* M.—5 *portent* M.—6 [*se fat.* Haverc.]—7 *periculosa* M. in Marg. Alii *perniciosa* M.

1 [*iis* Havercamp.] *aliis* D. E. F. G. H. I. L. M.—2 *eo pr. p.* H.—3 *fore*

NOTÆ

magnitudinem, et, ut ita dicam, vastitatem, qua cuncta complectitur.

[n] *Tuti*] Illud respicit bona fortunæ.

[o] *Honesti*] Refertur hoc ad bona animi: adeoque iis de quibus loquitur, prorsus inutile fuisse dicit, muneribus frui Reipublicæ. Gall. diceres, *Ils n'en sont ni plus à leur aise, ni plus honnêtes gens.*

[p] *Vi*] Plato, quod et Cicero refert, tantum contendere in Republica jubet, quantum probare tuis civibus possis; vim neque Parenti, neque Patriæ afferri oportere.

[q] *Parentes*] Innuit, tam turpe esse Patriam quam Parentes vi regere velle.

[r] *Corrigas*] Hoc est, aliquatenus corruptam civitatem emendes, aut id certe coneris.

[s] *Portendant*] Significent, et propemodum importent, cum iis qui castigantur, tum præsertim illis qui alios castigant.

[t] *Gratificari*] Gall. diceres, *Abandonner, et faire litière.*

[u] *Cujus de virtute*] Historiam Cicero dicit, Testem temporum, Lucem veritatis, Magistram vitæ, Nunciam vetustatis. Historiæ virtus certe maxima est, cum ex aliorum erratis in melius vitam nostram instituere, et quid expetendum, quidve fugiendum sit, sine nostro periculo, possimus cognoscere. Proinde haud immerito Demetrius Phalereus Ptolemæum regem subinde admonebat, ut libros legeret, quoniam, quæ amici non audent Principibus demonstrare, ea omnia in libris scripta reperiuntur.

extollere.[t] Atque ego credo fore,[3] qui, quia decrevi procul a republica ætatem agere, tanto[4] tamque utili labori meo[5] nomen inertiæ imponant:[6] certe,[v] quibus maxima industria videtur, salutare[a] plebem, et conviviis[7] gratiam[8 b] quærere. Qui[9] si reputaverint, et[10] quibus[c] ego[11] temporibus magistratus[12] adeptus sum, et quales[d] viri idem assequi nequiverint, et postea[13] quæ genera[e] hominum in senatum pervenerint;[14] profecto existimabunt, me magis merito,[f] quam ignavia, judicium animi mutavisse,[g] majusque[15] commodum ex otio[h] meo, quam ex aliorum negotiis[16] reipublicæ venturum. Nam sæpe[17 i] audivi, Q. Maximum,[k] P. Scipionem,[l] præterea

[t] *Ne aliquis existimet memet extollere insolenter studium meum,* id *laudando.*

eos E. *fore quosdam* F. H. *fore homines* G. K.—4 *tantoque et tam* A. *tanto et tam* E.—5 *meo* abest in N.—6 *inponunt* I.—7 *In conviviis* B. G.—8 *gloriam* A. M. *aut gloriam* H.—9 *quod si* H. *qui* delet G. M.—10 *in quibus* I. K. *ex quibus* L. M.—11 *ego* delet K.—12 [*magistratum* Havercamp.] *magistratus* A. H.—13 *præterea* E.—14 *provenerint* M.—15 *magisque* G.—16 *negotio* E.—17 *sæpe*

NOTÆ

[v] *Certe*] Vim habet occultam hæc vocula, et conjunctam habet ironiam: Auctor enim, dum videtur rationem reddere velle cur ab aliis reprehendatur, graviter illos vellicat. Gall. diceremus eodem charactere, *Assurément, Ces Messieurs qui savent si bien courir aprés le petit peuple, &c.*

[a] *Salutare*] Romæ mos erat, quosvis prensando, nomine proprio, quasi intime noti et cari essent, appellando, manum porrigendo, &c. plebis gratiam aucupari.

[b] *Gratiam*] Benevolentiam et populi favorem solebant etiam epulis et conviviis demereri.

[c] *Quibus*] Turbulentis scilicet, singulis ad imperia properantibus; unde et ea obtinere erat difficile.

[d] *Quales*] Catonem forte inter alios designavit, qui Præturam petens repulsam tulit. Cæterum totus iste locus Rhetoricam habet exornationem, non persuasionem: neque vero cuiquam Sallustium virtute Catoni prælatum fuisse, Sallustius probaverit.

[e] *Genera*] Per contemtum loquitur. Gall. *Quelle sorte de gens.*

[f] *Merito*] *Legitima de causa.* Quasi scilicet eo indignum fuisset, cum turba hominum levissimorum in Senatum venire.

[g] *Mutavisse*] Id est, *Non jam, ut antea, ad Magistratus ferri.*

[h] *Otio*] Honesto scilicet, quod in scribenda historia collocavit: nam aliud est otium turpe, eorum qui se non tantum a rebus publicis, sed ab omni omnino labore subtrahunt.

[i] *Nam sæpe*] Ostendit Auctor quomodo hominibus prosit rerum memoria; atque adeo, qua ratione Respublica ex suo otio emolumentum possit capere.

[k] *Maximum*] Is ex Fabiorum fuit familia, qui Dictator adversus Annibalem creatus, cunctando vim fregit illius Imperatoris, atque res Romanas paululum restituit.

civitatis nostræ præclaros[18] viros solitos ita dicere, CUM MAJORUM IMAGINES[m] INTUERENTUR, VEHEMENTISSIME SIBI ANIMUM AD VIRTUTEM[19] ACCENDI. Scilicet non ceram[n] illam, neque figuram tantam vim in sese[20] habere;[21] sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam[22] adæquaverit.[23] At contra, quis est[24] omnium[25] his[26] moribus,[m] quin[27] divitiis[28] et sumtibus, non probitate neque[29] industria cum majoribus suis contendat? etiam homines[30] novi,[o] qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire,[31] furtim[p] et per[32] latrocinia[33] [q] potius [quam bonis artibus] ad imperia[34] et honores[35] nituntur. Proinde[36] quasi prætura et consulatus, atque alia[37] omnia[38] hujuscemodi per se ipsa clara, magnifica sint; ac non perinde[39] habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus[41] est.[n]

[m] *Quis omnium ita vivit?*
[n] *Et non sint sicuti virtus eorum, qui ea gerunt.*

ego H. L. M. N.—18 *clarissimos* D.—19 *ad virtutes* I.—20 *in sese* abest ab I. —21 *Habere dicebant* F. G.—22 *gloriam majorum* H. *adæquaverint* Ed. Glar. —23 *adæquavit* K.—24 *est* delet H.—25 *omnium hominum* A. F. *hominum omnium* E. *hominum* K. M.—26 *his temporibus* M.—27 *qui non* B. C. D. E. G. H. K. M. N. *qui in* I.—28 *de divitiis* H. M.—29 *atque* C.—30 *ignobiles, novi* E.—31 *modo furtim* H. *furto et latrociniis* N.—32 *per* deleto *et* I.—33 *latrocinium* E. K. M.—34 *imperium* E. G.—35 *et honores* delet M.—36 *perinde* G. H. N.—37 *alia* delet N.—38 *omnia* delet I.—39 *cum perinde* I.

NOTÆ

[l] *Scipionem*] Plures eo nomine fuerunt viri celeberrimi, præcipue vero Africani illi duo, Major a victa Africa, Minor ab Africa quoque, sed postquam ab illo victa fuisset, ita dictus; antea in Scipionum familiam ab Africani illius magni filio, et in decus gentis assumtus, cum Paulo Macedonico procreatus esset. De isto minore hic agi non sine ratione crediderim.

[m] *Imagines*] Habebant Romæ qui illustri loco nati essent, quique in majoribus aliquem sella curuli decoratum habuissent, Imagines, vultus eorum et posterorum ex cera referentes, quas ligneo armario in atrio, seu prima parte ædium, includebant; festis diebus, apertis armariis, ornabant; in funeribus, cum quis ex ea domo mortuus esset, honoris causa, efferebant.

[n] *Ceram*] Ex qua fiebant imagines.

[o] *Novi*] Id est, *qui primi ex sua gente claruerunt.*

[p] *Furtim*] Non virtutem ostentando; sed largitionibus suffragia corrumpendo, aut aliter cuniculis irrependo.

[q] *Latrocinia*] Hoc nomine omnes damnat vias distortas, per quas sibi potestatem quærebant, et Magistra-

Verum ego liberius altiusque[42] processi dum me civitatis morum piget tædetque: nunc[43] ad inceptum[44] redeo.

5. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Jugurtha, rege Numidarum,[r] gessit: primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit;[o] dein[1] quia tum primum superbiæ nobilitatis obviam itum[2] est.[p] Quæ contentio[s] divina et humana cuncta[3] permiscuit, eoque vecordiæ processit, uti studiis civilibus[4] bellum[t] atque vastitas Italiæ finem faceret.[q] Sed priusquam hujuscemodi rei initium[5] expedio,[6] pauca supra repetam; quo ad cognoscendum omnia illustria magis,[7] magisque in aperto sint. Bello[8] Punico secundo,[v] quo[9] dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem[w] nominis Romani, Italiæ opes maxime attriverat; Masinissa rex Numidarum, in amicitia receptus[10] a P. Scipione,[x] cui postea Africano cognomen[11] ex virtute fuit, multa et præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis[12] Carthaginiensibus et capto[13] Syphace,[y]

[o] *Quia victoria in hanc et illam partem inclinavit.*
[p] *Quia tum primum* Plebs Romana *restitit superbiæ nobilitatis.*
[q] *Ut discordiis civilibus bellum atque amplitudo Italiæ finem facerent.*

---

ac perinde non K. *proinde* B. H. *ptaliter inde.*—41 *virtus sit* F.—42 *atque altius* H.—43 *nunc autem* G.—44 *intentum* M.

1 *dehinc* E. K. *deinde* N.—2 *obviatum est* A. B. C. D. E. F. G. H. K. M. N. solus L. genuinam et veterem scripturam servat.—3 *omnia* C.—4 *civibus* N.—5 *consilium* sed in marg. *initium* M.—6 *expediam* A. B. C. D. E. G. H. I. K.—7 *magis* abest ab N.—8 *bello igitur* H.—9 *in quo* H.—10 *receptus est* F. *est exceptus* M.—11 *agnomen* K.—12 *devictis* H.—13 *rege Syphace* G.—14 Abest

NOTÆ

tus, si cum vi aliqua conjunctæ essent.

[r] *Numidarum*] Numidia Africæ regio est, pars ejus tractus, quem hodie *Barbariam* vocant, cum eo qui *Bildulgerid* dicitur. Verum ex ipso Sallustio postea cognoscetur.

[s] *Contentio*] Inter plebem et nobilitatem.

[t] *Bellum*] Quod Marium inter et Syllam intercessit, huic favente nobilitate, illi plebe.

[v] *Secundo*] Ter Romani cum Carthaginiensibus bellum gesserunt. Hoc secundo, Pœnorum duce Annibale, profligata et propemodum perdita fuit res Romana.

[w] *Post magnitudinem*] Id est, *non contentus Romanorum gloriam proculcasse.*

[x] *Scipione*] Hic est major.

[y] *Syphace*] Fuit Syphax rex Massæsylorum opulentissimus, Masinissæ ab Oriente vicinus.

cujus[14] in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quascumque urbes et agros manu ceperat,[15] regi[z] dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit:[16] imperii[a] vitæque ejus finis idem fuit. Dein Micipsa filius[17] regnum solus[18] obtinuit, Mastanabale[19] et Gulussa fratribus morbo absumtis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit;[r] Jugurthamque, Mastanabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat,[20] privatum[b] reliquerat,[21] eodem cultu, quo liberos[22] suos, domi habuit.

6. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus,[1] decora[2] facie, sed multo maxime ingenio validus,[3] non se[4] luxu,[5][c] neque inertiæ corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est,[6] equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare: et cum omnes gloria anteiret,[s] omnibus tamen carus esse:[7] ad hoc[8] pleraque tempora in venando agere, leonem[9] atque alias feras primus, aut in primis ferire:[10] plurimum facere, minimum[d] ipse de[11] se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio[12] lætus fuerat,[13] existimans virtutem Jugurthæ regno suo gloriæ fore: tamen, postquam hominem adolescentem, exacta sua ætate,[14] parvis liberis, magis magisque

[r] *Is Micipsa genuit ex sese Adherbalem et Hyempsalem.*
[s] *Cum omnes gloria superaret.*

cujus D.—15 *regi Masinissæ* H. K.—16 *mansit* K.—17 *filius ejus* B. A.—18 *regnavit solusque obtinuit* A.—19 *Manastabile* A. B. E. F. H. K. *Manastabale* C. D. G. *Manastabala* I.—20 Abest *erat* ab A. C.—21 *dereliquerat* D. E. G. I. L. *deliquerat* K. *a regno reliquerat* M.—22 *filios* M.

1 *virtutibus* K.—2 *decoraque* N.—3 *validus erat* I.—4 *sese* N.—5 *luxui* A. B. D. E. F. G. H. I. K. L.—6 *erat* E.—7 *erat* H. I. M. N. sed in M. in marg. Al. *esse*.—8 *ad hæc* E. H. K.—9 *leones* F.—10 *primum ferire* K. delet *in* H.—11 *de se ipso loqui* M. *ipse* abest N.—12 *animo* I.—*in initio ejus* M.—13 *erat* K.—14 *et suis p. l.* M.—15 delet *vehementer* C.—16 *multum* K.—17 *cupiditatem*

NOTÆ

[z] *Regi*] Masinissæ.

[a] *Imperii*] Illud est quod Gallice dicimus, *Il perdit l'Empire avec la vie.* Sed Latine phrasis ambigua est, adeoque minus probanda.

[b] *Privatum*] Scilicet nec regio cultu, nec in spem regni, educebatur.

[c] *Luxu*] Antique. Jam supra eosdem notavit fontes omnium malorum: verissime; atque hic præcipue cavendum.

[d] *Et minimum*] Facile his artibus

crescere intelligit,[t] vehementer[15] negotio permotus,[e] multa[16] cum animo suo volvebat. Terrebat natura[f] mortalium, avida imperii et præceps[g] ad explendam animi cupidinem:[17] præterea opportunitas[h] suæque et liberorum[18] ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos agit:[u] ad hoc[19] studia Numidarum in Jugurtham[20] accensa;[v] ex quibus, si talem virum[21] interfecisset, ne[22] qua seditio, aut bellum oriretur, anxius erat.[w]

7. His difficultatibus[1] circumventus ubi videt, neque per vim, neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Jugurtha manu promtus et appetens gloriæ militaris, statuit eum objectare periculis[x] et eo modo fortunam tentare. Igitur, bello Numantino,[i] Micipsa[2] cum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans, vel ostentando[3] virtutem, vel hostium sævitia facile[4] occasurum, præfecit Numidis,[y] quos in Hispaniam

[t] *Cum videt hominem adolescentem crescere magis ac magis, vita sua elapsa.*

[u] *Quæ opportunitas etiam homines aliqua virtute præditos, spe prædæ a recta via abducit.*

[v] *Præterea maximus Numidarum favor in Jugurtham* Micipsam terrebat.

[w] *Anxius erat ne qua seditio aut bellum oriretur ex Numidis, si talem virum fraude interfecisset.*

[x] *Quia Jugurtha erat manu promtus, et cupidus gloriæ militaris,* Micipsa *decrevit eum objicere periculis.*

[y] Micipsa *opinans eum interfectum iri, vel dum virtutem ostentaret, vel hostium sævitia,* eum *præfecit Numidis.*

A. *libidinem* G.—18 *suæ liberorumque* D. E. G. H. I. K. L. M.—19 *ad hæc* D. E.—20 *incensa* H.—21 [*vir. dolis interf.* Havercamp.] *dolis* abest I.—22 *ne aliqua* M.

1 *Micipsa circ.* H.—2 *Micipsa* abest K.—3 *Ostendendo* E. M.—4 [*fac eum*

NOTÆ

sine invidia laudem invenias, et amicos pares.

[e] *Permotus*] Timens videlicet, ne Jugurtha gratia et viribus ad invadendum imperium uteretur.

[f] *Natura*] Illud est quod modo dixi: Metuebat Micipsa, ne, sicuti omnes a natura proni sumus ad explendam animi cupidinem, Jugurtha aliquid contra se, tum maxime contra liberos moliretur.

[g] *Præceps*] Hinc prima mali nostri labes: adeoque hac in parte diffidendum, præcavendum, et maxime ex longinquo principiis obstandum; nisi forte per prærupta frangi lubet.

[h] *Opportunitas*] Senes enim et pueri ad bellum sunt inepti.

[i] *Numantino*] Numantia urbs fuit Hispaniæ Tarraconensis, non longe ab ortu fluminis Durii; si viros æstimes, par omnibus urbibus, bello quod olim adversus Romanos fortissime gesserunt.

mittebat. Sed ea res longe aliter,[5] ac ratus erat, evenit. Nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi[6] naturam P. Scipionis, qui tum Romanis[7] imperator,[8] et [9]morem[j] hostium cognovit;[z] multo labore multaque cura, præterea modestissime parendo et sæpe obviam eundo periculis[a] in tantam claritudinem[10] brevi[11] pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maximo[12] terrori esset. Ac sane, quod difficillimum in primis est, et prælio[13] strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum[k] ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. Igitur imperator[l] omnes fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies[14] amplecti: quippe cujus neque[15] consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia[16] animi[b] et ingenii solertia, quis[17] rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

8. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiæ bono honestoque potiores[m] erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti: qui Jugurthæ non [1]mediocrem[n] animum pollicitando accendebant,[2] SI MICIPSA REX[3] OCCIDISSET,

[z] *Postquam* Jugurtha *cognovit hostium pugnandi rationem.*
[a] *Objectando se periculis.*
[b] *Præterea in ipso erat munificentia animi.*

occas. Havercamp.] *eum* abest ab M.—5 *aliter* deleto *longe* I.—6 *ut naturam* M.—7 [*imp. erat* Havercamp.] *præerat* K. L. *imperabat* D.—8 *erat* abest D. H.—9 *mores* E.—10 *claritatem* E.—11 *brevi tempore* B. C. H.—12 delet *maximo* A.—13 *in prælio* N.—14 [*magisque eum indies ampl.* Havercamp.] *magisque in. d. amplectebatur* deleto *eum* M.—15 *consilium* deleto *neque* M.—16 *Magnificentia* D.—17 [*quibus* Havercamp.] *quis rebus s. m. e. R. familiaris conjunxerat* N:

1 *mediocriter* H. N.—2 *incendebant* K.—3 *rex* abest K.—4 *Numidiæ* abest

NOTÆ

[j] *Morem*] Hic in perditissimo homine, pro tempore spectare licet ornatissimi juvenis speciem, et virtutis exemplum.

[k] *Alterum*] Esse, scilicet, bonum consilio, generat timorem: enimvero aliquis ut bene det consilium, ille debet prævidere pericula; quod si fuerit, ea profecto reformidabit, deinde, quod pronum est, ni virtus adsit, eadem quoque fugitabit.

[l] *Imperator*] Scipio.

[m] *Potiores*] Id est, *Apud quos major divitiarum, quam virtutis, ratio et æstimatio erat.*

[n] *Mediocrem*] Id est, *Cum jam sua sponte Jugurtha dominationem affectaret, cupiditatem inflammabant insuper*

FORE, UTI SOLUS IMPERII NUMIDIÆ[4] POTIRETUR: IN IPSO[o] MAXIMAM[5] VIRTUTEM, ROMÆ OMNIA VENALIA ESSE. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere[6] auxilia, ipse reverti domum decrevit: donatum atque laudatum magnifice pro concione Jugurtham in[7] prætorium[p] abduxit:[c] ibique[8] secreto monuit, 'uti potius publice,[q] quam privatim amicitiam populi R. coleret; neu[9] quibus[r] largiri insuesceret: periculose[10] a paucis emi, quod multorum[s] esset: si permanere vellet in suis[11] artibus,[t] ultro[v] illi et gloriam,[12] et regnum[13] venturum: sin[14] properantius[w] pergeret, suamet ipsum pecunia[15] præcipitem casurum.'

9. Sic locutus, cum literis, quas Micipsæ redderet, dimisit: earum sententia hæc[1] erat.[d] 'Jugurthæ tui bello Numantino longe maxima virtus fuit: quam[2] rem tibi certo[3]

[c] *Adduxit Jugurtham in tentorium suum, postquam ipsi munera contulisset, atque* eum *laudasset magnifice coram exercitus.*

[d] *Earum sensus hic erat.*

ab N.—5 *summam* G.—6 *mittere* A.—7 *in prætorio adducit* E.—8 *ibi* K.—9 *neu aliquibus* A. B. E. F. G. M. N. *ne aliquibus* H. K.—10 *enim a* G.—11 *in s. a. bonis* M.—12 *illi* abest E. *illi ultro gloriam et r. v.* M.—13 *imperium* G.—14 *si* F. N.—15 *se et ipsius pecuniam* M. *et ipsam se pecuniam* N.

1 *talis erat* M.—2 *quam rem tibi certe s. g. e.* A. C. D. *q. r. t. certe scio gaudium esse* B. F.—2 *quam rem tibi pro certo scio gaudio esse* E. *quam rem scio certe esse gaudio* H. deleto *tibi* B. *q. certe r. scio g. t. e.* I. *q. r. tibi certo s. g. e.* G. K. L.—3 abest *certo* ab M.—† *itidem* D.—4 *en* delet L. N.—5 Sic omnes Mss.

NOTÆ

exitiales illi Consiliarii.

[o] *In ipso*] Jugurtha scilicet. Hæc et similia ingerebant nefarii illi adulatores.

[p] *Prætorium*] Tabernaculum erat, seu tentorium, vel domus Imperatoris, sive Prætor sive Consul fuisset.

[q] *Publice*] Hoc est, *Ne huic aut illi se ille privatim addiceret, sed virtute sua universum Populum Romanum sibi demereretur.*

[r] *Quibus*] Non dixit *quibusvis;* quomodo Jugurthæ levitatem exprobrasset, neque factum ipsum in totum damnasset; verum *quibus* dixit, ut ille intelligat, neminem largitionibus devinciendum eo modo et fine, quo, procul dubio, summus imperator cœpisse eum intellexerat.

[s] *Quod multorum*] Loquitur de amicitia et favore P. Romani. Ceterum ex singulis propemodum Scipionis verbis maxima documenta sumere possunt viri principes: quæ quia Jugurtha spreverat, de summo fastigio excussus est.

[t] *Artibus*] Bonis scilicet. Reprehensionem habet hæc Imperatoris admonitio, tametsi occulta est.

[v] *Ultro*] Ipso nec cogitante. Gall. *Sans qu'il s'en mît en peine.*

[w] *Properantius*] Hoc est, *vim faceret rebus,* quæ cum tempore fiunt, sensim

scio gaudio esse. Nobis ob merita carus est: uti idem[t] senatui sit et populo Romano, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor:[e] en[4] habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.' Igitur rex,[x] ubi, quæ fama acceperat, ex literis imperatoris ita esse cognovit, cum virtute viri, tum gratia[y] permotus, flexit[z] animum suum, et Jugurtham beneficiis vincere[5] aggressus est: statimque adoptavit, et testamento pariter cum[6] filiis hæredem instituit.[7] Sed ipse paucos post annos, morbo atque ætate confectus, cum sibi finem vitæ adesse intelligeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempsale filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuisse :

10. ' Parvum ego, Jugurtha,[1] te, amisso[a] patre, sine spe, sine opibus, in meum[b] regnum[2] accepi ;[3] existimans non minus me tibi, quam liberis, si[4] genuissem,[c] ob beneficia carum fore :[5] neque ea res falsum[d] habuit. Nam ut alia magna[6] et egregia tua[e] omittam[7][f] novissime rediens Numantia meque regnumque meum[8] gloria honoravisti : tua[9] virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti : in Hispania

[e] *Gratulor equidem tibi, secundum nostram amicitiam.*
[f] *Nam ut silentio præteream alia tua magna et egregia facinora.*

nullus vincire.—6 *itemque coram* C. D.—7 *constituit* C.
1 [*te Jugurth.* Havercamp.] *Jugurtha te* plures ex Mss. et meliores.—2 *in regnum nostrum* K.—3 *suscepi* H.—4 *si te genuissem* I.—5 *esse* G.—6 *magna* delet H.—7 [*facinora omit.* Havercamp.] *facta* C. E. F. M. N. omittunt *facinora* I. K. L. et Ed. Carr.—8 *regnumque nostrum* K. *me regnumque meum* M.—9 [*tuaque virtute* Havercamp.] *tua virtute* A.—10 *familiæ meæ* C. K. *f. nos-*

NOTÆ

et sine sensu, quæque aliter franguntur. Gall. *Que s'il se hâtoit trop ; Que s'il violentoit les choses.*

[x] *Rex*] Micipsa.

[y] *Gratia*] Cum Jugurtham gratum et acceptum esse sciret, tum Popularibus, tum Romanis.

[z] *Flexit*] Hoc est, *Cum antea Jugurtham perdere quæsivisset, mutato consilio, beneficiis ipsum cumulavit.*

[a] *Amisso*] Manastabale, scilicet.

[b] *In meum*] Id est, *Non modo in regiam meam induxi, sed cultu et spe cum filiis meis eadem eduxi.*

[c] *Genuissem*] Te, supple.

[d] *Falsum*] Id est, *Tu mihi revera ea omnia præstitisti, quæ a filio possunt repeti.*

[e] *Tua*] Nota phrases ejusmodi ellipticas : vim habent maximam. Ita, cum apud Terentium, pater filium vocat *omnium*, plus est quam si scele-

nomen familiæ[10] renovatum:[f] postremo, quod difficillimum[g] inter mortales,[11] gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam[12] mihi natura vitæ finem facit, per[13] hanc[h] dextram, per regni fidem moneo[g] obtestorque,[14] uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio[i] [15] meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adjungere,[16] quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt,[17] verum[18] amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas:[19] officio et fide pariuntur.[20] Quis autem amicior,[21] quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum [22]trado firmum, si[23] boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordia[k] parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.[l] Ceterum ante hos te,[24] Jugurtha, qui[25] ætate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet.[h] Nam in omni

[g] *Moneo per fidem quæ regno debetur.*
[h] *Ceterum te decet, plus quam hos.*

træ D. F. G. M. N.—11 [*int. m. est* Havercamp.] *est* delet A. D. M.—12 abest *quoniam* I.—13 *et per* B.—14 *obtestorque te* A. B. C. D. F. H. I. K. M.—15 *beneficioque* F.—16 *conjungere* I.—17 *sunt regni* D.—18 *sed veri amici* F.—19 *neque a. n. a. cogere et parare q.* B.—20 *parantur* F. G. H. K. N.—21 *amicitior* A. H. L. M. *amicicior* C. D. F. G. I.—22 *ego trado* A.—23 *sin mali* B. C. D. F. G. L.—24 *te* delent F. N.—25 *quia* M.—26 [*inj.*, *tamen quia*

NOTÆ

ratissimum, aut quopiam atroci alio nomine* appellasset, cum quodlibet intelligi possit.

[f] *Renovatum*] Hoc dicit, quia Masinissa multa præclare gesserat in Hispania adversus Romanos, priusquam cum Scipione societatem iniret.

[g] *Difficillimum*] Omnino: nam ut habet Horatius, *Heu! nefas, Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi.*

[h] *Hanc*] Intelligendum est Micipsam Jugurthæ manum tenuisse, dum hæc diceret.

[i] *Beneficio*] Quia, videlicet, in partem et regni hæreditatem Jugurtham Micipsa assumserat; atque pro filio habuerat.

[k] *Concordia*] Scitum est quod quidam fecit, ut concordiam filios, quos magno numero habuit, edoceret: Sagittas, pro eorum numero sumsit, quas in fasciculum colligatas cuique rumpendas, porrexit; quod illi cum nequivissent, ipse singulas seorsim nullo negotio perfregit. Itaque omne quod est, tam diu manet atque subsistit, quam unum est; interit quando solvitur, aut unum esse desinit.

[l] *Dilabuntur*] *Pereunt:* sed acute expressit, cum *dilabi* præcise notet *in partes varias abire*, quod ex se et immediate ponit totius destructionem. Tanti est certe unio in universa natura, ut vel ipsum nomen nescio

certamine, qui opulentior est, etiam si accipit injuriam,[26] quia plus potest, facere videtur.[i] Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite,[27] observate talem hunc virum,[j] imitamini[28] virtutem[29] et enitimini, ne ego meliores liberos sumsisse videar, quam genuisse.'[k]

11. Ad ea Jugurtha, tametsi regem ficta[m] locutum intelligebat, et ipse[n] longe aliter animo agitabat; tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis diebus moritur. Posquam illi, more regio, justa magnifice fecerant,[l] reguli[o] in unum convenere, uti inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minimus[1] ex illis, natura ferox, etiam antea[2] ignobilitatem Jugurthæ [quia materno[p] genere impar erat] despiciens, dextera[q] Adherbalem assedit: ne medius ex tribus, quod[r] apud Numidas honori ducitur,[3] Jugurtha foret. Dein[4] tamen,[5] uti ætati[s] concederet,[6] fatiga-

[i] *Qui fortior est videtur facere injuriam, quamvis* eam *accipiat, quia plus potest.*
[j] *Reveremini hunc virum tanta virtute ornatum.*
[k] *Ne ego videar adoptasse meliores liberos, quam genuisse.*
[l] *Postquam illum, more regio, magnifice sepeliissent.*

Havercamp.] *ipse* M.—27 *colite t. h. v. et observate* A. *colite et observate hunc t. v.* B. H. K. *colite et o. t. h. v.* F. *virum observate et c. t. h.* C. D. *colite et observate t. h. v.* F.—28 *imitamini ejusque virtutem enitemini* F. *imitamini virtutem et enitemini* G. *imitamini, v. e. et nitimini* H.—29 *virtutem ejus* B. N.
1 *qui minor* M.—2 [*ante* Edit. Havercamp.] *ante* delet I.—3 *videbatur* H.—4 *Dehinc* K.—5 *tamen* abest A.—6 *decederet* M.—7 *vix aliam in partem* M.

NOTÆ

quid blandi et jucundi sapiat; divisio contra lacerare, et omne malum portendere videatur.

[m] *Ficta*] Res profecto fictæ non erant, vera dicebat Micipsa; sed animus fictus erat: non ex benevolentia, sed ex metu loquebatur.

[n] *Ipse*] Jugurtha.

[o] *Reguli*] Jugurtha, Adherbal, et Hiempsal, qui, diviso regno, parvi erant reges.

[p] *Materno*] Antea natum eum ex concubina vidimus.

[q] *Dextera*] Verisimile est Jugurtham cum Adherbale jam tum, sine omni prolixiore cæremonia, assedisse. Occasio inter illos duos non fuit, de loco aulica urbanitate disceptandi; nam sive Jugurtha superiorem, sive inferiorem obtinere voluit, utrobique ab Adherbalis sinistra sedere debuit. Hiempsalis fuit hanc litem dirimere: cujus enim ille vacuum latus clausisset, ei medium et honoratum locum dedisset; cumque dextra Adherbalem assedit, Jugurtham in loco infimo collocavit.

[r] *Quod*] Si *et*, ut in plerisque Edit.

tus[t] a fratre, vix in partem alteram[7] transductus est.[8] Ibi cum multa de administrando imperio[9] dissererent, Jugurtha inter alias res jacit:[10] OPORTERE QUINQUENNII CONSULTA OMNIA[11] ET DECRETA[v] RESCINDI. NAM[x] PER EA TEMPORA CONFECTUM ANNIS MICIPSAM PARUM ANIMO VALUISSE. Tum IDEM[y] Hiempsal PLACERE SIBI, respondit: NAM[12] IPSUM[z] ILLUM TRIBUS[13] HIS PROXIMIS (ANNIS) ADOPTATIONE[14] IN REGNUM PERVENISSE. Quod verbum in pectus Jugurthæ altius[a], quam quisquam ratus, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo[15] animo[16] habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quæ ubi tardius procedunt, neque lenitur animus[17] ferox,[b] statuit quovis modo inceptum perficere.[18]

12. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi[1] thesauros, finesque imperii singulis constitui.[m] Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in[2] loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido[3] Thirmida[4] forte ejus domo

[m] Placuit *terminos imperii singulis assignari.*

—8 *traductus est* F. H. *deductus est* K.—9 *ibique m. d. a. i. cum diss.* M.—10 *ait* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. M. N. sed L. *jacit.*—11 [*consult. et decr. omn. res.* Havercamp.] *omnia c. et omnia d. r.* H.—12 *nam docebat* H. *nam illum illis* M.—13 *his tribus* C. I. K.—14 *adoptione* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. sed in L. a prima manu fuit *Adoptatione*, quod retinui.—15 *modo* abest M. —16 [*cum anim.* Havercamp.] *in animo* H.—17 *a. ejus f.* H.—18 *peragere* F.
1 *dividere* K.—2 *in* delet K.—3 *oppidum* H.—4 *Tirmido* A. *Tirimida* B. *Tirmu-*

NOTÆ

post *quod* legitur, concludas, moris fuisse apud Romanos, ut sedentibus locus medius esset honoratissimus.

[s] *Ætati*] Jugurthæ scilicet.

[t] *Fatigatus*] Eum premebat Adherbal, ut in Jugurthæ sinistram transiret; eoque pacto Jugurtha medius foret.

[v] *Decreta*] Micipsæ scilicet. Plus vero dicit *decreta* quam *consulta*: hæc vocamus, *des Declarations*, Illa vero, *des Arrêts.*

[x] *Nam*] Ratio est Jugurthæ pro rescindendis Micipsæ decretis

[y] *Idem*] In neutro genere. Dicit Hiempsal, acri in Jugurtham cum aculeo, sibi placere, ut patris postrema decreta rescinderentur.

[z] *Ipsum*] Jugurtham.

[a] *Altius*] Id est, *Eo gravissime vulneratus fuit:* tantoque altius telum infixum, quanto acutius fuit.

[b] *Ferox*] Jugurthæ.

utebatur, qui proximus lictor Jugurthæ, carus acceptusque semper fuerat. Quem ille[d] casu ministrum oblatum promissis[5] onerat, uti tanquam suam visens[6] domum eat, portarum[7] claves adulterinas[e] paret: nam[8] veræ ad Hiempsalem referebantur: ceterum, ubi res postularet, se ipsum[f] cum magna manu venturum.[9] Numida mandata brevi[10] confecit:[11] atque, ut doctus erat, noctu Jugurthæ milites introducit.[12] Qui postquam in ædes[13] irrupere, diversi regem quærere:[n] dormientes alios, alios occursantes[14] interficere: scrutari loca abdita; clausa effringere: cum Hiempsal interim[15] reperitur, occultans sese tugurio[16] mulieris ancillæ, quo initio[17] pavidus et ignarus loci perfugerat.[18] Numidæ caput ejus, ut jussi erant, ad Jugurtham referunt.

13. Ceterum fama tanti facinoris per omnem[1] Africam brevi divulgatur; Adherbalem omnesque, qui sub imperio Micipsæ fuerant, metus invadit.[2] In duas partes discedunt:[3] plures Adherbalem sequuntur, sed illum[4] alterum bello meliores. Igitur Jugurtha quam[5] maximas potest[7] copias armat: urbes partim vi, alias voluntate imperio suo adjungit: omni[8] Numidiæ imperare parat. Adherbal, tamen etsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de cæde fratris et fortunis suis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res[9] ad certamen venit, victus ex[10] prælio profugit in provinciam,[g] ac deinde[11] Romam

[n] *Alii alio regem quæsiverunt.*

da C. *Tirmida* M. *Thyrmida* D. I. *Turmuda* H.—5 *præmiis* L.—6 *visere* M.—7 *oppidi portarum* M. *portarumque* N.—8 *nam nocte* G. *nam veræ claves* H.—9 [*mag. vent. manu* Havercamp.] *vi ventum* A. *v. m. dicebat* G. H.—10 *brevi tempore* H.—11 *perficit* A. *perfecit* F. M.—12 *introduxit* F.—13 *in ædis* delet A.—14 *occurrentes* K.—15 [*cum int. Hiemp.* Havercamp.] *tunc igitur* A.—16 *in tugurio* N.—17 *in initio* K.—18 *profugerat* M.

1 *totam* A.—2 *invasit* A. I.—3 [*disc. Numidæ* Havercamp.] *Numidæ* abest F.—4 *Jugurtham* C.—5 *quas* K.—6 *potest* abest M.—7 *parat* C. E. F.—8 *omnique* C. *toti* F.—9 *rex* N.—10 *victus prælio* A. Grut.—11 *dehinc* Carrio.

NOTÆ

[c] *Lictor*] Lictores erant qui proxime Magistratum vel Regem præcedebant. Hujus domum Hiempsal in hospitium assumserat.

[d] *Ille*] Jugurtha.

[e] *Adulterinas*] *De fausses clefs.*

[f] *Seipsum*] Jugurtham.

[g] *Provinciam*] Hoc est, *in eam Africæ partem quæ per Romanos Magistratus gubernabatur.*

contendit.[12] Tum Jugurtha,[13] patratis[o] consiliis,[h] in[14] otio facinus suum cum animo[15] reputans, timere[16] populum Romanum, neque adversus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis[i] et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis[17] diebus cum auro et argento[18] multo Romam mittit, quis præcepit,[19] uti primum veteres amicos muneribus expleant: deinde novos acquirant:[p] postremo quæcumque[20] possint largiendo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati[21] venere, et, ex præcepto[22] regis, hospitibus[j] aliisque, quorum ea tempestate auctoritas pollebat, magna misere; tanta commutatio[k] incessit, uti ex maxima[23] invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha veniret. Quorum[l] pars spe, alii præmio inducti, singulos ex Senatu ambiendo,[m] nitebantur, ne[24] gravius[n] in eum consuleretur. Igitur, legati ubi satis confidunt, die constituto, Senatus utrisque datur.[o] Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus:

[o] *Tum Jugurtha consiliis ad finem perductis, &c.*
[p] *Postea novos requirant.*

—12 *concedit* E.—13 *paratis* F.—14 [In Edit. Havercamp. *consiliis; postquam omni Numidia potiebatur, in otio* &c. Turpissima Glossa! *Cortius*] *omnis Numidiæ* K.—15 *animo suo* F.—16 *cœpit timere* B.—17 *post p. d.* H. *paucis post diebus* K.—18 [*cum arg. et auro* Havercamp.] *Cum auro et argento* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—19 [*præcipit* Havercamp.] *præcepit* B. C. D. G. H. I. K. M. *præcipit primum ut* L.—20 *quodcunque* M. *quæcunque* N.—21 *legati* abest K.—22 *ex præcepto* deleto *et* M.—23 *ex magna* H.—24 *ne quid* C.

NOTÆ

[h] *Consiliis*] Quæ, scilicet, de opprimendis fratribus, et eorum regno invadendo, inierat.

[i] *Nobilitatis*] Romanæ, scilicet.

[j] *Hospitibus*] Eos intellige quibuscum bello Numantino Jugurtha arctam amicitiam, et hospitii necessitudinem conjunxerat; ita ut ipse apud illos, si in Italia esset, illi apud ipsum, si in Numidiam venirent, diversarentur. Hospitii vero sanctissima jura fuerunt.

[k] *Commutatio*] Nimirum Jugurthæ facinus cunctis atrocissimum visum est; sed postquam pecunia quidam corrupti sunt, mentem et animum mutaverunt, atque Jugurthæ crimen minuerunt.

[l] *Quorum*] Nobilium, scilicet, qui sub voce *nobilitatis* comprehenduntur: quod notandum; nam relativum *quorum* non cum nomine expresso, sed cum re intellecta consentit.

[m] *Ambiendo*] Prout fit, inter alios sermones, illi Jugurthæ crimen verbis mitigabant, Senatorumque favorem ipsi conciliabant.

[n] *Gravius*] *Ne bellum adversus ipsum decernerent, aut hostem judicarent.*

[o] *Datur*] Id est, *dies constituitur ad quem in Senatum admitterentur Adherbal et Jugurthæ legati.*

14. 'Patres conscripti, Micipsa pater meus moriens præcepit, uti regnum[1] Numidiæ tantummodo procuratione[p] existimarem meum; ceterum jus[q] et[2] imperium[r] penes[3] vos esse: simul eniterer domi militiæque quam maximo usui esse populo Romano: vos mihi cognatorum, vos in[4] affinium locum[5] ducerem:[9] si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni habere. Quæ cum [præcepta parentis[6] mei] agitarem; Jugurtha, homo[7] omnium, quos terra sustinet,[8] sceleratissimus, contemto imperio vestro, Masinissæ me nepotem, et jam ab stirpe socium et amicum populo Romano[9] regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum beneficia posse[10] auxilium petere; ac maxime deberi[s] mihi[12] a populo Romano, quibus[13] non egerem; secundum[14] ea,[t] si desideranda erant, uti debitis[u] uterer. Sed quoniam parum tuta

[9] Præcepit *ut vos pro consanguineis et affinibus haberem.*

1 [*regni* Havercamp.] *regnum* C. *regno* F.—2 *et imperium ejus* A.B.C.D.F.G. H.I.K.L.M.N.—3 *apud vos* C.—4 *cogn. adfinium in l. d.* reliquis deletis A. *cogn. et aff. loco ducerem* E.—5 *adfinium in loco* K.—6 [*patris* Haver.] *parentis* C.D.E. H.I.L.N.—7 *hominum omnium* M.—8 *sustulit* M.—9 [*populi Romani* Haver.] *populo Romano* F.—10 [*poss. me a vobis aux.* Haver.] *me* delet D.G. *a vobis* abest F.—12. *vellem debere mihi* A.—13 *utinam non egerem.* H.—14 *sed si ea* E. F. G.

NOTÆ

[p] *Procuratione*] *La Lieutenance.*

[q] *Jus*] Fundamentum notat hoc vocabulum, aut dominandi rationem.

[r] *Imperium*] Totum istud rhetorice et blanda comitate dicitur; nam alioqui Micipsa fuerat et Masinissa P. Romani socius. Additæ fuerant equidem Romanorum beneficio multæ urbes utriusque imperio, sed uterque meruerat: immo fatebitur postea ipse Adherbal, non admodum Romanorum fortunam expetendam fuisse, quo tempore fœdus initum cum ipsis. At ne ego, quod absque blandimento verum est, taceam, plerumque certe evenit, ut paulatim sub fœderis titulo, ille in minus potentem dominium usurpet, qui opibus præcellit: Libertatis inane nomen ut maneat, fœdus pangitur, quod precariam servitutem inducit.

[s] *Deberi*] Sunt equidem in hac oratione plurimæ bonæ rationes; at vero accurata methodo non sunt dispositæ. De industria et bene factum ab Auctore, qui hominem elegantia Romana minus excultum, suo more loquentem inducit. Ita plane præcipit summus magister Horatius.

[t] *Secundum ea*] Id est, *ex eo, Deinde.* Gall. *Et qu'en consequence de cela.*

[u] *Debitis*] Repetit quod ita dictum nunquam oportuit.

per se ipsa[15] probitas, neque mihi in manu[v] fuit[r] Jugurtha qualis foret: ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod[16] miserrimum, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges,[17] aut bello victi in amicitiam a vobis recepti, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt.[s] Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides ejus,[18] quam fortuna petenda[19] erat.[t] Quorum progeniem vos, Patres conscripti, nolite pati frustra a vobis auxilium petere.[u] Si[20] ad impetrandum[x] nihil causæ haberem, præter miserandam[21] fortunam; quod paulo ante rex,[22] genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops,[23] alienas opes expecto:[24] tamen erat majestatis Romani populi, prohibere injuriam,[v] neque cujusquam regnum per scelus cresceret.† Verum[z] ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit: unde pater et avus[25] una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia erepta sunt, Patres conscripti: vos in mea injuria despecti estis. Eheu[26] me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia[27] [a] evasere, uti quem tu parem cum liberis, regnique[28]

[r] *Neque penes me fuit.*
[s] *Aut in vacillantibus suis rebus fœdus vobiscum inire quæsiverunt.*
[t] *Magis fides ejus erat quærenda, quam ejus fortuna.*
[u] *Nolite pati, me progeniem eorum, et nepotem Masinissæ, petere frustra auxilium a vobis.*
[v] *Tamen erat majestatis Pop. Romani impedire ne ego injuria afficerer.*

H. K. M. *sed ea si* L.—15 *per se ipsam* L.—16 [*quod mihi miser.* Havercamp.] *mihi* delet I.—17 *Ceteri autem reges b. v.* H.—18 *ejus* delet H.—19 [*pendenda* Havercamp.] *petenda* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—20 *Sed si* F. G. H. K. N.—21 *miseram* M.—22 *rex fui* A.—23 *inops* abest H.—24 *appeto* F. †[*neque pati c. r. p. sc. crescere* Havercamp.]—25 [*av. meus* Havercamp.] *meus*

NOTÆ

[v] *In manu*] Id est, *Non potui facere ut Jugurtha, quam fuit, alius esset.* Hoc dicit ut importunitatem, necessitate qua compulsus fuit, excuset.

[x] *Impetrandum*] Auxilium, scilicet, a vobis contra Jugurtham. Videtur Adherbal præscire quod futurum est; adeoque a Romanis, diffidens, et quasi a recusantibus auxilium petit. Ominosa est ista petendi ratio, et contumeliosa, quæque ergo ita institui minime debet.

[z] *Verum*] Jam rationes optimas optime proponit Adherbal; sed in eo diu non manebit.

[a] *Beneficia*] In perditum Jugurtham.

participem fecisti, is potissimum stirpis tuæ extinctor sit? Nunquamne[29] ergo familia nostra quieta erit? semperne[b] in sanguine, ferro,[30] fuga versabimur?[31] Dum Carthaginienses incolumes fuere, jure[c] omnia sæva patiebamur: hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis[d] ejecta, læti pacem agitabamus: quippe quis hostis nullus, nisi forte quem[32] jussissetis. Ecce autem ex[33] improviso Jugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum ejus[e] sceleris sui prædam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit[34] capere, nihil minus, quam vim, aut bellum expectantem,[f] in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit,[35] ut ubivis tutius, quam in meo regno essem.[w] Ego sic existimabam, Patres conscripti, ut prædicantem audiveram[36] patrem meum; qui vestram amicitiam[37] colerent, eos multum laborem[38] suscipere: ceterum ex omnibus maxime tutos[39] esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit,[40] uti in omnibus bellis vobis adessent:[x] nos uti per otium tuti simus, in manu[g] vestra est,[41] Patres conscripti. Pater nos

[w] *Ita ut essem tutius ubivis, quam in meo regno.*
[x] *Quantum fuit in potestate familiæ nostræ, effecit ut auxilio vobis esset in omnibus bellis.*

delet C.—26 *Heu heu me* C.F.H.K. *Heu me me* M.—27 [*beneficia tua evas.* Havercamp.] *tua* delet H. M.—28 *regnique tui* G.—29 *ne* abest ab H. L.—30 *ferro* delet I.—31 *versabitur* A. B. C. E. F. H. K. L. *vexabit* F.—32 [*vos juss.* Haverc.] *vos* delet M.—33 *de improviso* F.—34 *nequivit* C. F. *nequerit* E. *nequiit* M.—35 *fecit* F.—36 *audivi* A.—37 [*diligenter col.* Havercamp.] *diligenter* abest L.—38 *multos labores* A.—39 *tutos eos* F.—40 *potuit* A. *id præstitit* K.—41 *est*

NOTÆ

[b] *Semperne*] Masinissa a Carthaginiensibus regno pulsus fuerat; Micipsa Romanis auxilio adversus illos venerat; frater Hiempsal a Jugurtha jugulatus, ipse ab eodem ad ultimas angustias redactus erat.

[c] *Jure*] Quia inter se illi, maxime propter Romanos, hostes erant.

[d] *Pestis*] Loquitur de Carthaginiensibus.

[e] *Ejus*] Credo pateretur Sallustius, ut pro *ejus*, *ipsius* reponeretur, ad vitandam ambiguitatem, si quis forte *ejus* cum *sceleris* construeret.

[f] *Expectantem*] *Qui ne m'attendois à rien moins qu'à faire la guerre.*

[g] *In manu*] Quia potentes estis, quique facile Jugurtham in officio retineritis. Ceterum in Jugurtha fuit quod post Hannibalem timeretur, ut habet Florus.

duos fratres reliquit: tertium, Jugurtham, beneficiis suis ratus nobis[42] conjunctum fore:[y] alter eorum necatus,[43] alterius ipse ego manus impias[h] vix effugi. Quid agam? quo potissimum infelix accedam? generis[44][i] præsidia omnia extincta sunt: pater, uti necesse erat, naturæ concessit;[z] fratri, quem[j] minime decuit, propinquus, per scelus vitam eripuit; affines, amicos, propinquos[45] ceteros,[46] alium[k] alia clades[47] oppressit: capti ab Jugurtha, pars in crucem acti,[a] pars bestiis objecti;[48] pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum mœrore[50] et luctu, morte graviorem vitam exigunt.[b] Si[51] omnia, quæ aut amisi, aut ex[52] necessariis adversa facta sunt,[c] incolumia manerent, tamen, si quid ex improviso accidisset, vos implorarem, Patres conscripti; quibus, pro magnitudine[l] imperii, jus[m] et injurias omnes curæ esse decet. Nunc vero exul patria,

[y] *Micipsa pater meus credidit Jugurtham, tertium nostrum fratrem beneficiis suis fore nobis conjunctum et amicum.*
[z] *Pater mortuus est.*
[a] *Qui capti sunt a Jugurtha partim cruci affixi sunt.*
[b] *In carceris obscuritate detenti agunt vitam duriorem morte, cum mœrore et luctu.*
[c] *Ex amicis et faventibus adversa facta sunt.*

situm F.—42 *nobis* delent H. K.—43 *necatus est* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.—44 *generis mei* D.—45 [*prop. cet. meos, alium alia* Havercamp.] *propinquos c. alios alia clades* H.—46 *ceteros meos* abest ab I.—47 *clade* D. F. K.—48 [*objecti sunt* Havercamp.] *objecta sunt* L. *sunt* delet C.—50 *timore* L.—51 *sed si omnia* A. M.—52 *ex domesticis rebus aut ex necess.* L.

NOTÆ

[h] *Impias*] Jugurthæ, scilicet. Synecdoche est, quæ vim auget orationis; ut hinc pateat, Jugurtham impietate factum celebrem.

[i] *Generis*] *Cognatorum, patris, fratris, &c.*

[j] *Quem*] Jugurtham dicit, qui propinquos et fratres suos, ab ipsorum patre beneficiis cumulatus, tueri, non interficere, debuit.

[k] *Alium*] Hoc est, *Diverse perierunt.*

[l] *Pro magnitudine*] Id est, *cum tam late pateat imperium Romanum, et ejus auctoritas.* Elegans est hæc locutio; at videndum ne pariat obscuritatem.

[m] *Jus*] Quandoquidem ipse Sallustius lib. III. Historiarum more antiquo *vis* ponit in Accusativo plurali pro *vires*, forte hic *vis* pro *jus* legendum esset; hic enim agitur de ope imploranda, non contra jus, sed contra vim et injustitiam. Nolim tamen circa jus novas lites movere.

domo, solus et omnium honestarum[n] rerum egens, quo accedam, aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiæ nostræ ob vestram[o] amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima? aut[53] quisquam nostri[54] misereri potest, qui aliquando vobis[55] hostis fuit? Postremo[p] Masinissa[q] nos ita instituit,[56] Patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne[57] fœdera nova acciperemus: abunde magna præsidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna[r] mutaretur,[58] una nobis occidendum esse.[d][59] Virtute ac Dis volentibus magni estis et opulenti;[e] omnia[60] secunda et obedientia sunt:[f] quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos[61] privata amicitia Jugurthæ, parum cognita,[s] transversos agat:[g] quos ego audio maxima[62] ope niti, ambire,[63] fatigare vos singulos, ne quid[t] de[64] absente,[u] incognita

[d] *Masinissa nos ita instituit, si imperium Romanum fortuna deficeret, nobis una pereundum esse.*
[e] *Virtute vestra, et Deorum beneficio magni estis.*
[f] *Omnia sunt vobis faventia.*
[g] *Ne amicitia privata Jugurthæ parum cognita aliquos a justitiæ via abducat.*

—53 *an* K.—54 *nostrum* F.—55 *nobis* H.—56 *nos docuit* A. *n. i. constituit* D. M. *nobis ita vitam instituit* G.—57 *novas societates neque f. n.* E.—58 *fortunam mutaret* A. *fortuna mutetur* G.—59 *fore* K.—60 *omnia vobis* H.—61 *ne aliquos* E.—62 *summa ope* K. N.—63 *ambire alios* D.—64 *de eo* F.—65 *et audio illos*

NOTÆ

[n] *Honestarum*] Id est, *quæ regem comitari et cohonestare debent.*

[o] *Vestram*] Id est, *quam vobiscum inivimus.*

[p] *Postremo*] *Denique: Ut ne vos diutius morer.*

[q] *Masinissa*] Bene et cum artificio Masinissæ, cujus tamen vix ullam memoriam habebat, potius quam Micipsæ, sermonem injicit Adherbal; quia nimirum ejus gratam sciebat P. Romano recordationem.

[r] *Fortuna*] Honesta oratio, qua rei invidiam minuit. Id est, *Si respublica Romana ante tempus periret.*

[s] *Parum cognita*] Innuit Jugurtham amicitiæ, virtutumque quibus ea conciliatur simulatione, quibusdam Romanis, qui illi, quasi vere amicus fuisset et honestus, favebant, perfidiose imposuisse. Ceterum ipsorum avaritia potius quam amicitia cum Jugurtha conjunctos eos Adherbalem haudquaquam latebat; sed dissimulatum isthuc oportuit: quod quidem non imperite fecit.

[t] *Ne quid*] Maximus fuit hac in parte Jugurthæ dolus: neque aliud possit videri iniquius, quam postulare, ut de absente, atque indicta

causa, statuatis: fingere[v] me verba,[65] fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod[w] utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus[66] sum, eadem hæc simulantem[x] videam: et aliquando aut apud vos, aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriatur: ne[67] ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciatus,[y] impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves pœnas reddet. Jam jam frater, animo meo carissime, quanquam immaturo, et[68] unde minime decuit, vita erepta est: tamen lætandum magis, quam dolendum puto[69] casum tuum.[h] Non enim regnum,[e] sed fugam, exilium, egestatem et omnes has, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala præcipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum[z] præbeo: incertus quid agam,

[h] *Jamjam, o Adherbal, frater carissime animo meo, puto casum tuum et mortem lætandam magis quam dolendam, quanquam vita erepta est tibi immaturo, et prima juventæ face, et ab eo, a quo minime decuit eam tibi eripi.*

dicere f. m. v. C.—66 *ejectus* A.—67 *ut ille* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—68 *et* delet E.—69 *puto esse* A.—70 delet *ipse* D.—71 *auxilio* A.

NOTÆ

causa statuatur, prout Adherbalem facere legati supponebant. At vero perverse illi, cum Adherbalis petitionibus illud subdole admiscent, quod non perversas modo, sed et ineptas eas efficit. Is profecto ridicule nimis requisivisset, ut de Jugurtha Senatus indicta causa decerneret, cum ad eam dicendam illi adessent. Verum tyrannum oportuit suis technis tempus redimere; jamque nos nimium detinuit.

[u] *Absente*] Jugurtha scil.

[v] *Fingere*] Non potest verbum hoc eo modo, quo præcedentia immediate construi cum verbo *audio*; verum in eo laudem meruit noster Auctor, qui quasi inordinate ea congerit quæ contemnit.

[w] *Quod*] Illud est quod Gallice, ornatus causa, vel ex majoris affectus consuetudine, dicimus, *Que plût à Dieu que, &c.*

[x] *Simulantem*] Nota hanc respondendi rationem: acris est; cumque multas habet figuras, tum plures tangit affectus. Simpliciter negasset Adherbal se simulare infortunium suum, sed revera miserum esse.

[y] *Excruciatus*] Supple, Sicut ego sum.

[e] *Regnum*] Id est, *non tam regnum.* Lætandum magis quod regno spoliatus sis, quam dolendum; cum a te, una et eadem opera, fuga, egestas, exilium depulsum sit.

[z] *Spectaculum*] Id est, *De me fragilitatis humanæ exemplum fortuna exhibuit.*

tuasne injurias persequar, ipse[70] auxilii[71] egens; an regno consulam, cujus vitæ necisque potestas ex opibus alienis pendet.[i] Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere contemtus viderer, si defessus malis injuriæ[j] concessissem.[a] Nunc neque vivere lubet,[k] neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, liberos atque parentes, per majestatem populi R. subvenite misero mihi: ite obviam injuriæ: nolite pati, regnum Numidiæ, quod vestrum[b] est, per scelus et sanguinem familiæ nostræ tabescere.'

15. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Jugurthæ largitione[c] magis, quam causa freti, paucis respondent: 'Hiempsalem ob sævitiam suam ab Numidis interfectum: Adherbalem[1] ultro bellum inferentem, postquam superatus[2] sit, queri, quod injuriam facere nequivisset. Jugurtham ab Senatu petere, ne alium putarent, ac Numantiæ cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent.' Deinde utrique curia[3] egrediuntur. Senatus statim consulitur:[l]

[i] *Ego sum incertus quid agere debeam, an quæram ulcisci mortem tuam, dum ipse egeo ope alterius; an ego, cujus potestas vitæ et necis pendet ex potentia aliena, consulam regno meo.*

[j] *Utinam morte finem honestum facere possem infortunio meo, ne homines viderent me abjectum et spretum inter vivos, si defatigatus malis, propter injuriam cessissem.*

[k] *Quoniam neque vita mihi placet.*

[l] *Ex templo Senatorum sententia* ea de re *exquiritur.*

1 *Atherbalem vero* C.—2 *est superatus* F.—3 *ex Curia* M.—4 *magna pars*

NOTÆ

[a] *Concessissem*] Hic locus aliquam habet obscuritatem, adeoque videndum quid intelligamus per τὸ *concedere.* Hic est, ut videtur, *Deponere studium regnandi, et fratris mortem ulciscendi,* vel *Omnia Jugurthæ libidini permittere.* Gall. in hunc sensum diceremus, *Plût à Dieu que la mort fût un parti honnête, que je pûsse prendre dans mes infortunes, de peur de paroître dans le monde comme un miserable, si me trouvant épuisé par les maux que j'ai soûferts, j'étois contraint de tout ceder au tort que l'on m'a fait.*

[b] *Quod vestrum*] Optima et ratio et conclusio.

[c] *Largitione*] Antea vidimus Legatis suis præcepisse Jugurtham, ut quosvis Romæ pecunia corrumperent. Id sedulo præstiterunt, adeoque fore confidebant ut ab illis causa sua defenderetur.

fautores legatorum, præterea magna pars[4] gratia[d] depravati Adherbalis dicta[5] contemnere, Jugurthæ virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis[6] pro alieno scelere et[7] flagitio, sua quasi pro[8] gloria, nitebantur.[e] At contra[9] pauci, quibus bonum et æquum divitiis carius, subveniendum Adherbali et Hiempsalis mortem severe vindicandam[10] censebant. Sed ex omnibus maxime Æmilius Scaurus,[f] homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans.[11] Is postquam videt[12] regis largitionem famosam[m] impudentemque,[13 g] veritus, quod in tali re solet,[14] ne polluta[h] licentia invidiam accenderet,[i] animum a consueta libidine continuit.[j]

16. Vicit tamen in Senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam[1] anteferebant.[n] Decretum[2] fit, UTI DECEM[3] LEGATI

[m] *Cum Scaurus videt largitionem Jugurthæ infamem esse.*
[n] *Tamen pars potior fuit, in Senatu, eorum, qui anteponebant gratiam et favorem vero et honesto.*

Senatus D. H. M. *Senatus magna pars* E. F. G. I. L.—5 *verba Atherbalis* I.—6 *modis* delet F.—7 *et* delet K.—8 *sua gloria quasi*, delet *pro* K.—9 delet *contra* C.—10 *esse vindicandam* A.—11 *erat occultans* M.—12 *vidit* D.—13 *impudentemque audierat* C. *impudentem* deleto *que* N.—14 *solet fieri* E. G. M.
1 *gloriam* N.—2 *Decretum Senatus fit* H.—3 *decem* delet L.—4 *et* delet M.

NOTÆ

[d] *Gratia*] Fit istud sæpius in judiciis. Quando sententiam suam dixerunt qui in concilio sunt auctoritate præcipui, reliqui non tam justitia, quam gratia et favore inducti, suffragium suum ferunt; vel ut potentioribus assentiantur, vel ut illi de quo judicium fertur, faveant: quod quidem pessime se habet, et æquum subvertit.

[e] *Nitebantur*] Id est, *Non illi minore cum studio Jugurthæ scelus excusabant et tegebant, quam si de sua gloria quæstio incidisset.*

[f] *Scaurus*] Hunc ut prudentem et gravem virum laudant Cicero, et Valer. Max.

[g] *Impudentemque*] Tanta Romam exercuit avaritia, ut palam legati pecunia suffragia emerent. *Ils informoient les Senateurs, le sac ou l'argent à la main.*

[h] *Polluta*] Idem est propemodum quod *famosa*. Res erat nimium cognita.

[i] *Accenderet*] Callide Scaurus; nam periculum est maximum ne plebs tumultuetur, ubi Magistratum aperte videt jus fasque pecuniæ postponere.

[j] *Continuit*] Qui ita pro tempore et commodo virtuti favent, illi omnium sunt pessimi, et de quibus, si forte fortuna cognoscantur, maxime diffidendum.

REGNUM, QUOD MICIPSA OBTINUERAT, INTER JUGURTHAM ET ADHERBALEM DIVIDERENT.[k] Cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, et[4] tum in Senatu potens: quia[5] consul, C. Graccho[l] et M. Fulvio[m] Flacco[6] interfectis, acerrime[n] victoriam[7] [o] nobilitatis in plebem exercuerat. Eum[8] Jugurtha tametsi Romæ in amicis habuerat, tamen accuratissime[p] recepit: dando et pollicitando[9] perfecit, uti fama,[10] fide,[q] postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via aggressus,[11] plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. In divisione,[12] quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agro, viris opulentior, Jugurthæ traditur:[o] illam alteram[13] specie, quam usu, potiorem,[14] quæ portuosior et ædificiis magis exornata[15] erat, Adherbal possedit.[p]

[o] *Ea pars traditur Jugurthæ, quæ soli fœcunditate et incolarum frequentia prævalebat.*

[p] *Adherbal obtinuit illam alteram partem potiorem pulchritudine quam utilitate.*

—5 *qui Consulibus* A. B. C. D. E. F. G. *quia Consulibus* H. I. L. M. N. *Consul* delet K.—6 *M. Fulvio Flacco* A. B. C. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—7 *vindictam* Carrio.—8 *Quem* D.—9 [*multa perfecit* Havercamp.] *multa* delet M.—10 *famæ fidei* B. E. F. *suæ famæ et suæ fidei* H. N.—11 *aggressus est* F.—12 *In divisione regni* F.—13 *illam alteram partem* K.—14 *quæ specie quam usu potior est* H.—15 *ornata* G.

NOTÆ

[k] *Dividerent*] Itaque regni Hiempsalis dimidia pars in perfidiæ præmium Jugurthæ, idque decreto Senatus obvenit. Quantum nefas!

[l] *Graccho*] Hic mortis, et legum Tiberii fratris acerrimus vindex, cum plebem in avitos agros arcesseret, ab Opimio Consule oppressus est.

[m] *Fulvio*] Is collega Gracchi, et earundem legum assertor, una cum illo ab eodem Opimio, in Aventino monte oppressus est. Vir fuit Consularis.

[n] *Acerrime*] Ex plebe enim tria hominum millia interfecit, eorumque corpora in Tyberim projecit.

[o] *Victoriam*] Hanc vocem reponit Gruterus pro *vindictam*, quam contra auctoris mentem dicit esse, ex fide librorum pergameneorum. Quamobrem vero contra auctoris mentem esse dicat, non video. Mihi quidem sensus est idem; nam vindicta in animo sedet ante victoriam, post victoriam exercetur.

[p] *Accuratissime*] Scilicet amicitiæ jure a quibusdam ceremoniis, et qui exteris et ignotis exhibetur, supervacaneo cultu, solutus erat: Attamen, quo magis Opimium suum faceret (atque etiam ut decuit erga legatum) nullum prætermisit honorem.

[q] [*Fama, fide*) Cortius dicit: '...non fuit ab hac genuina lectione recedendum, quam jam Carrio, Hackianæ, et Wassiana expresserunt: sive *fama* etiam pro antiquo dativo habeas, decurtato ex *famai;* ut *nisu, senatu,* pro

17. Res postulare videtur Africæ situm paucis exponere, et eas gentes, quibuscum nobis bellum, aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca et nationes ob calorem,[1] [r] aut asperitatem,[2] item solitudines[3] minus frequentata sunt, de iis haud facile compertum narraverim: cetera quam[4] paucissimis absolvam.

In divisione orbis terræ plerique in partem[s] tertiam[5] Africam posuere: pauci tantummodo Asiam et Europam[6] esse;[t] sed Africam in Europa. Ea finis habet ab Occidente fretum[u] nostri[v] maris et Oceani: ab ortu solis declivem[7] latitudinem:[w] quem locum Catabathmon[x] incolæ appellant. Mare[e] sævum,[8] importuosum. Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori[9] infœcundus: cœlo,[y] terra penuria aquarum. [10]Genus homi-

1 *ob calorem solis* H.—2 *aut loci a.* F.—3 *solitudinem* B. *ob solitudines* N.—4 *p. verbis* F. M.—5 [*in parte tertia* Havercamp.] *in partem tertiam* H. M.—6 *esse* delet A. H.—7 *habet d. l.* M.—8 *Mare est ibi s.* F.—9 *pecoribus arboribus* K.—10 *ibi genus* H.—11 *nisi forte* E. N. *nisi qui forte* H. *nisi quis ferro aut*

NOTÆ

nisui: sive sextum utrumque casum esse velis, qui tam arcte in ejusmodi constructionibus cum tertio cohæret, ut vix distinguere queas.']

[r] *Calorem*] Solis scilicet. Nemo nescit Africæ maximam partem sub zona esse torrida, atque adeo ardoribus infestari.

[s] *In partem*] Id est, *Africam tertiam mundi partem fecerunt.* Nunc vero aliter divisum orbem reperies apud Geographos; postquam veteribus incognitæ terræ a nautis perlustratæ sunt.

[t] *Esse*] Id est, *Quidam duas tantum orbis terrarum partes esse voluerunt; et Africam sub Europa comprehendendam.* Ambiguæ istiusmodi phrases non sunt imitandæ.

[u] *Fretum*] Maluit dicere Sallustius *fretum maris* quam *mare* simpliciter, ut æstum notaret et violentiam, quæ in illis angustiis conspicitur, in quæ duo maria concurrunt et commiscentur.

[v] *Nostri*] Mediterranei, scilicet, quod Italiam alluit. At certe vix ab occasu dicitur Mediterraneum Africam finire: sed Auctori nostro adeo mirabilis visus est maris æstus, ut eo abreptus fretum late ad occasum porrexerit. Videndum est interim ne nobis imponant tabulæ nostræ Geographicæ, in quibus nulla quandoque terræ curvitatis ratio habetur, cujus tamen, cum in plano exprimitur, nisi cogitatio subierit, pronum est in gravissimos errores incidere.

[w] *Latitudinem*] Id est, *campum vastum.*

[x] *Catabathmon*] Vox Græca est a *καταβαίνειν, descendere;* adeoque *Catabathmon* Latine *descensum* dixeris. Vallis erat in Ægyptum devexa, si Melæ credimus. Unde videas non eosdem, qui nobis, veteribus fuisse Africæ limites; nam ea hodie, idque melius, usque ad mare Rubrum protenditur.

[e] *Mare*] Libycum seu Africum, quod pars est Mediterranei.

[y] *Cœlo*] Id est, *Neque in Africa*

num salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui[11] ferro, aut bestiis interiere: nam morbus haud sæpe quenquam superat. Ad hoc malefici[z] generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam[12] habuerint, quique postea accesserint;[13] quanquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet, diversum est: tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur,[14] interpretatum nobis est; utique[15] rem sese habere cultores ejus terræ putant, quam paucissimis dicam.[q] Ceterum fides[a] ejus rei penes auctores erit.

18. Africam[1] initio habuere Gætuli[b] et Libyes,[c] asperi, inculti; quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege,[2] neque[3] imperio cujusquam regebantur: vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant.[a] Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri[4][d] putant, interiit; exercitus ejus, compositus ex

[q] *Dicam quam paucissimis verbis qui homines initio coluerint, et habitaverint Africam.*

[a] *Ibi manebant, ubi nox coëgerat eos manere.*

bestiis interierit L.—12 *Africam* delet H.—13 [*accesserint, aut quo modo inter se permisti sint; quanq.* Havercamp.] 14 *dicebantur esse* M.—15 *et uti rem* M.

1 *in initio* A. B. D. E. F. H. M. N.—2 *legibus* M.—3 [*aut imper.* Havercamp.] *neque imperio* A.—4 *Africi* F. H.—5 *multis* delet K.—6 [*quisque* Ha-

NOTÆ

multum pluit; neque ibi copia est fontium, aut fluviorum.

[z] *Malefici*] Puta Serpentes, Leones, &c.

[a] *Fides*] Id est, *Verum sit, necne, non affirmo; id præstiterint qui ejus rei Auctores fuerunt.*

[b] *Gætuli*] Libyæ interioris populi, qui ideo a diversis scriptoribus, diversis in locis collocantur, quod gens vaga sæpius habitationem suam mutaverit. Ut certe parum consulte videantur facere viri alioquin doctissimi, qui quæ ad loca spectant negligenter Sallustium scripsisse dicunt. Quasi vero ille, quia in Africa Prætor fuerit, ideo vastissimam et infestissimam regionem pervagari debuerit. Satis fuerit ea retulisse quæ didicit, quorumque injurium crediderim, Vindicem eum reposcere.

[c] *Libyes*] Hi Populi a quibus etiam nomen sortita est Africa, ejus proprie dictæ partem occiduam incoluerunt, ad mare Mediterraneum, inter Mauritaniam et Cyrenaicam regionem, ut volunt; nisi Alexandriam usque ab Ortu, et, prout videor ex Sallustio colligere, longius ab occasu aliquando erraverint: nam quis cum istis erronibus non erret?

[d] *Sicuti Afri*] Ex Livio et Virgilio creditum est Herculem incolumem ex Hispania in Italiam venisse, quibuscum Sallustius, quasi falsum fuerit quod Afri de Herculis morte prædi-

variis gentibus, amisso duce, ac passim multis,[5] sibi quique,[6] imperium petentibus, brevi[7] dilabitur.[8] Ex eo numero[9] Medi,[e] Persæ[f] et Armeni,[g] navibus in Africam transvecti,[10] proximos nostro mari locos occupavere. Sed Persæ intra Oceanum[h] magis;[11] iique alveos[i] navium inversos pro tuguriis habuere; quia neque materia[12] in agris, neque ab Hispanis emendi, aut mutandi copia erat.[13] Mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant.[r] Hi paulatim per connubia Gætulos miscuere: et quia sæpe tentantes[j] agros, alia, deinde[14] alia loca petiverant, semet ipsi[15] Numidas[k] appellavere. Ceterum adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt. Medis autem et Armenis[16] accessere[m] Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant;

[r] *Maris vastitas, et linguæ ignorantia prohibebant commercium.*

vercamp.] delet G. H. M.—7 *brevi* delet E.—8 *dilabuntur* B. D. *dilabitur quisque* H.—9 *tempore* A. F.—10 *transvecti sunt* D. E.—11 *magis habitavere* F.—12 *materia lignorum* M.—13 *copia fuit* C.—14 [*alia deinde, atque alia loca* Havercamp.] *ac dein alia loca* A. *alia deinde loca* p. H. I. sed *atque* delet B. C. D. E. F. G. K. L.—15 *semet ipsos* A. E. F. G. H. I. K. M. N. *petiverunt* C.—16 *Medi autem et Armenii* plerique ex Mss.—17 *ab* delet K.—18 [*fretu*

NOTÆ

cabant, facere videtur. Verum plures eo nomine fuisse dubitare non sinit Cicero lib. III. de natura Deorum; unde facile est variantes ea de re opiniones conciliare, si modo meminerimus uni suo Herculi, Jovis et Alcmenæ filio, quæcumque ab omnibus facta sunt, Græcos Poëtas attribuisse.

[e] *Medi*] Media, Asiæ regio notissima, ad mare Hyrcanum, seu Caspium, quo etiam penetrasse Herculem omnes norunt.

[f] *Persæ*] Juxta Medos, ad meridiem.

[g] *Armeni*] Post Medos, ad occasum.

[h] *Intra Oceanum*] Id est, *Ad mare Atlanticum.*

[i] *Alveos*] Illud est quod postea *carinas* vocat. Navis est concavitas.

[j] *Tentantes*] Ut, scilicet, pingue solum, et pecori, quo delectabantur, aptum, invenirent.

[k] *Numidas*] A Græco νέμειν, ut volunt, quod est *pascere*. Quamobrem vero ex Lingua Græca nomen sibi Nomades seu Numidæ assumsissent plane non video; adeoque de hac Etymologia multum dubito.

[m] *Accessere*] Quomodo isthuc, cu priores Libyes Africam obtinuerint? Facile certe, ut nihil necesse sit a vulgata lectione discedere, prout nonnullis placuit. Libyes minus bellicosi fuerunt, ut ipse dicit Sallustius: cum itaque credibiliter a Medis et

Gætuli sub sole[n] magis, haud procul ab[17] ardoribus) hique[o] mature oppida habuere. Nam [18]freto[p] divisi ab Hispania mutare[q] res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere,[19] barbara lingua Mauros, pro Medis, appellantes. Sed res Persarum brevi[20] adolevit:[r] ac postea nomine[21] Numidæ,[s] propter multitudinem a parentibus digressi, possidere ea loca, quæ proxime Carthaginem Numidia appellatur. Dein utrique alteris freti finitimos armis aut metu sub imperium cogere,[s] nomen[t] gloriamque sibi addidere; magis hi, qui ad nostrum mare processerant: quia[v] Libyes, quam Gætuli, minus bellicosi:[22] denique Africæ pars inferior[23] [x] pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.[24] [t]

[s] *Deinde utrique Numidæ in mutua opera, et auxilio præsidium collocantes, coëgerunt finitimos, armis, aut metu, sub imperium suum.*

[t] *Quicumque* a Numidis *victi sunt, eorum nomen sumserunt, et una gens cum ipsis facti sunt.*

Havercamp.] *freto* omnes Mss.—19 *corrumpere* M.—20 *breviter* C. *brevi tempore* D.—21 [*postea Nomo-Numidæ propt.* Havercamp.] *sub nomine Numidiæ* A. M. *Numidæ* B. *Numidæ nomine* E. *nomine mutato Numidæ* F. *nomine Numidiæ* G. H. *Nomine Numidæ* C. D. I. K. L. N.—22 *bellicosi erant* A.—23 *inferior* delet K.—24 *concessere in gentem unam n. q. i.* G.

NOTÆ

Armeniis pulsi essent; illis necesse fuit horum gratiam paulatim sibi conciliare; quod quidem accedere est.

[n] *Sub Sole*] Id est, *Sub circulo Æquinoctiali*, ubi solis ardor est gravissimus.

[o] *Hique*] Libyes scilicet, non Gætuli: atque hos parenthesi, ne sententiam turbarent, includendos curavi.

[p] *Freto*] *Tantum* adde, ne sensus videatur contrarius.

[q] *Mutare*] Quamdiu nummus apud omnes in pretio non fuit, omnino oportuit non pecunia emere, sed mercium compensatione et permutatione.

[r] *Adolevit*] Id est, *Brevi potentes et florentes facti sunt.*

[s] *Nomine Numidæ*] Id est, *Persæ Numidæ dicti.* In quibusdam libris legitur *Nomo-Numidæ;* quod minus placet.

[t] *Nomen*] Illud est quod Gallice dicimus, *Renom, Reputation:* aliter existimationem, aut famam appellaveris.

[v] *Quia*] Hic est sensus: Dicit majorem gloriam brevi quæsivisse Numidas, qui parentibus relictis ad mare Mediterraneum consederant, quod sibi vicinos, et minus bellicosos Libyas, quam aliis Numidis bello meliores Gætulos, superare facilius fuerit.

[x] *Inferior*] Patet ex textu, eam inferiorem dici Africæ partem, quæ juxta Mediterraneum mare porrigitur. Bene sane, cum eo plerique decurrant amnes Libyci.

19. Postea Phœnices[z] alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine, solicitata plebe aliisque novarum rerum avidis,[1] Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere: hæque brevi multum auctæ, pars originibus[a] præsidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere; quoniam alio properare tempus monet.[2] Igitur ad Catabathmon, qui locus[b] Ægyptum ab Africa dividit, secundo[c] mari, prima Cyrene est, colonia Thereon,[3d] ac deinceps duæ Syrtes,[e] interque eas Leptis:[f] dein[g] Philenon aræ,[h] quem, Ægyptum versus, finem imperii habuere Carthaginienses: post[4] aliæ Punicæ urbes.[5] Cetera[i] loca usque ad Maure-

1 *et alii n. r. avidi* D. E. F. H. I. K.—2 *admonet* K.—3 *Therecona* L.—4 *postea* D.—5 *urbes erant* G.—6 *agros* A.—7 *ab ardoribus* M.—8 *in bello* C.

NOTÆ

[z] *Phœnices*] Incolebant illi eas terras quæ ad Mediterranei Orientalem oram sitæ sunt. Pulsos a Josua fuisse notum est ex sacris literis; in Africa vero consedisse, ejusque oram maritimam occupasse passim legimus: atque ab iis Afri, præsertim Carthaginienses, Pœni dicti sunt.

[a] *Originibus*] Urbibus, unde exierant.

[b] *Qui locus*] Forte ideo locum describit, quia duo memorantur Catabathmi.

[c] *Secundo*] Id est, ut videtur, *Proximo. En suivant la mer.* Phrasis insolens, attamen quæ etiam reperitur apud Orosium, lib. I. cap. 2.

[d] *Thereon*] Plures insulas meminerunt Auctores, nomine Thera. Ab ea quæ sita est supra Cretam prodiisse dicunt eos qui Cyrenem condiderunt.

[e] *Syrtes*] Loca sunt vadosa maris Mediterranei, circa medium littus Africanum. Major ad ortum, minor ad occasum magis inclinat.

[f] *Leptis*] Duas hujus nominis Auctores plurimi in Africa propria collocant. Cluverius magnam habet omnino inter duas Syrtes; parvam vero magis ad occasum inter Syrtem minorem et Carthaginem. Hæc nostra, ut patet, magna est.

[g] *Dein*] Hic reprehenderunt quidam Sallustium, quod Philenorum aras post duas Syrtes posuerit. Verum erraverunt ipsi, non Sallustius; nam vocula *deinde* ad *Leptis*, non ad *Syrtes* referri debet; ita ut Philenon aras post Leptim, inter Syrtes, non post eas, collocaverit.

[h] *Philenon aræ*] Rem ipsam enarrabit postea Sallustius; quam scire jam si expedit, consule, si placet, indicem.

[i] *Cetera*] A finibus Carthaginiensium, scilicet, versus occasum. Atque hinc Numidiæ fines satis clare intelligimus; nisi quod Mulucha flumen eos ad occasum incertos facit. Si enim verum est quod ex Auctoribus colligitur, Mulucham in Mauritania Tingitana esse, cum flumen illud Jugurthæ imperii terminus a Sallustio postea constituatur, certe Numidia ulterius quam solet ad Occasum erit promovenda; ita ut Mauritania Cæsariensis, ubi antea Syphax Massæsy-

taniam Numidæ tenent: proxime[k] Hispaniam Mauri sunt: super[l] Numidiam Gætulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos[6] agitare: post eos Æthiopas[m] esse: dein loca[n] exusta solis[7] ardoribus. Igitur bello[8] Jugurthino pleraque ex Punicis oppida et fines Carthaginiensium, quos novissime[o] habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat: Gætulorum magna[9] pars et Numidia[10] usque ad flumen Mulucham[p] sub Jugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat,[11] præter nomen, cetera[q] ignarus populi Romani; itemque[12] nobis neque bello, neque pace antea cognitus.[13] De Africa et ejus incolis ad necessitudinem[14] rei satis dictum.[15]

20. Postquam, regno diviso, legati Africa[1] discessere, et Jugurtha contra timorem animi præmia[r] sceleris adeptum sese videt;[2] certum[3] ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ venalia esse; simul et illorum

—9 *plurimi* G.—10 [*Numidæ* Havercamp.] *Numidiæ* A. B. E. H. I. K. M.—11 *imperabat* H. K. M.—12 *item* K.—13 *cognitus erat* F.—14 *necessitatem* M.—15 *dictum est* B. C. D. E. G. H. K. M.

1 *ab Africa* A. D. *ex Africa* B.—2 *se esse vidit* F. I.—3 *certum esse* A. B. C.

NOTÆ

lis imperitaverat, sub Numidia comprehendatur: ex quo concludas per Mauritaniam, Sallustium fere Tingitanam intellexisse; Maurosque Cæsarienses in nomen et gentem victorum Numidarum concessisse. Sed quamvis satis certum sit bonam Cæsariensis Mauritaniæ partem sub Jugurtha fuisse; non tamen totam attribueris, quia vix Muluchæ fluminis situs cognosci possit.

[k] *Proxime*] Mari tamen interjecto.

[l] *Super*] Ad meridiem.

[m] *Æthiopas*] A parte Orientali ad Occidentalem, in media Africa, fuisse eos, volucrunt veteres, Homerum secuti.

[n] *Dein loca*] Hic iterum Auctorem arguit vir sane doctus, quasi ille, quia loca solis ardoribus exusta post Æthiopas ponit, ipsos in zona torrida esse negaverit. Ipse vero, ni fallor, male concludit. Nam Sallustius, Æthiopas sub sole esse neqnaquam inficiatur; sed tantum, post eos, loca esse exusta et inhabitata sese ab aliis accepisse dicit. Quanquam a veteribus, ita ut a nobis, cognitum fuisse situm terrarum nullus ausit affirmare.

[o] *Novissime*] Non enim a longo tempore Carthago a Scipione deleta fuerat.

[p] *Mulucham*] Alio nomine dicitur *Molochath*. Fuit et oppidum Mulucha dictum, ut liquet ex Floro.

[q] *Cetera*] Adverbium; nisi mavis præpositionem supplere. Aliter dicas, *His exceptis*.

[r] *Præmia*] Omnino, siquidem dimidiam Hiempsalis regni partem obtinuerat.

pollicitationibus[s] accensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum[4] intendit. Ipse acer, bellicosus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido[5] ingenio, opportunus injuriæ,[t] metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviso fines ejus cum magna manu invasit: multos mortales cum pecore atque alia præda capit, ædificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit. Dein cum omni multitudine in regnum suum convertit:[6] existimans dolore permotum Adherbalem injurias suas manu[7] vindicaturum,[8] eamque rem belli causam fore. At ille quod neque se parem[v] armis existimabat, et amicitia populi Romani magis, quam Numidis fretus erat; legatos ad Jugurtham de injuriis questum misit:[9] qui tametsi[10] contumeliosa dicta[11] retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere: quia tentatum antea secus cesserat. Neque tamen eo magis cupido Jugurthæ minuebatur: quippe qui totum ejus regnum animo jam[12] invaserat. Itaque non, ut antea, cum prædatoria[x] manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere cœpit, et aperte totius[13] Numidiæ imperium[14] petere. Ceterum, qua[15] pergebat, urbes, agros[16] vastare, prædas agere; suis animum, terrorem hostibus augere.

21. Adherbal ubi intelligit, eo processum, uti regnum aut[1] relinquendum esset, aut armis retinendum; necessario copias parat,[u][2] et Jugurthæ obvius procedit. Interim haud longe a

[u] *Necessitate impulsus copias parat.*

D. H. K. L. *certum est* M.—4 *animum suum* A.—5 *placidus ingenio* C. —6 *convenit* E. *convertit se* K. *se convertit* N. Mss. omnes transponunt, *Ath. d. p.*—7 *manu* delet H.—8 *et sic eamque rem* F.—9 *mittit* C.—10 *etsi* N.—11 *verba* F. K.—12 *jam* delet H.—13 *totius* delet M.—14 *regnum* G.—15 *qua parte* H.—16 *atque agros* D. E.

1 *aut* delet F.—2 delet *et* M.—3 *non est inceptum* A. B. E. F. H. I. L. *non*

NOTÆ

[s] *Pollicitationibus*] Nimirum illi, se Romæ, gratia et favore, omnia ad ejus commodum conversuros, polliciti erant.

[t] *Opportunus injuriæ*] Accipiendæ, scilicet. Injuria hic passive sumitur.

[v] *Parem*] Jugurthæ, scilicet.

[x] *Prædatoria*] Prædatorius exercitus dicitur, qui militibus constat leviter armatis, et in fugam expeditis.

mari, prope Cirtam[a] oppidum utriusque consedit exercitus: et quia die extremum erat, prælium non[3] inceptum. Ubi plerumque noctis processit,[4] obscuro[b] etiam tum[5] lumine, milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt;[6] semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque: Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit,[7] et ni[8] multitudo togatorum[c] fuisset, quæ Numidas insequentes[9] mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum atque patratum[10] bellum foret. Igitur Jugurtha oppidum[11] circumsedit, vineis[d] turribusque et machinis omnium generum expugnare aggreditur: maxime festinans tempus[e] legatorum antecapere, quos, ante prælium factum, Romam Adherbale missos audiverat. Sed postquam Senatus de bello eorum[12] accepit,[13] [tres adolescentes] in Africam legantur,[14] qui ambo reges adeant, Senatus populique Romani verbis[15] nuncient, 'Velle et censere,[f] eos ab armis discedere: de controversiis[16] suis jure potius, quam bello disceptare: ita seque illisque dignum fore.'[17]

22. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis,

inceptum est D.—4 *procedit* I.—5 *in obscuro etiam cum lumine* N.—6 *illos semisonnos* H.—7 *fugit* N.—8 *nisi* B. E. F. H.—9 *pro mœnibus* C. *a mœnibus* D. F. M.—10 *bellum* delet L.—11 *oppidum Cirtam* I.—12 *eorum* abest A.—13 *audivit* I.—14 *delegantur* K.—15 *verba* A. *verbum nunciarent* F.—16 *de controversiis disceptare* absunt A. B. C. D. E. F. H. I. K. L.—17 *Itaque nuncians dignum esse* A. *Itaque seque* C. M. *Ita seseque* D. *Itaque se* E. *Ita uti se dignum esse* F. *ita seque illis* G. *ita se illisque* K. [*esse* Havercamp.]

NOTÆ

[a] *Cirtam*] Regia quondam fuit Syphacis, ut Livio placet; Masinissæ alii tradunt: forte utriusque fuit, nam huic eam Scipio tradidit. Non longe distat a mari; et hodie *Constantina* dicitur.

[b] *Obscuro*] Id est, *die primulum redeunte:* forte circa tertiam horam matutinam.

[c] *Togatorum*] Id est, *Romanorum*, quibus toga vestis propria. Commercii causa, in opulenta urbe commorabantur.

[d] *Vineis*] Machinæ fuerunt quibus præcipue in diutinis obsidionibus utebantur, ex leviori ligno et cratibus contextæ, sub quibus plures milites, ab hostium missilibus tuti subsidebant.

[e] *Tempus*] Id est, *Ante Adherbalem extinguere, quam ipsi Roma opem et auxilium legati sui attulissent.*

[f] *Censere*] De Senatu dicitur; *Velle* et *Jubere* de toto P. Romano, cum legem aut aliquid aliud suffragiis approbat.

quod Romæ, dum proficisci parant, de prælio facto et oppugnatione[1] Cirtæ audiebatur: sed is rumor clemens[2][g] erat. Quorum Jugurtha accepta oratione respondit: 'Sibi neque majus quicquam, neque carius auctoritate Senati:[3] ab adolescentia[4] ita[5] enisum, uti ab optimo quoque probaretur: virtute, non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artes ab Micipsa, non penuria liberorum, in regnum[6] adoptatum:[7] ceterum quo[8] plura bene atque strenue fecisset, eo[9] animum suum[10] injuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium[h] sese[11] prohibuerint: postremo de omnibus rebus[12] legatos[13] Romam brevi missurum.' Ita utrique[i] digrediuntur.[14] Adherbalis[15] appellandi[k] copia non fuit.

23. Jugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest; vallo[l] atque fossa mœnia circumdat, turres extruit, easque præsidiis firmat:[v] præterea dies, noctes aut per vim, aut dolis

[v] *Extruit turres, easque* ab hostium irruptione *militibus præsidiariis tutas facit.*

1 *oppugnatione facta* G.—2 *demens* G.—3 *Senatus* A. B. D. E. F. G. H. I. M. N. *Senatus esse* C. K. L.—4 [*adulescentia sua* Havercamp.] *sua* delet H. I. K. L. N.—5 [*ita se enis.* Havercamp.] *esse ita* &c. M.—6 *in regno* B. E. H. M.—7 [*adopt. esse* Havercamp.] *se esse* H.—8 *quod plura* H. I. M.—9 *eoque magis* B. *et eo* D.—10 *suum* abest H.—11 *sese* delet K.—12 *rebus* delet H.—13 *se legatos* I.—14 *brevi digrediuntur* C.—15 *Atherbali* A. E. F. H. K.

NOTÆ

[g] *Clemens*] Id est, *Neque multum res ipsa per hominum ora jactabatur; neque tam atrox dicebatur.*

[h] *Jure gentium*] Quo, cuique illatam injuriam repellere licet. Ceterum vide mihi, quæso, quousque, et quanta arte, nequitiam suam promoveat perditissimus latro.

[i] *Utrique*] Legati et Jugurtha.

[k] *Appellandi*] Dolis Jugurthæ factum est, ne Adherbalem Legati alloquerentur, ex quo rem, uti acta erat, cognovissent: ut, scilicet, post eorum discessum, quod et fecit, eum interficeret; deinde causam mortis quidlibet Romæ, per nefarios amicos, prætexeret.

[l] *Vallo*] Vallus, palus est, aut sudes, a quo vallum, hoc est, terræ aggestus, in castrorum munitionibus, dictum est; quia vallis illis terra retinetur.

tentare, defensoribus mœnium præmia modo, modo formidinem[1] ostentare, suos hortando ad virtutem erigere:[2] prorsus intentus[3] cuncta parare. Adherbal ubi intelligit, omnes suas fortunas in extremo[4] sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum[m] bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duo[5] maxime impigros delegit,[6] eos multa pollicendo,[7] ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proximum mare, dein Romam pergerent.[w]

24. Numidæ paucis diebus jussa efficiunt: literæ Adherbalis in senatu recitatæ,[1] quarum sententia hæc fuit:

'Non mea culpa sæpe ad vos oratum mitto, Patres conscripti, sed vis Jugurthæ subigit:[2] quem tanta lubido extinguendi me invasit, uti neque vos, neque Deos immortales in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam mensem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor: neque mihi Micipsæ patris beneficia, neque vestra decreta[n] auxiliantur. Ferro, an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Jugurtha scribere, dehortatur[3] [o] fortuna mea:[4] etiam antea expertus sum, parum fidei miseris esse.[x] Nisi[p] tamen[5] intelligo, illum supra, quam[6]

[w] *Multa pollicendo, ac deplorando fortunam suam, eos confirmat, ut noctu per hostium opera et munimenta, ad proximum mare eant, deinde Romam pergant.*

[x] *Etiam antea experimento didici miserorum testimonio parum fidei tribui.*

1 *fortitudinem* G.—2 [*arrigere* Havercamp.] *arrigere* L. reliqui *erigere*.—3 *intentus* delet I. *intentus ad pugnam* F.—4 *esse sitas* H.—5 [*duos* Havercamp.] *duosque* B.—6 *delegit* K.—7 *pollicitando* D. H.

1 *recitatæ sunt* E. F. *recitantur* G.—2 *subiit* A. *subegit* E. G. N. *subegit me* F. K.—3 *dehortatur me f. m.* B.—4 *mea* delet H. *me hortatur f. m.* G. *dehortatur me f. m.* I. *me d. f. m.* L.—5 *tantum* H. N.—6 *supra quem* F.—7 *uti* A.

NOTÆ

[m] *Necessariarum*] Sic in optimis reperitur codicibus, non ut in vulg. Edd. *necessarium*.

[n] *Decreta*] Quibus, (legatis etiam ad id missis,) ne alter alteri vim aut arma inferret, cautum fuisse vidimus.

[o] *Dehortatur*] Quia, scilicet, neque tempus est, cum quis opprimitur de aliis rebus agere; neque omnia opus est de hoste dicere; quæ neque a multis audiuntur. Cauta est hæc oratio; et epistola integra acute, et cum judicio scripta.

[p] *Nisi*] Correctio est; quasi dicat, *Interim ego vos moneo, &c.*

ego sum, petere, neque simul amicitiam vestram, et regnum meum sperare:[7] utrum[q] gravius existimet, nemini occultum est. Nam initio[8] occidit Hiempsalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit. Quæ sane[9] fuerint nostræ injuriæ, nihil ad vos. Verum nunc vestrum regnum armis tenet: me, quem imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet: legatorum verba quanti[10] fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum, nisi vis vestra, quo[11] moveri possit? Nam ego quidem[12] vellem, et hæc, quæ scribo, et quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret.[13] Sed quoniam eo[14] natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem,[y] non jam mortem neque ærumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis[15] deprecor.[z] Regno Numidiæ, quod vestrum est, uti lubet, consulite: me ex[16] manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiæ fidem;[a] si ulla apud vos memoria avi mei Masinissæ.'[r]

25. His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quamprimum Adherbali subveniendum: de Jugurtha interim uti[1] consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab iisdem regis fautoribus summa ope[2] enisum,[s] ne decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum.[3] Le-

[y] *Quandoquidem eo fine natus sum, ut in me ostenderentur, et in aperto ponerentur scelera Jugurthæ.*

[z] *Tantum oro ne ego inimici imperio subjiciar, neve ab eo corpus meum torqueatur.*

[a] *Vos oro per fidem quæ debetur amicitiæ.*

verum H.—8 *in initio* A. B. D. F. K.—9 *sane cum* F.—10 *quanti pretii* A.—11 [*qua mov.* Havercamp.] *qua commoveri* H. *a quo moveri* L.—12 *nam et ego vellem* G.—13 *miseriæ meæ f. v. facerent* I.—14 *ad hoc* D. *eo miseriarum* H.—15 *deprecor ut evadam* C. E. *evadere deprecor* L. M.—16 *ex* delet H. L. N.

1 *uti* delet H.—2 *nixum est* B. *enixum est* C. *nisum est* D. *enisum est* E. F.—

NOTÆ

[q] *Utrum*] Id est, *An gratia vestra, modo regno meo potiatur, excidere malit, quam, mihi data pace, vestra benevolentia frui.* Innuit Jugurtham Romanorum amicitiam temnere.

[r] *Masinissæ*] Optima clausula; quia, ut antea vidimus, Romanis bona et firma semper Masinissæ amicitia fuerat.

[s] *Enisum*] Passive; quod facile non est imitandum.

gantur tamen in Africam majores[t] natu, nobiles, amplis honoribus: in quis M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis,[4] et tum Senati princeps.[v] Hi,[5] quod in invidia res erat simul, et ab Numidis[w] obsecrati, triduo navim escendere: dein brevi Uticam[x] appulsi literas ad Jugurtham mittunt, QUAM[6] OCYSSIME AD PROVINCIAM ACCEDAT; SEQUE[7] AD EUM AB SENATU MISSOS. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romæ pollere audiverat, contra inceptum suum venisse: primo commotus,[8] metu atque lubidine diversus agitabatur.[b] Timebat iram Senati,[9] [ni paruisset legatis:] porro animus cupidine cæcus ad inceptum scelus rapiebat.[10] Vicit tamen in avido[z] ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu[11] circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur,[c] maxime sperans, diducta[12][a] manu hostium, aut vi, aut dolis sese casum victoriæ inventurum.[d] Quod ubi secus procedit,[13] neque, quod intenderat, efficere potest, uti prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac[14] tamen etsi Senati verbis minæ graves nunciabantur, quod oppugnatione[15] non desisteret;[16] multa

[b] *In diversas partes trahebatur.*
[c] *Igitur exercitu circum mœnia diducto, summa vi Cirtam conatur irrumpere.*
[d] *Sperans sese inventurum occasionem victoriæ reportandæ.*

3 *devictum est* B. D. F. H.—4 *homo consularis* D. M.—5 *ei* L.—6 *ut quam* M.—7 [*se*, omisso *que*, Havercamp.] *seque* A. B. L. M. N.—8 *Cunctatus* I.—9 *senatus* Mss. passim.—10 *rapiebatur* plerique ex Mss. *rapiebat* L.—11 *exercito* L.—12 plures ex recentioribus Mss. *deducta. ducta* L.—13 *processit* B.—14 *Ac* L.—15 *obpugnatione Cirtæ* F. N.—16 *discederet* I.—17 delet *frustra* A.

NOTÆ

[t] *Majores*] Antea adolescentes missos fuisse vidimus.

[v] *Princeps*] Is erat qui primus in recognoscendo Senatu, a Censoribus augusto titulo, recitabatur.

[w] *Numidis*] Adherbalis legatis.

[x] *Uticam*] Urbs fuit antiquissima, Tyriorum colonia, non longe a Carthagine, ad occasum.

[z] *Avido*] Imperii scilicet. Vix possit quisquam sibi consulere, dum ita flagrat cupiditas: adeoque tunc maxime quiescendum.

[a] *Diducta*] Facilius est enim hostem in diversa tractum et alibi resistentem superare.

tamen oratione consumta, legati frustra[17] discessere.[e]

26. Ea postquam Cirtæ audita sunt, Italici, quorum virtute mœnia defensabantur,[1] confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque, et oppidum Jugurthæ tradat: tantum[2] ab eo vitam paciscatur, de ceteris Senatui curæ[3] fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Jugurthæ rebatur; quia penes eosdem,[b] si adversaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant[4] Italici, deditionem facit. Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat:[f] dein omnes puberes Numidas et negotiatores[c] promiscue, uti quisque armatis[5] obvius, interfecit.

27. Quod postquam Romæ cognitum, et res in Senatu agitari cœpta,[1] idem[†] illi ministri[d] regis interpellando[e] ac sæpe gratia, interdum jurgiis trahendo[f] tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius,[g] tribunus plebis designatus, vir acer[2] et infestus potentiæ nobilitatis, populum Romanum edocuisset,[3] ID AGI, UTI PER PAUCOS FACTIOSOS JUGURTHÆ SCELUS CONDONARETUR, profecto omnis invi-

[e] *At, quamvis minæ graves* a legatis *nomine Senatus nuntiabantur, quod ab oppugnatione Cirtæ non desisteret; tamen, multis sermonibus absumtis, legati re infecta discesserunt.*

[f] *Jugurtha primo occidit Adherbalem; postquam eum cruciatibus afflixisset.*

1 *defendebantur* D.—2 *tantummodo* B.—3 *curam* E.—4 *consuluerunt* C.—5 [*armatus* Havercamp.] *armatis* Ed. Rom. sive N. Carrionis Editio.

1 *cœpit* A. B. E. F. H. M. *in senatu cœpit agitari* I. † [*iidem* Havercamp. 'Omnis manus *idem*, pro *iidem*.' Cortius.]—2 *vir fortis et acer* B.—3 *docuis-*

NOTÆ

[b] *Eosdem*] Italicos negotiatores scilicet, quos Adherbal ad id cogere non poterat, ut diutius vim Jugurthæ sustinerent.

[c] *Negotiatores*] Quos supra togatos appellavit.

[d] *Ministri*] Romanos intelligit Jugurthæ pecunia corruptos.

[e] *Interpellando*] Non modo sermones de aliis rebus jaciebant, aut casus alios ingerebant; sed etiam eorum orationem, quos minus Jugurthæ favere crederent interturbabant. Plurimæ sunt tricæ, et nequitiæ quibus judicia solent differre cavillatores.

[f] *Trahendo*] In eo præsertim posita est astutia Causidicorum; assuetis enim minimum movemur, atque omnibus rebus, cum tempore assuescimus.

[g] *Memmius*] Hunc Saturninus, cum Consulatum peteret, interficiendum jussit.

dia prolatandis consultationibus dilapsa erat.[g] Tanta vis gratiæ, atque pecuniæ regis. Sed ubi Senatus delicti conscientia populum timet; lege Sempronia[h] provinciæ futuris Consulibus, Numidia atque Italia, decretæ:[4] Consules declarantur[5] P. Scipio Nasica,[i] L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit.[j] Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, alia, quæ bello usui forent, decernuntur.

28. At Jugurtha, contra spem nuncio accepto, quippe cui, Romæ omnia venum ire,[1] in animo hæserat;[h] filium, et cum eo duo familiares ad Senatum legatos mittit: hisque, ut illis, quos, Hiempsale interfecto, miserat, præcepit,[2] 'omnes mortales pecunia aggrediantur.'[i] Qui postquam Romam adventabant; Senatus a Bestia consultus; PLACERETNE LEGATOS JUGURTHÆ RECIPI MŒNIBUS: iique decrevere: 'nisi[3] regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus [proximis] decem Italia decederent.' Consul Numidis ex Senati decreto nunciari jubet: ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat[k] sibi homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate, quæ deliquisset, munita fore

[g] *Profecto omne odium,* quod contra Jugurthæ scelera accensum erat, *extinctum foret, differendo deliberationes.*
[h] *Quippe qui prorsus credebat omnia Romæ esse venalia.*
[i] *Iis præcipit ut quosvis, Romæ, conentur pecunia ad partes suas adducere.*

set A.—4 *decretæ sunt* A. B. D. H.—5 [*declarati* Havercamp.] *declarantur* E. F.

1 [*venire* Havercamp.] *venum ire* A. B. C. D. E. F. H. I. K. M. N. sed L. *venire.*—2 *præcipit ut o. m.* A. E. *præcipit o. m.* B. [et Edit. Haverc.]

NOTÆ

[h] *Sempronia*] Sempronius Gracchus legem tulerat, ut singulis annis Senatus Provincias duas Cousulares, ante comitia Consularia, quas deinde ipsi designati Consules inter se sortirentur, decerneret.

[i] *Nasica*] Hic inter clarissimos Oratores a Cicerone recensetur, qui eum in Consulatu mortuum esse dicit.

[j] *Obvenit*] Sorte scilicet; quamvis Consules quandoque inter se de Provinciis conveniebant.

[k] *Legat*] Legati Imperatoribus adjuncti erant, ut eos consilio et opera adjuvarent. Plerumque singuli singulis attributi legionibus, et summo duci obnoxii. Sed, de istis omnibus, adi, si placet, doctissimum Lipsium.

sperabat:[k] in quis fuit[4] Scaurus, cujus de natura et habitu[5] supra memoravimus. Nam in Consule nostro multæ bonæque artes animi et corporis erant: quas omnes avaritia præpediebat. Patiens laborum, acri[6] ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium,[l] atque inde Siciliam,[m] porro ex Sicilia in Africam transvectæ.[7] Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est, multos mortales, et urbes aliquot pugnando capit.

29. Sed ubi Jugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem[n] ostendere cœpit: animus æger avaritia facile conversus[o] est. Ceterum socius et administer[1] omnium consiliorum assumitur Scaurus: qui tametsi a principio,[p] plerisque ex factione ejus corruptis, acerrime regem impugnaverat;[l] tamen[2] magnitudine pecuniæ a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Jugurtha primum tantummodo belli moram[3] redimebat,[q] existimans, sese aliquid interim Romæ pretio, aut gratia effecturum: postea vero quam participem negotii[r] Scaurum acceperat;

[k] *Calpurnius assumit sibi legatos homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate sperabat tecta et impunita fore quæ deliquisset.*

[l] *Acerrime contra* Jugurtham *regem enixus erat.*

præcepit D. H. I. L. *diebus his* D.—3 *nisi sibi* F.—4 *fuerat* E.—5 *ambitu* F.—6 *acer ingenio* A.—7 *transvectæ sunt* A. D. F. G. H. I. K.

1 *et minister* H.—2 *pro magnitudine* F.—3 *moras* N.—4 *factionibus* A.—

NOTÆ

[l] *Rhegium*] Urbs est in littore Calabriæ, e regione Messanæ in Sicilia.

[m] *Siciliam*] Sicilia Mediterranei insula est celeberrima, Triquetra et Trinacria olim, a forma, dicta.

[n] *Asperitatem*] Enimvero difficillimum fuit, in locis remotissimis et asperrimis, hostem militiæ peritissimum, et atrocissimum superare.

[o] *Conversus*] Ita ut, postquam ab eo bellum acriter inceptum esset, idem ille deinceps segniter persequeretur.

[p] *A principio*] Quando a Jugurtha Romam legati missi sunt.

[q] *Redimebat*] Hoc est, *Id tantum quærebat, quomodo bellum in longinquum traheret.*

[r] *Negotii*] Flagitii scilicet, quo, pecunia accepta, Consul cum hoste clanculum paciscebatur.

in maximam spem adductus recuperandæ pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus[4] præsens[5] agere. Ceterum interea, fidei[s] causa, mittitur a Consule Sextius Quæstor in oppidum Jugurthæ Vagam:[t] cujus rei[u] species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam[v] legatis imperaverat: quoniam deditionis[w] mora induciæ agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit: ac pauca, præsenti consilio, locutus[6] de invidia[x] facti, atque in deditionem uti[y] acciperetur;[7] reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit:[8] dein postero die, quasi per saturam[9][z] exquisitis sententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti[10] pro consilio imperatum,[m]

[m] *Prout imperatum erat coram consilio.*

5 *posse agere* H.—6 *locutus est* B. D.—7 *reciperetur* C.—8 *et Scauro transegit* A. B. D. E. F. G. H. I. K. M.—9 *legem Saturam* B. H. *Saturam legem* E. M.

NOTÆ

[s] *Fidei*] Ne deditionis specie dubitaret Jugurtha ad Consulem venire, Sextius Quæstor in oppidum Jugurthæ quasi obses mittitur, ut, nisi inter eos de pacis arcanis conditionibus conveniret, Jugurtha inviolatus reverteretur.

[t] *Vagam*] Urbs fuit insignis, forum rerum venalium totius regni.

[u] *Cujus rei*] Prætextum mittendi Sextii, Calpurnius exhibuit frumentum, quod palam legatis imperaverat.

[v] *Palam*] Ut, scilicet, omnes nossent quamobrem Quæstor dimitteretur; neque dolum subolerent.

[w] *Quoniam deditionis*] Quandoquidem moræ et induciarum Jugurtha causa fuit, omnino belli sumtus ferre, adeoque frumentum suppeditare debuit.

[x] *De invidia*] Ut, scilicet, injuste conflatam eam ostenderet; seseque expurgaret.

[y] *Atque in deditionem uti*] Id est, *Ne cum ipso tanquam cum hoste Senatus Populusque Romanus ageret; quinimo in fidem et ditionem suam acciperet.*

[z] *Per saturam*] Satura, lanx erat variis frugum, pomorum, et similium generibus plena: unde farcimen quoddam multis rebus refertum, et id genus alii cibi, saturæ nomine appellati sunt: deinde ad sermones, habita ratione, vel rerum varietatis et mixturæ, vel metrorum confusionis transiit significatio. His positis, difficile non est scire quid sit *Exquirere sententias per saturam.* Nimirum Consul in Jugurthæ negotio quasi in re facili et confecta versatus est: (neque vero aliter opus fuisset, si ille deditionem veram fecisset:) sententiam suam pro rerum numero et ratione non divisit, sed multas res simul complexus, confuse aliorum sententias rogavit. Eo modo, nisi cum callidis et iisdem cordatis viris negotium expediendum sit, facile est quemvis irretire et decipere. Nostrates istud vocant, *faire un pot pourri d'une affaire.*

elephanti[11] triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere Quæstori traduntur. Calpurnius Romam[12] ad magistratus rogandos[a] proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.[13]

30. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actæ forent fama divulgavit; Romæ per omnes locos et conventus de facto Consulis agitari: apud plebem gravis invidia; Patres, probarentne tantum flagitium, an decretum[b] Consulis subverterent, parum constabat. Ac maxime eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiæ ferebatur,[n] a vero, bono impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate[1] ingenii et odio potentiæ nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras Senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere,[2] ne rempublicam,[3] ne libertatem suam desererent: multa superba, crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Memmii[4] facundia clara pollensque fuit; decere existimavi, unam ex tam multis orationem perscribere: ac potissimum, quæ[5] in concione post reditum Bestiæ hujuscemodi verbis disseruit:

[n] *Quia is dicebatur esse auctor* flagitii, *et socius Bestiæ*, in eo admittendo.

—10 *sicuti* F.—11 *elephantes* B. *elephanti* xx. M.—12 *Romam* delet A.—13 *agitari cœpit* A. B.
1 *de nobilitate* M.—2 *monere P. R.* A. B. C. D. E. H. I. K. L. *monere ne P. R. Remp. neque lib.* G. *monere Rom. pop. ne lib.* N.—3 Delent *ne Remp.* I. K. L.—4 [*temp. Romæ Mem.* Havercamp.] *Romæ* delet B.—5 [*ea dicam, quæ* Havercamp.] *eam d. quam* B. N.

NOTÆ

[a] *Rogandos*] Quicquid alii dicant, omnino arbitror ita intelligendum esse hunc locum, ut Calpurnius Romam concesserit, ad rogandum populum de Consulibus et aliis Magistratibus, in annum proximum creandis: mortuo enim Scipione collega, nisi ipse adfuisset, interregem ea gratia creari oportuisset, cum neque Prætor, neque alius Magistratus jus illud haberet. Fateor equidem, ut invidiam minueret, si qua in se concitata esset, Calpurnium mature in urbem concessisse; at enim animum meum inducere nequeo, per *rogare Magistratus* intelligendum esse, *Rogare an satis illis placeret quod cum Jugurtha factum esset.*

[b] *Decretum*] Quo in deditionem, Jugurtham, certis conditionibus, acceperat.

31. Multa dehortantur a vobis,[1] Quirites, ni studium reipublicæ omnia superet:[2] opes factionis, vestra[3] patientia, jus nullum; ac maxime, quod innocentiæ plus periculi, quam honoris, est.[o] Nam illa quidem piget[4] dicere, his[c] annis xv. quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœde quamque inulti[5] perierint vestri[6] defensores;[d] ut vobis animus ab ignavia atque secordia corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxiis[7][e] inimicis, exsurgitis, atque etiam nunc timetis, quibus decet terrori esse. Sed quanquam hæc talia sunt; tamen obviam ire factionis potentiæ animus subigit.[8][p] Certe ego libertatem, quæ mihi a parente tradita est, experiar:[q] verum id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm,[r] Quirites. Neque ego hortor, quod sæpe majores vestri[9] fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione[10][f] opus: necesse est, suomet[11][g] ipsi[h] more præcipites eant.[12] Occiso Tiberio Graccho, quem regnum[i]

[o] *Multa me deterrerent a vobis* defendendis, *Quirites, nisi affectus meus in Rempublicam omni impedimento major esset; opes factionis, vestra patientia, justitiæ contemtus* me deterreret, *ac præsertim quod plus periculi redundat in bonos et honestos, quam honoris.*

[p] *Tamen animus me cogit resistere potentiæ factionis.*

[q] *Certe ego libertate uti, quæ mihi a parente meo tradita est, non desistam.*

[r] *Verum in vestra potestate situm est, idne frustra experiar, an in vestrum commodum.*

1 *a vobis* delet E.—2 *superaret* B. E. G. N.—3 *nostra* B. D.—4 *pudet* D.—5 *multi* C. K. M.—6 *nostri* H.—7 *obnoxii* Mss.—8 *subegit* C. F. M. *subigit me* K.—9 *nostri* B. C. D. E. I.—10 *successione* A.—11 *ut suomet* E.—12 *ut*

NOTÆ

[c] *His*] Quibus, post Gracchorum mortem, nobilitas in plebem sævierat. Ceterum a Tiberii Gracchi obitu ad Calpurnii consulatum vicesimus tertius annus decurrebat; unde concludas, vel locum corruptum, vel annorum supputationem subtilem et accuratam non esse.

[d] *Defensores*] Quales Gracchi, Fulvius.

[e] *Obnoxiis*] Id est, *In flagitio deprehensis, et sub potestatem redactis.* Gall. *Sur qui vous avez si belle prise.*

[f] *Secessione*] In Catilina vidimus ter quaterve plebem a patribus secessisse.

[g] *Suomet*] Quæstionibus scilicet, quæ in eos habebuntur, quomodo eas in plebem exercuerunt.

[h] *Ipsi*] Nobiles, qui in culpa sunt deprehensi.

[i] *Regnum*] Memorat Plutarchus Pompeium, priusquam T. Gracchus interficeretur, se scire dixisse, huic diadema et purpureas vestes, tanquam Romæ regnaturo, allatas esse. Florus vero, eum refert, dum, manu caput tangens, plebem ad defensio-

parare aiebant, in plebem Romanam [13]quæstiones[j] habitæ sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii cædem, item multi vestri[14] ordinis[k] in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex,[l] verum lubido[m] eorum finem fecit. Sed[n] sane fuerit regni paratio,[15] plebi sua[16] restituere. Quicquid[o] sine sanguine civium[17] ulcisci[p] nequitur[18 q] jure factum sit. Superioribus annis[19] taciti indignabamini, ærarium expilari;[20] reges et populos liberos[r] paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam, et maximas divitias esse: tamen hæc talia facinora impune suscepisse, parum[s] habuere. Itaque postremo leges,[21] majestas vestra, divina et humana omnia hostibus[t] tradita sunt. Neque eos, qui fecere, pudet aut pœnitet: sed incedunt per ora vestra magnifice;[22 s] sacer-

[s] *Ambulant magnifice in medio vestrum.*

eant D. H.—13 *graves quæstiones* A. H. K.—14 *nostri* B.—15 *reparatio* D. E. F. H.—16 *sua jura* K.—17 *civium* delet C.—18 *nequitur* solus L. *nequit* A. B. D. E. F. G. H. I. K. M. N.—19 *annis* delet A.—20 *exspoliari* A. B. D. E. M. *spoliari* G.—21 *jus atque leges* G.—22 [*magnifici* Havercamp.] *magnifice* C.

NOTÆ

nem salutis suæ hortaretur, regnum sibi et diadema poscentis speciem præbuisse.

[j] *Quæstiones*] *Des informations et procedures criminelles.*

[k] *Ordinis*] Plebeii scilicet: tres enim fuisse antea vidimus.

[l] *Lex*] Non Porciam modo aliasve intelligit leges, quæ pro civium tergo sancitæ essent, sed jus omne et æquitatem quam inter cives servare decet. Sensus est, usque in plebem nobiles sæviisse, dum sanguine ejus libidinem suam satiassent.

[m] *Lubido*] *Leur caprice.*

[n] *Sed*] Sensus paulo remotior est. Concedit adversariis, quod acerrime contra ipsos retorqueat, idque cum amara ironia; quasi dicat, *Verum jam tempus non est de istis altercari: Esto, quandoquidem ita placet nobilitati; illis concedo male fecisse Gracchos, eosque regiam auctoritatem in civitatem reduxisse, quando plebi quod suum est restitutum voluerunt.*

[o] *Quicquid*] Conclusio est, quam Memmius ex iis quæ adversariis concessit pro causa sua deducit. Vult nimirum bene fecisse nobiles, qui commentitios regni reparatores interfecerint, ut, potiori jure, plebi in flagitiosissimos nobiles liceat inquirere.

[p] *Ulcisci*] Passive; quod facile non est imitandum.

[q] *Nequitur*] Antique.

[r] *Liberos*] Cum publice sub Imperii Romani ditione esse deberent, atque Reipublicæ tributa pendere; aut si socii fuissent et liberi, ab ejusmodi paucorum tyrannide tuti agitare.

[s] *Parum*] Id est, *non contenti fuerunt.*

[t] *Hostibus*] De Jugurtha etiam intelligit, cui certe P. Romani Ma-

dotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes; perinde quasi honori,[v] non prædæ habeant.[23] Servi ære parati[24] imperia injusta dominorum non perferunt:[t] vos,[25] Quirites, imperio[26] nati, æquo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi, qui rempublicam occupavere? homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissimi, idemque[27] superbissimi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum occidisse[w] tribunos plebis; alii quæstiones injustas; plerique cædem in vos fecisse, pro munimento habent.[u] Ita quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est: metum[x] a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnes eadem[y] cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit:[z] sed hæc inter bonos amicitia est, inter malos factio. Quod si tam libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque res publica, sicuti nunc, vas-

[t] *Servi argento acquisiti non tolerant injusta imperia dominorum.*
[u] *Eorum nonnullis præsidio est interfecisse tribunos plebis, aliis vos quæstionibus injustis vexasse, plerisque cædem in vos fecisse.*

D. H. K.—23 *habeantur* A.—24 *comparati* C. M.—25 *quidem* C.—26 *in imperio* D. E. G. K. L.—27 *et idem* B. L. *et iidem* C. *et eidem* F. *iidemque* G. I. N.—

NOTÆ

jestas pecunia prodita fuerat.

[v] *Honori*] Id est, *Quasi honeste partas dignitates propter honorem retinuissent, non propter prædam.* Gall. *Tout de même que s'ils regardoient les charges et les dignitez de la Republique comme des recompenses honorables de la vertu, et non comme des moyens d'exercer leur brigandage.*

[w] *Occidisse*] Hi Infinitivi, vicem præstant Accusativi casus.

[x] *Metum*] Ratio est superioris commatis ingeniosissima. Ideo, inquit, pessimus quisque tutissimus est, quia maxime metuitur, postquam a se scelesto metum ad ignavum transtulit.

[y] *Eadem*] Ne, scilicet, aliquando jus suum Populus repetat, eoque adversus nocentes utatur.

[z] *Coëgit*] Potest hic locus ita exponi, ut *coëgit* neutro-passivi verbi vim habeat; sensusque idem fuerit ac si pro *coëgit*, *convenit* posuisset, nisi quod illud significantius et expressius est. Sed simplicius intelligi malim, voloque ut Infinitivi isti pro Nominativis sumantur verbi *coëgit*. Atque sententia istorum verborum ea ipsa erit quam in bello Catilinario Catilina ipse expressit, cum dixit, Eadem velle, et eadem nolle firmam demum efficere amicitiam. Nimirum intendit Memmius ea causa tam egregie inter se congruere nobiles, et tam enixe uno conatu plebem opprimere, quod

taretur;[v] et beneficia vestra penes optimos, non audacissimos, forent. Majores vestri,[28] parandi[a] juris et majestatis constituendæ gratia, bis, per secessionem, armati [29]Aventinum[b] occupavere: vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quod majus[30] dedecus est, parta[31] amittere, quam omnino non paravisse. Dicet aliquis:[32] Quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam: non manu, neque vi;[33] quod magis fecisse, quam illis accidisse indignum;[34] verum quæstionibus et indicio ipsius Jugurthæ; qui si dediticius[35] est, profecto jussis vestris obediens erit:[w] sin ea contemnit; scilicet existimabitis,[36] qualis illa pax, aut deditio, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maximæ divitiæ, in[37] rempublicam[c] damna, dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas[38] tenet,[39] et illa,[d] quam hæc[e] tempora, magis placent, cum regna, provinciæ, leges, jura, judicia, bella, paces; postremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc est,[40] populus Romanus, invicti

[v] *Neque Respublica vastaretur, sicuti* vastatur *nunc.*
[w] *Qui, si revera deditionem fecit, et se populo Romano tradidit, profecto vobis obtemperabit.*

28 *nostri* B. D. F. K.—29 *Aventinum montem* C. D. E. F. H. I. K. M. N.—30 *magis* B. D. F. K.—31 *parata* E. G.—32 *Dicet aliquis* delet C.—33 *aut vi* A. *utique censeo non m. n. vi* G.—34 [*indign. est* Havercamp.] *est* delet F.—35 *deditus* A. B. D. E. F. G. H. I. K. N. *Dedicius* L. *deditius* M.—36 *existimabitis* A. B. D. E. F. G. H. I. K. L.—37 *ac in* C. *ad* F. K. L. N. *at in* I.—38 *societas* B. H.—39 *teneat* D. E. H.—40 *Res p.* M.—41 *nisi ista* H.—42

NOTÆ

omnes uno et eodem crimine teneantur, atque adeo eadem timeant, et odio persequantur.

[a] *Parandi*] Ut Tribunos suos obtinerent, qui sacro-sancta sua potestate plebem defenderent et tuerentur.

[b] *Aventinum*] Alii Montem Sacrum dicunt: T. Livius et Dionysius Halicarnasseus. Sacer dictus est, non, ut quidam existimavit, quod Jovi sacer esset, sed quod in eum plebs secessisset. Trans Anienem situs erat, tertio ab urbe milliario.

[c] *In Rempubl.*] Omnino, nam regnum quod Masinissæ Romani tradiderant, extinctis ejus legitimis hæredibus, jure ad ipsos redibat. Neque vero Sociorum et Amicorum injurias sine dedecore inultas relinquere poterant.

[d] *Illa*] Quibus, post Gracchorum mortem, oppressi fuistis.

[e] *Hæc*] Quibus jus vestrum potestis et asserere et vindicare.

ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere.[x] Nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tamen etsi viro flagitiosissimum[f] existimo impune injuriam accepisse; tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer, nisi[41] misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis,[42] quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse, nisi deinde faciendi licentia eripitur;[43][y] et vobis æterna solicitudo remanebit,[44] cum intelligetis, aut serviendum esse, aut per manus libertatem retinendam.[45][z] Nam fidei quidem, aut concordiæ quæ spes? Dominari illi volunt; vos[46] liberi esse: facere illi injurias; vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus; hostibus[g] pro sociis utuntur. Potestne in tam diversis mentibus pax, aut amicitia esse? Quare moneo hortorque, ne tantum scelus impunitum omittatis.[47] Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ: quæ quanquam gravia; tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. [48]Hosti acerri-

[x] *Vos autem, cum essetis Imperatores omnium gentium, contenti eratis vivere.*
[y] *Nam et illi, quanta est sua importunitas, pro nihilo ducunt quod* hactenus *impune deliquerunt;* et deinceps multo plura patrabunt, *nisi illis malefaciendi licentia in posterum eripitur.*
[z] *Aut vi et armis libertatem esse conservandam.*

illi D. H. K. L. N.—43 *eripiatur* B. E. F. G. H. L. M. N.—44 *permanebit* H. —45 *eripiendam* K.—46 *vos vero* F.—47 [*dimittatis* Havercamp.] *omittatis* A. B. C. D. E. G. H. I. L. M. *amittatis* F. *permittatis* K.—48 *H. a. Jugurthæ*

NOTÆ

[f] *Flagitiosissimum*] Nobis sub Christi disciplina institutis nefas est acceptas injurias ulcisci; immo ostendit recta ratio, illi Reipublicæ occidendum esse, in qua privata vindicta toleratur. At vero neque illam Auctor suadet. Scopus est dicere, eos quibus pœnarum irrogandarum potestas data est, flagitiosissime facere, cum gratia, socordia, aut quavis alia causa, noxium aliquem impunitum relinquunt. Verissime et optime, si quicquam aliud: ignoscendo enim fit tandem, ut qui pessimi sunt, incautos de solio deturbent, deinde quos viros bonos sciunt, prædas et victimas suas faciant. Stat publicum bonum legibus; leges tuetur severitas: neque inter homines, inepta illa facilitate, quam ostentant nonnulli Rerum publicarum moderatores, majus est malum.

[g] *Hostibus*] Id factum in Jugurthæ negotio: fuit ille sceleratus; amicos habuit nobiles: Adherbal innocens

mo prodita[h] Senati auctoritas, proditum imperium vestrum:[49] domi[i] militiæque[j] respublica venalis fuit. Quæ nisi quæsita[k] erunt, ni vindicatum in noxios: quid reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quæ libet facere, id est Regem[l] esse. Neque ego, Quirites, hortor, ut[50] malitis[m] cives vestros perperam, quam recte fecisse; sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica[n] multo præstat beneficii, quam maleficii[51] immemorem[52] esse. Bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas;[53] at malus improbior. Ad hoc[54] si injuriæ non sint, haud sæpe auxilii egeas.'

32. Hæc atque alia hujuscemodi sæpe dicendo,[1] Memmius populo[2] persuadet, uti L. Cassius,[o] qui tum Prætor

A. H.—49 *vestrum est* A. I. K. L. M.—50 *ut jam* H.—51 *maleficii quam beneficii* I.—52 *memorem esse* L.—53 *negligis* E.—54 *Ad hæc* H.
1 [*indicendo* Havercamp.] *dicendo* B. F. M.—2 [*pop. Romano* Havercamp.]

NOTÆ

vixit; ab omnibus derelictus fuit.

[h] *Prodita*] Planissime, quandoquidem Jugurthæ, contra Senatus mandatum, impune licuerit Adherbalem persequi et trucidare; crimine a nobilibus pecunia redemto.

[i] *Domi*] Quando Romam legati venerunt.

[j] *Militiæque*] Per Bestiam et Scaurum.

[k] *Quæsita*] *Si on n'en fuit pas une bonne enquête.*

[l] *Regem*] In malam partem accipitur hoc in loco; neque quisquam post eorum expulsam dominationem, Romæ ejus dignitatis nomen assumere ausus est.

[m] *Malitis*] Nonnulli conspiciuntur interdum ita male sani homines, qui quasi venenata insecta essent, virus suum quocumque non inveniunt important, id unice amant, quærunt, colligunt, generant; et, ut aperte loquar, aliis crimina affingunt, ut suis vivant. Ab iis maxime cavendum, cum præsertim aliquid in Republica administrant; nam muneris obeundi specie quasi jure, quoscumque lubet, sub toga effocant; cumque leges in ipsorum sint arbitrio, iis sibi præsidium dum parant, iisdem, aliis, quibus invigilant, perniciem machinantur. Ideo eos notavi quod obiter Memmius sceleratam gentem attingat, quamque, nisi in laqueos inciderit, nullus sub hypocrisis larva insidiantem, satis cognoverit.

[n] *In Rep.*] Hoc est notatu dignissimum; cum enim in Paradoxis non sine causa recenseas, verissimum est tamen, et ex Politicorum sinu depromtum. Neque vero aliud postulant boni cives, quam ne ullus malus sit in Republica: quisque sibi postea abunde prospicit. At secus est inter privatos; illos enim decet oblivisci injuriarum, meminisse acceptorum beneficiorum; quin et ipsi, et omnes ultro benefacere debent.

[o] *Cassius*] Hunc fuisse volunt virum maximæ severitatis; idque adeo postmodum ex Auctore cognoscetur.

erat, ad Jugurtham mitteretur,[3] interposita[p] fide publica,[4] Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniæ captæ arcessebant,[5] delicta patefierent.[a] Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui præerant, secuti morem imperatoris, plurima et flagitiosissima facinora fecere.[6] Fuere, qui auro corrupti elephantos Jugurthæ traderent; alii perfugas[q] vendere; pars ex pacatis[r] prædas agebant.[7] Tanta vis avaritiæ in[8] animos eorum, veluti tabes, invaserat. At Cassius,[9] perlata rogatione[s] a C. Memmio, ac perculsa[10] omni nobilitate, ad Jugurtham proficiscitur;[b] ei timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet: quo se populo Romano dedidisset,[11] ne vim, quam misericordiam, experiri mallet.[12] Privatim præterea fidem suam interponit,[t] quam ille non minoris,[13] quam publicam ducebat. Talis ea tempestate fama de Cassio.[14]

33. Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxime miserabili, cum Cassio Romam venit. Ac tamen etsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta gesserat; C.[1] Bæbium

[a] *Ut delicta Scauri et reliquorum quos* ab Jugurtha *pecunias accepisse dicebant, facilius in lucem prodirent ejus declaratione.*

[b] *At Cassius Prætor proficiscitur ad Jugurtham, postquam C. Memmius a Populo impetrasset quod rogaverat.*

Rom. delet F.—3 [*mitter. eumque interp.* Havercamp.] *eumque* abest H.—4 *populi* F.—5 *arcessebat* H.—6 *fecerant* F.—7 *agerent* L.—8 *in* delet A. B. C. D. F. H. I. M. N.—9 [*Cass. Prætor* Havercamp.] *P. Ro.* A. *P. R.* B. E. H. M. N. *Po. Ro.* C. D. *Prætor populi Rom.* F. I. K.—10 *percussa* F. H.—11 *dedisset* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—12 [*malit* Havercamp.] *mallet* H. I. K. L. M.—13 *minoris pretii* D. E. H.—14 [*de Cass. erat* Havercamp.] *orta erat* F.

NOTÆ

[p] *Interposita*] Id est, *Jugurthæ pollicendo, quod ipsi inviolato domum reverti liberum esset.*

[q] *Perfugas*] Maximum inde malum in Rempublicam redundabat; non enim deinceps ausus fuisset quisquam ex Jugurthæ militibus ejus militiam abjurare, veritus ne pariter ad ipsum remitteretur.

[r] *Pacatis*] Illi Provincias Romanis subjectas, et socios compilabant.

[s] *Rogatione*] Qua a Populo petiverat, ut quæreretur in eos qui pecunia Rempublicam Jugurthæ prodidissent.

[t] *Interponit*] Id est, *Præter fidem publicam, se fidei servandæ sponsorem constituit.*

tribunum plebis magna mercede parat, cujus impudentia[u] contra jus[v] et injurias omnes munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quanquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci jubebat, pars ni socios sceleris aperiret, more majorum, de hoste supplicium sumi;[2] dignitati, quam iræ, magis consulens, sedare motus, et animos mollire; postremo confirmare,[3] fidem publicam per sese[w] inviolatam[4] fore. Post, ubi silentium cœpit,[5] producto Jugurtha, verba facit:[6] Romæ Numidiæque facinora ejus memorat;[7] scelera in patrem fratresque ostendit: quibus[8] juvantibus quibusque ministris egerit, quanquam intelligat populus Romanus; tamen velle manifesta magis ex illo[9] habere;[c] si vera aperiret,[10] in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam; sin reticeat, non sociis[11] saluti fore; sese suasque spes[12] corrupturum.

34. Dein, ubi Memmius dicendi finem fecit, et Jugurtha respondere jussus[1] est, C. Bæbius tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere jubet;[x] ac tamen etsi multitudo, quæ in concione aderat, vehementer[2] accensa, terrebat eum clamore, vultu, sæpe impetu atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat; vicit[y] tamen impudentia,[3]

[c] Dicit Memmius *P. Romanum, quanquam is intelligat quibus juvantibus, quibusque ministris ea scelera Jugurtha patraverit, tamen velle ea ipsa magis ab ipso cognoscere.*

1 *tamen Bæbium* H.—2 *dicebat sumendum* F. *sumendum* G. M.—3 *confirmans* H.—4 *inviolabilem* G.—5 *cœpit fieri in populo* D. *c. f. in P. R.* H.—6 *fecit* A. D. E. H. *Memmius v. facit* M.—7 *commemorat* G.—8 *et quibus* H.—9 *ex illo* delet I.—10 *si verum aperiat* L.—11 *non sociis sibique* D. *non sociis sceleris* G. *non sociis id* H.—12 *suasque fore res* D. *suasque opes* F. H. *sese suasque opes* M.

1 *et Jugurthæ respondere jussum est* K.—2 *violenter* A.—3 *impudentia Bæbii*

NOTÆ

[u] *Impudentia*] Plenius intelligetur postea tota res: interea sciendum est, quod uno Tribuno resistente, frustra erat quicquid ab aliis tentaretur.

[v] *Jus*] Id est, *Ne timeret quicquid secundum leges, et ex æquo contra ipsum decerni posset.*

[w] *Per sese*] Id est, *Quanquam omnes contra niterentur, id tamen, vel periculo mortis, sese præstiturum.*

[x] *Jubet*] Jam patet quam durum os fuerit istius Bæbii: nusquam par reperta est impudentia et audacia.

[y] *Vicit*] Quia scilicet, Populus nolebat, quos summa vi paraverat sibi defensores, palam mactare.

Ita populus ludibrio habitus ex concione discessit. Jugurthæ Bestiæque et ceteris,[6] quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.[7]

35. Ea erat[1] tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva, Gulussæ filius, Masinissæ nepos: qui, quia, dissensione regum, Jugurthæ adversus fuerat; dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic[2] Sp. Albinus, qui proximo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo Consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissæ sit, Jugurtham[3] ob scelera invidia cum metu[o] urgeat:[4] regnum Numidiæ ab Senatu petat. Avidus Consul belli gerendi movere,[5] quam senescere omnia malebat.[d] Ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia[z] evenerat. Quæ postquam Massiva agitare cœpit, neque Jugurthæ in[6] amicis satis præsidii est:[7] quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat: Bomilcari, proximo ac maxime fido sibi, imperat, 'pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret,[e] ac maxime occulte: sin id parum[a] procedat, quovis modo Numidam interficiat.' Bomilcar mature regis mandata exequitur: et per homines talis negotii artifices itinera egressusque ejus, postremo loca atque tempora cuncta explorat: deinde, ubi res[8]

[d] *Consul maxime cupidus belli gerendi malebat omnia turbari, quam pacificari.*
[e] *Imperat Bomilcari propinquo, ac maxime fido sibi, ut, quemadmodum confecerat multa pecunia et vi nummi,* sic quoque *pretio quærat percussores Massivæ.*

B. E. F. H. K. M. N. *imp. hujus Bæbii* D. *impudentia Cai* G.—4 [*discedit* Havercamp.] *discessit* D. F. H. I.—6 *Jugurthæque et Bestiæ cæterisque* M.—7 *augentur* H.

1 *Erat ea* B. C. E. F. G. H. I. K. L.—2 *Huic Massivæ* F.—3 *Jugurthamque &c. urgebat* K. *Jugurthamque &c. urgeat* L. *Jugurtam &c. urgent* M. N.—4 *ut urgent* G.—5 *moveri et renovare* H.—6 *suis* A.—7 *erat* H.—8 *uti rex* A.—9 *pos-*

NOTÆ

[o] *Metu*] Id est, *invidia et metu.* Arbitror vero intelligendum esse de metu Romanæ plebis; ut aliquando etiam contra se ipsa ausurum Jugurtham credat scelera sua convertere.

[z] *Macedonia*] Notissima Europæ regio, Philippi, ac deinde Alexandri magni imperii sedes, supra Græciam sita, ad Septentrionem.

[a] *Id parum*] Id est, *non possit occulte Massivam interficere.*

postulabat,[9] insidias tendit.[10] Igitur unus ex eo numero, qui ad cædem parati, paulo inconsultius[b] Massivam aggreditur, illum[11] obtruncat: sed ipse deprehensus, multis hortantibus et inprimis Albino consule, indicium[c] profitetur. Fit reus[12] magis ex æquo[d] bonoque, quam ex jure gentium, Bomilcar; comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Jugurtha[13] manifestus[e] tanti sceleris, non prius[f] omisit contra verum niti,[14] quam animum advertit,[15] supra gratiam[g] atque pecuniam suam invidiam facti[16] esse. Igitur, quanquam in priore actione[h] ex amicis quinquaginta vades[i] dederat; regno magis, quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit:[17] veritus, ne reliquos populares metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret. Et ipse paucis diebus profectus est,[18] jussus[k] ab Senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur sæpe eo tacitus respiciens, postremo dixisse: URBEM[19] VENALEM[l] ET MATURE PERITURAM, SI EMTOREM INVENERIT.

tulat F.—10 *parat* C.—11 *illumque* B. M. *et illum* K. M—12 *magis reus* H.—13 *conscivi* G.—14 *obniti* H.—15 Mss. et Edd. omnes *animadverit*.—16 *facti sui* A.H. *sui facti* D.—17 *mittit* B. *dimittit* I.—18 *p. d. postea eodem pro e.* A. *p. d. eodem pr. e.* B. C. D. F. G. H. I. K. L.—19 *venalem esse* A. *urbem Romam esse venalem* F.

NOTÆ

[b] *Inconsultius*] Scilicet intervenerunt aliqui, dum scelus patraret; vel ille ante, num satis omnia tuta essent, minus circumspexerat.

[c] *Indicium*] Id est, *Declarat se, cujus consilio tantum facinus ausus esset, dicturum.*

[d] *Ex æquo*] Id est, *magis habita ratione naturalis æquitatis, quam juris gentium;* quo, ne quis eos, qui fide publica venerunt, attingat, sanctum est.

[e] *Manifestus*] Verisimile non est Jugurtham testibus, vel Bomilcaris indicio convictum fuisse: at, ex re ipsa, quæ evidens erat, pro manifesto habebatur.

[f] *Non prius*] Id est, *Semper contra veritatem nixus est, donec supra gratiam et pecuniam suam, facti invidiam esse vidit.*

[g] *Supra gratiam*] Intellige Jugurthæ amicos facti et sceleris ejus invidiam declinare nequivisse.

[h] *Actione*] Forensi, scilicet; cum primum intentata est accusatio contra ipsum, in judicio.

[i] *Vades*] Qui eum judicio sistere promiserant. Gall. *De les représenter en justice.* Scilicet illi Romani fuerunt.

[k] *Jussus*] Vides itaque illi, quantumvis pessimo, servatam fidem. Interim Livius clam eum aufugisse dicit: non abs re sane; nam ex æquo bonoque, morte multari poterat.

[l] *Venalem*] Vide mihi, quæso, quid

36. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, alia, quæ militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus,[1] uti ante Comitia,[m] quod tempus haud longe aberat, armis, aut[2] deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias moræ causas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum[n] simulare: instanti[o] cedere, et paulo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora Consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii[p] regis existimarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum secordia[3] magis, quam dolo crederent.[f] Sed postquam, dilapso tempore, comitiorum dies adventabat; Albinus, Aulo fratre in castris pro Prætore relicto, Romam[4] decessit.[5]

37 Ea tempestate Romæ seditionibus tribuniciis atrociter respublica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur: quæ dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro Prætore in castris relictum supra diximus, aut conficiendi belli,[1] aut terrore

[f] *Fuere qui non crederent, post tantam* Albini *properantiam, bellum prolongatum fuisse magis socordia, quam dolo.*

1 *profectus est* C. D. E. F. G.—2 delet *aut* H.—3 Mss. omnes *socordia.*—4 *Romam* delet M.—5 *recessit* A. B. D. G. M. *discessit* C. D. F. H. L.
1 *aut c. b. gratia* B. *aut causa c. b.* C. F. G. I. M. *a. c. causa belli* D. *aut c. b.*

NOTÆ

tandem de Roma pronuntiet vir, quanquam nequissimus, certe tamen sagacissimus: Venalem dicit. Romam magis contemnere non potuit. Plus est quam si scelestissimam aut perditissimam dixisset; nec majus esse potest hominum depravatorum et perditorum indicium, quam justitiam et æquitatem, omnia denique auro rependere. Actum est de Republica in qua ea pestis grassatur.

[m] *Comitia*] Id est, *Antequam conventus fierent pro Magistratuum creatione.*

[n] *Metum*] Intellige, Albinum ad deditionem rationibus plurimis Jugurtham induxisse, Jugurthamque pollicitum esse; postea vero eundem recusasse, quasi timuisset ne erga se P. Romanus, contra quam Albinus ingerebat, severitate magis quam misericordia uteretur.

[o] *Instanti*] Consuli, scilicet, Albino. Tota ista ratio omnimode ad Romanorum effugienda et eludenda arma apta erat.

[p] *Consilii*] Id est, *Hæc omnia ex compacto fieri.*

exercitus ab rege pecuniæ capiendæ, milites mense Januario ex hybernis[2] in expeditionem evocat;[g] magnis itineribus, hyeme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quanquam et sævitia temporis, et opportunitate loci neque capi, neque obsideri poterat, (nam circum murum, situm in prærupti montis extremo,[3] planities limosa hyemalibus[4] aquis paludem fecerat): tamen aut simulandi[q] gratia, quo regi formidinem adderet; aut cupidine[5] cæcus, vineas agere,[r] aggerem[s] jacere, alia, quæ incepto usui forent, properare.[6]

38. At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus[1] augere amentiam:[2] missitare supplicantes[t] legatos: ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique[4] Aulum spe pactionis perpulit,[5] uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat[6] [u] centuriones ducesque turmarum,[v] partim uti transfugerent,[7] [corrumpere ;] alii, signo dato, locum uti desererent. Ita delicta[w] occultiora fore.[†] Quæ postquam ex sententia instruit;[8] intempesta nocte, de

[g] *Aulus adductus ea mora in spem, aut conficiendi belli, aut pecuniæ ab rege accipiendæ, cum ipsi terrorem injecisset suo exercitu, mense Januario evocat milites in expeditionem, ex locis in quibus hybernum tempus exigebant.*

---

causa A. E. H.—2 *hibernaculis* E. H. N. *tabernaculis* M.—3 *extremo margine* D. —4 *gelualibus* F.—5 *cupiditate* M.—6 *præparare.*

1 *subdole* M.—2 *dementiam* Al. *amentiam* G.—4 *Deinde* H. M.—5 *pepulit* M.

NOTÆ

[q] *Simulandi*] Se, scilicet, in animo ejus urbis obsidionem habere. Fatuus homo, quasi cum puerulo rem susciperet!

[r] *Agere*] Id est, *urbem versus promovere.*

[s] *Aggerem*] Terra est, quæ cum lignis et obvia quaque materia, in montis modum congeritur; cujus in bello, vel ad propugnandum, vel ad oppugnandum, usus multus est.

[t] *Supplicantes*] Ut crederet Aulus ea causa timere et diffidere Jugurtham, quod obsidione urbs Suthul cingeretur; atque adeo in ea permaneret; cum ipse urbem Aulo sciret insuperabilem.

[u] *Tentabat*] Ut quoquomodo aliquid adversus ipsum pararet.

[v] *Turmarum*] Turma in equitatu eandem rationem habet, quam centuria in peditatu; nisi quod triginta tantum equitibus constat.

[w] *Delicta*] Auli cum Jugurtha.

improviso multitudine Numidarum Auli[9] castra circumvenit. Milites Romani, tumultu perculsi insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis: vis[10] magna hostium, cœlum nocte atque nubibus obscuratum; periculum anceps:[x] postremo fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paulo ante corruptos diximus, cohors[y] una Ligurum,[z] cum duabus turmis Thracum,[a] et paucis[11] gregariis militibus, transiere ad regem: et centurio primi pili[b] tertiæ[c] legionis per munitionem,[d] quam uti defenderet, acceperat, locum hostibus introëundi dedit: eaque[12] Numidæ cuncti irrupere.[13] Nostri fœda fuga, plerique abjectis armis, proximum collem occupavere. Nox atque præda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur,[e] remorata sunt.[h] Dein Jugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba facit: 'tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro clausum tenet:[14] tamen se

[h] *Nox, atque præda castrorum remorata sunt hostes quo minus victoria uterentur.*

—6 *tentare* C. 7 *tr. ad eum* B.—† *fuere* A. B. C. E. F. H. I. K. L.—8 *instruit* A. B. C. D. E. F. H. I. K. L. M.—9 *Albini* L.—10 *v. erat* A. E. F. H. *vis m. h. erat* I.—11 *ex gr. m.* G. H.—12 *ea* H.—13 *eruperit* L.—14 *teneat* G.—

NOTÆ

[x] *Anceps*] Sive fugerent, sive manerent.

[y] *Cohors*] Ex manipulis tribus conficiebatur, in quibus singulis duæ erant centuriæ, quæ quidem primo 60. militum fuerunt, deinde, cum ipsa legione, militum numero, per proportionem, adauctæ sunt.

[z] *Ligurum*] Hodie dicitur Liguria, *La côte de Gênes.* Ab Alpibus, olim, usque ad Macram flumen, et, secundum aliquos, ad urbem Pisas porrigebatur.

[a] *Thracum*] Thracia supra mare Ægæum sita est, ad Septentrionem. Hodie dicitur *Romanie.*

[b] *Primi pili*] Primipilus, Centurio primi pili, Primus legionis centurio, Præfectus legionis, rem unam et eandem significant.

[c] *Tertiæ*] Legiones ab ordine temporis quo conscriptæ fuerant, deinde a loco, ab Imperatoribus, &c. nominà sortitæ sunt, eo quo dicimus modo, *Le Régiment de Monseigneur le Dauphin; Celui de Champagne, &c.*

[d] *Munitionem*] Munitio dicitur quicquid ad hostium arcendos impetus comparatum est, qualis est agger, vallum, &c. Munitionis vero instituendæ partes, ut in singulos dividebantur, ita, postquam peracta erat, a centurionibus hic aut illic curantibus defendebatur.

[e] *Uterentur*] Prius victoria uti quam frui decet; adeoque præpostere Ju-

humanarum rerum memorem; si secum fœdus faceret,[15 i] incolumes omnes sub jugum[f] missurum:[g] præterea, uti diebus decem Numidia[16] decederet.[17] Quæ quanquam gravia et flagitii[18 h] plena erant; tamen, quia mortis metu mutabant,[19] sicuti regi libuerat, pax convenit.

39. Sed ubi ea Romæ comperta sunt, metus atque mœror civitatem invasere: pars dolere[1] pro gloria[i] imperii: pars insolita[j] rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maxime, qui bello sæpe præclari[2] fuerant; quod armatus dedecore[k] potius, quam manu, salutem quæsiverat.[3] Ob ea Consul Albinus ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum timens, Senatum de fœdere[l] consulebat.[4] Et tamen interim exercitui supplementum[m] scribere: ab sociis[n] et nomine Latino[o] auxilia arcessere: denique modis omnibus

[i] *Tamen se memorem vicissitudinis rerum humanarum, missurum omnes incolumes sub jugum, si Aulus secum fœdus faceret.*

15 *fecit* L.—16 *a Numidia* D. M. N.—17 *decederent* H. M.—18 *flagitio* F. G. K. *flagitiis* H.—19 *minitabantur* C. L. *tenebantur* E. F. *cogebantur* G. *terrebantur* N. [*mutabantur* Edit. Havercamp.]

1 *dolore* B.—2 *clari* L.—3 [*quæsierit* Edit. Havercamp.] *acquisiverat* A. *quæsiverat* B. C. E. F. G. H. I. K. *quæsivit* D.—4 *consulebat utrum fœdus quod*

NOTÆ

gurthini milites, qui ante Romanorum castra spoliant, quam eos profligaverint.

[f] *Sub jugum*] Eo modo ignominiæ causa, victos hostes multabant: duæ videlicet hastæ in terram mittebantur, ad quarum extremas et extantes partes, tertia transversa colligabatur, sub qua discincti et inermes transire victi cogebantur; qui adeo sese domitos et subactos confitebantur.

[g] *Missurum*] Infamiæ notam pro beneficio Jugurtha proponit, quia clausos hostes habebat. Pessime vero sibi consuluit: nam aut omnes ad unum occidere, aut prorsus intactos dimittere debuit.

[h] *Flagitii*] Flagitium, crimen est, quod dedecus et servilem turpitudinem conjunctam habet.

[i] *Gloria*] Quia, scilicet, eam omnibus nationibus merito proculcandam esse videbant.

[j] *Insolita*] Ita in magnis urbibus fieri solet; ad levissima quæque trepidant, qui otio assueti, militiæ rudes sunt.

[k] *Dedecore*] De jugo loquebantur, quod Aulus subierat.

[l] *Fœdere*] Quod cum Jugurtha frater iniverat.

[m] *Supplementum*] Id est, *milites, qui in occisorum locum substituerentur*, Gall. *Des recrues.*

[n] *Sociis*] Italicis, scilicet, qui ita absolute socii nonnunquam appellantur. A Latinis vero habitatione distinguuntur, cum Latii jure fruerentur.

[o] *Nomine Latino*] Id est, *Iis homi-*

festinare. Senatus ita,[5] uti par fuerat, decernit,[6] SUO ATQUE POPULI INJUSSU NULLUM POTUISSE FŒDUS FIERI. Consul impeditus a tribunis[7] plebis ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur. Nam omnis exercitus, uti convenerat,[p] Numidia deductus, in provincia[8] hyemabat. Postquam eo venit:[9] quanquam persequi Jugurtham et mederi fraternæ[q] invidiæ animus[10] ardebat; cognitis militibus, quos præter fugam, soluto[r] imperio, licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit, nihil sibi agitandum.[11] [k]

40. Interea[1] Romæ C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, 'uti quæreretur[2] in eos, quorum consilio Jugurtha Senati[s] decreta negligisset;[l] quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent; qui[3] elephantos, quique perfugas tradidissent; item qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent.' Huic rogationi partim conscii sibi,[4] alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur; occulte per amicos, ac maxime per homines nominis Latini et socios Italicos[t]

[k] *Cum ita se res haberent, statuit nihil sibi movendum.*
[l] *Limetanus Populum interrogat num ipsi placeret, ut quæstio haberetur in eos, quorum consilio Jugurtha Senatus decreta contemsisset.*

pepigerat cum Jugurtha firmum sicque factum perdurare debuisset nec ne L.—5 *ita* delet H.—6 *decrevit* C. D. F. M.—7 *tribuno* H.—8 *in provinciam* F. L.—9 *ventum est* D.—10 *animus* B. D. E. F. K. N. [*animo* Edit. Haverc.]—11 *agendum* B. C. D. G. H. K. *esse agendum* F.

1 *Interim* A. C. F. H. I. K. L. M.—2 *quæreret* I. mox *senatus* pro *senati* Mss. et sic passim.—3 *quique* A. E. *et qui* D.—4 *sibi* delet K.—5 *est* delet H.

NOTÆ

nibus qui jure Latii seu Latinitatis fruebantur: de quo adi, si lubet, Jurisperitos; nam varias ejus mutationes persequi hic non est locus.

[p] *Convenerat*] Jugurtham inter et Aulum.

[q] *Fraternæ*] Id est, *quæ in eum flagrabat.*

[r] *Soluto*] Cum vident milites ducibus suis, ipsorumque culpa præsertim, omnia male cedere; solent illi imperium detrectare, et mandata contemnere.

[s] *Senati*] Pro *Senatus;* antique.

[t] *Italicos*] Eosdem supra *Socios* simpliciter vocavit.

impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est,[5] quam[6] intenta fuerit, quantaque vi rogationem jusserit, decreverit,[7] voluerit: magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicæ: tanta lubido[v] in partibus. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiæ supra docuimus,[8] inter lætitiam plebis, et suorum[w] fugam, trepida[x] etiam tum civitate, cum ex Mamilia rogatione tres quæsitores[y] rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quæstio[9] exercitata[10] aspere violenterque ex rumore, et lubidine plebis: ut sæpe nobilitatem,[11] sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.[m]

41. Ceterum mos partium popularium et Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romæ ortus, otio et abundantia[1] earum rerum,[2] quæ prima mortales ducunt.[3] Nam ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter cives[z] erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus[4] discessit; scilicet ea, quæ secundæ res amant, [5]lascivia atque superbia

[m] *Sed quæstione habita aspere et violenter ex admurmurationibus et libidinosis populi votis, insolentia ceperat plebem ea tempestate propter prosperitatem, uti ceperat sæpe nobilitatem.*

—6 *quantum* K.—7 *d. v.* absunt ab A.—8 *diximus* A. G. *docuimus* B. D. E. F. H. I. K. L. N. [*memoravimus* Edit. Haverc.]—9 [*quæstione* Edit. Haverc.] *quæstio* C.—10 *exercitata* C. D. E. F. G. H. I. K.—11 *n. et dominatione* K.

1 [*abundantia earum* Edit. Haverc.] *abundantia rerum* L.—2 *earum rerum* B. C. D. E. F. G. H. I. K.—3 *agunt* H.—4 *a mentibus discedit* A. *mentibus decessit* L.—5 *otium, lascivia* G.—6 [*optaverunt* Edit. Haverc.] *optaverant*

NOTÆ

[v] *Lubido*] Hic nihil aliud est, quam effrænum vincendi desiderium, cum odio.

[w] *Suorum*] Nobilium, scilicet.

[x] *Trepida*] Vidimus supra, ex Auli casu, multos libertati timere. Itaque facilius fuit Scauro, ceteris lætitia aut metu turbatis, cogitata perficere.

[y] *Quæsitores*] Qui in eos inquirerent, qui Jugurthæ faverant.

[z] *Inter cives*] Qui rempublicam administrant isthuc diligenter animo agitabunt, ut inquietam hominis naturam contra hostes magis quam contra cives convertant.

incessere.[n] Ita, quod in adversis rebus optaverant,[6] otium, postquam adepti sunt, asperius,[a] acerbiusque fuit.[o] Namque cœpere nobilitas dignitatem,[7] populus libertatem in lubidinem[b] vertere:[p] sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas[c] partes abstracta sunt: respublica, quæ media[d] fuerat, dilacerata.[8] Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis[9] soluta[e] atque dispersa, in[10] multitudine, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur;[11] penes eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ triumphique erant: populus militia atque inopia urgebatur; prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis[12] erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia, sine modestiaque invadere;[†] polluere et vastare

[n] *Verum, ubi ille timor ex animis ejectus est, scilicet ea, quæ prosperitas gignit, lascivia* nimirum, *atque superbia viguerunt.*

[o] *Eo modo, otium, quod optaverant in rebus adversis, fuit gravius et acerbius, postquam adepti sunt.*

[p] *Etenim cœperunt* inter se, *nobilitas vertere dignitatem in libidinem, Populus vero libertatem.*

A. B. C. E. F. H. I. K. L.—7 *dign. in dominationem* L. et quidam alii.—8 *dilacerata est* A. C. D. E. F. G. H. K. M.—9 *plebs soluta* A.—10 *in* delet K.—11 *agitabantur* I. *Resp. agitabatur* B. E. F. H. K. L. M. N.—12 *affinis* D. M. N.

NOTÆ

[a] *Asperius*] Sententia satis aperta est, latitat tamen quodammodo sub hac locutione; non enim quod optamus otium, verum ejus privatio dura est.

[b] *Lubidinem*] Frequentissime utitur ea voce Sallustius, adeoque vim ejus opus est perspicere. Voluntatem notat, prout aliquo desiderio aut affectu, veri boni pro tempore non æstimata ratione, abripitur.

[c] *Duas*] Hinc plebe, illinc stante nobilitate.

[d] *Media*] Vere et acute eum expressit modum, quo Respublicæ intereunt: civitas enim et bonum publicum, cum in consensu et civium unione sit positum, non aliter quam laceratione et divisione perire potest.

[e] *Soluta*] Quomodo frangatur vis quæ in multitudinem dispersa est, præsertim cum ex opinione hominum, quæ tam varia est, dependet, nullus est quem lateat; neque ea causa naturæ scrutatores adire opus est, qui nos vim unitam majorem esse doceant. Verum hinc maximum haurire possunt documentum Rerum moderatores; cum præsertim hodie Regem videant, quem non magis alia causa veneratur orbis, quam quod solus regnat.

omnia; nihil pensi, neque sancti habere, quod[13] semet ipsa[14]q præcipitavit.[f] Nam[g] ubi primum [ex nobilitate] reperti sunt, qui veram gloriam injustæ potentiæ anteponerent; moveri civitas, et permixtio[15] civilis, quasi discessio terræ,[h] oriri cœpit.

42. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum majores Punico atque aliis bellis multum reipublicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere cœpere: nobilitas noxia,[1] atque eo[2] perculsa,[3] modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes[i] societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus[4] obviam ierat: et primo Tiberium, dein paucos[j] post annos eadem ingredientem[k] Caium, Tribunum[5]

q *Ita avaritia inexplebilis et effrænata juncta potentiæ, invasit, polluit, et vastavit omnia, nihil curavit, neque sanctum habuit, usque dum semetipsa precipitavit.*

†[*av. sine modo, modestiaque inv.* Haverc.]—13 *quousque pr. semet ipsam* K.—14 *semet ipsam* F. G. L. N.—15 [*quasi permixtio* Edit. Haverc.] *qu. permixtione* C. L. *et q. p. t.* M.

1 *anxia* M. N.—2 *eo* delet B. F. H.—3 *percussa* A. F.—4 *factionibus* C.—

NOTÆ

f *Præcipitavit*] Aptissima metaphora; nam quomodo tandem propria mole ruunt quæ in altum nimis surrexerunt, ita plane non avaritia, aut potentia tantum, sed evertitur id omne quod nimium est. Sapienter itaque Horatius ad Licinium, 'Contrahes, vento nimium secundo, Turgida vela.'

g *Nam*] Quomodo isthuc? Virtus itaque fugienda est, cum turbas et discordias cieat. Immo, qui eam amant profligandi et perdendi, si iis credatur prædonibus, qui sub ejus larva, per fraudem et scelus Reipublicæ gubernacula surripuerunt. At vero per accidens, et eorum prædonum, non virtutis vitio, civitates commoventur; neque vitandæ offensionis causa, minus illi, quanquam caute, ut qui callidissime hominibus imponunt, de sede debent deturbari.

h *Discessio terræ*] Plerumque legitur *dissensio civilis—permixtio terræ.* Per hoc intellige, cum reliquis elementis. Expresse profecto rem ipsam hæc comparatio signat: quemadmodum enim ex elementorum commixtione, non modo nulla pars ullius ab aliis discernitur, sed amplius inter se bellum intestinum gerunt; ita quando vaferrimi latrones, boni et publicæ libertatis specie, Rempublicam oppresserunt, cæcus Populus Assertores et legitimos suos Moderatores cum dignoscere nescit, plerumque eos per discordiam suis insidiatoribus mactandos tradit.

i *Spes*] Senatum equites aliquando auctoritate sua communicasse, vel ex epitome Flori cognoscitur.

j *Paucos*] Undecim aut duodecim, ad summum.

k *Ingredientem*] Populum defendere

alterum,[6] alterum Triumvirum[l] coloniis[m] deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverant.[r] Et sane Gracchis, cupidine victoriæ, haud satis moderatus[n] animus fuit. Sed[o] bono vinci satius[7] est, quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortales ferro, aut fuga extinxit;[s] plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiæ,[p] addidit. Quæ res plerumque magnas civitates pessum dedit: dum alteri alteros vincere quovis modo; et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnibus[8] civitatis moribus si singulatim, aut pro magnitudine parem[9] disserere, tempus, quam res,

[r] *Et nobilitas necaverat ferro primo Tiberium Gracchum, deinde post paucos annos eadem molientem Caium Gracchum, Tribunum plebis, unum ex Triumviris qui colonias deducere debebant, cum M. Fulvio Flacco.*

[s] *Cum igitur nobilitas usa esset ea victoria secundum suam libidinem, perdidit multos homines ferro aut fuga.*

5 *Tribunum plebis* G. H.—6 *alterum* Mss. quidam delent.—7 *sanctius est* B.—8 *omnis* L.—9 *parum* A.—10 [*deseret* Edit. Haverc.] *desereret* H. *me desereret* B. D. N. *me deseret* C. E. F. G. I. K. L.

NOTÆ

conatus, fratris agrarias leges asseruit, &c.

[l] *Triumvirum*] Mos erat tres, quinque, septem, decem viros, &c. eligere, qui iis agros dividerent, qui in colonias deducebantur.

[m] *Coloniis*] Colonia multitudo erat civium Romanorum, qui in alias sedes deducebantur, quibusque agri publice assignabantur.

[n] *Moderatus*] Nota, quæso, Sallustii judicium: optime de re maxima, quin de re, quæ quotidie millies in usu venit, sententiam dixit. Ea est enim cordis nostri fallacia, aut imbecillitas, ut etiam dum virtutem sectamur, nimio studio in vitium incurramus. Voluntas, quæ a primo ad bonum, boni specie ferebatur, ad malum sine sensu inclinat, dum paulatim ea boni species, pro variis circumstantiis, caligantibus oculis surripitur; deinde, quia in motu est, movetur, non quia bonum prosequitur. Istud indicat Sallustius, cum, cupidine victoriæ, nimios Gracchos fuisse dicit. Hæc cupido, hic animi motus rationem, qua boni cives fuerant et dicebantur, ab eorum oculis avertit.

[o] *Sed*] Nunc de Senatu Sallustius judicium suum profert, cui, ut ille ait, melius fuisset Gracchorum bono et æquitate vinci, quam vincere injuriam. At vero generatim loquendo, non aperte sententiam suam dicere Auctor voluit, ne, si Patres nominatim reprehendisset, audaciter fecisse videretur.

[p] *Potentiæ*] Totum hunc locum excute, quæso. Auctor enim, quanquam malus fuit, reconditissimos tamen Politicorum aditus penetravit.

maturius deserat.[10] [t] Quamobrem ad inceptum redeo.

43. Post Auli fœdus exercitusque nostri fœdam fugam, Q. Metellus[q] et M. Silanus[1] [r] Consules designati [provincias] inter se paraverunt; Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et quanquam adverso populi partium,[2] fama tamen æquabili[s] et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus[t] est, alia[u] omnia sibi[3] cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites scribere,[4] præsidia undique arcessere: arma, tela, equos, cetera instrumenta militiæ parare: ad hoc[5] commeatum affatim: denique omnia, quæ bello vario[v] et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda Senati auctoritate socii nomenque Latinum, reges ultro auxilia mittere:[6] postremo omnis civitas summo studio annitebatur.[7] [u] Itaque, ex sententia[8] omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur,[v] magna spe ci-

[t] *Si cupiam disserere particulatim, aut secundum rei magnitudinem, de studiis partium, et omnibus* pravis *moribus civitatis, tempus me citius quam res deficiet.*

[u] *Ceterum ad ea perficienda, Senatus annitebatur auctoritate, Socii, nomenque Latinum, et reges, mittendo sua sponte auxilia: postremo omnis civitas summo studio* ea promovebat.

[v] *Itaque omnibus rebus ad arbitrium paratis et compositis in Numidiam proficiscitur.*

1 [*Met.* et *Sil.* Edit. Haverc.] Q. *Metellus et M. Silanus* G. M.—2 [*partibus* Edit. Haverc.] *partium* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—3 *communia alia esse sibi omnia c. c. r.* D. *alia omnia fore s. c. c. c. r.* E. *alia omnia communia* H.—4 *eligere, scribere* F. G. H. K. L. *scribere eligere* M. N.—5 *ad hæc* A. F. H. *adhuc* M.—6 [*mittendo* Edit. Haverc.] *mittebant* H. *mittere* K. M. N.—7 *nitebatur* F. H.—8 *ex voto et sententia* B.—9 [delet *et* Edit. Haverc.] *et*

NOTÆ

[q] *Metellus*] Vir fuit virtutis eximiæ, quique unus exilium maluit, quam in Saturnini, Gracchanas leges asserentis, verba, cum Senatu jurare. Dictus est Numidicus, a rebus bene in Numidia gestis.

[r] *Silanus*] Non hic est de quo in Catilina.

[s] *Æquabili*] Id est, *quæ apud omnes eadem erat.*

[t] *Ingressus*] Non enim statim a nominatione et designatione, sed post confirmationem in secundis comitiis, Magistratum inibant.

[u] *Alia*] Hic est sensus: dicit Metellum, cum collegam suum ad reliqua Consulatus munia secum pariter obligatum et intentum videret, ad id negotium, bellum scilicet, præcipue animum adjecisse, quod soli curandum erat.

[v] *Vario*] Id est, *Ubi varia opus est obire ministeria;* quæ varia et plurima instrumenta requirunt.

vium, cum propter bonas artes, tum maxime, quod adversum divitias animum invictum gerebat: et avaritia[9] magistratuum ante id tempus in Numidia nostræ opes contusæ,[10] hostiumque[11] auctæ erant.

44. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini pro Consule[1] iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, prædator ex sociis, et ipse præda hostium, sine imperio[w] et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus solicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut spei bonæ accedebat. Statuit tamen Metellus, quanquam et æstivorum tempus comitiorum mora[x] imminuerat,[w] et expectatione eventi[2] civium animos intentos putabat; non prius bellum attingere, quam, majorum disciplina, milites laborare[3] coëgisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat[4] non egredi provincia, quantum temporis æstivorum in[5] imperio[y] fuit, plerumque milites[6] stativis[7] [z] castris habebat: nisi cum odor,[a] aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque[8] more militari vigiliæ deducebantur:[9] uti cuique lubebat, ab signis aberat.[10] Lixæ[b] permixti cum

[w] *Quamvis comitiorum retardatio tempus diminuerat, quo milites in castris æstivis agunt.*

avaritia A. B. C. D. H. I. K. L.—10 *concussæ* C. *obtusæ* G. *confusæ* M.—11 *res auctæ erant* D.

1 *a Spurio Albino Proconsule* A.B.C.D.E.F.G.H.I.K.L.M.N. [*Proconsulis* Haverc.]—2 *eventus* A. B.C.D.E.F.G.H.I.K.L. *sui eventus* M.—3 *labore* L. N.—4 *decrevit* F.—5 *in* Mss. quidam delent.—6 *plerosque* A.—7 *in statutis c. h.* A. B. C. D. E. F. G. H. M. *statutis c. h.* E. I. N. *statutis in c. h.* K.—8 *Sed neque muniebantur ea neque* G.—9 *ducebantur* L. M.—10 *aberant* N.—11 *talibus*

NOTÆ

[w] *Sine imperio*] Id est, *qui ductus fuerat ab Imperatoribus, qui auctoritatem suam tueri nesciverant, aut noluerant; quique militibus omnia condonaverant.*

[x] *Mora*] Per Tribunorum contentionem, sicuti antea vidimus.

[y] *In imperio*] Albinus, donec Metellus advenisset, exercitui præfuit.

[z] *Stativis*] Id est, *in quibus diu manebant*, cum militiæ more, sæpius mutanda fuerint.

[a] *Odor*] Ex hominum et jumentorum sordibus.

[b] *Lixæ*] Ita vocantur servi qui exercitum sequuntur, et militibus vilissimam operam præstant, puta aquam portare, panem coquere, et id genus alia.

militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum prædas certantes agere:[x] eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus:[11] præterea, frumentum publice datum vendere,[12] panem[c] in dies mercari: postremo,[13] quæcumque dici aut fingi queunt ignaviæ luxuriæque probra,[14] in illo exercitu cuncta fuere, et alia[15] amplius.

45. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem virum fuisse comperior:[1] tanta temperantia inter ambitionem[d] sævitiamque moderatum.[2] Namque edicto primum[3] adjumenta ignaviæ [4]sustulisse,[y] 'ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet; ne lixæ exercitum sequerentur; ne miles[5] gregarius in castris,[6] neve in agmine[e] servum aut jumentum haberet;' ceteris[7] arte[f] modum statuisse. Præterea[8] transversis[g] itineribus quotidie castra movere, juxta, ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias[h] crebras ponere, et ipse[9] cum legatis circumire: item in agmine in primis modo, modo in postremis, sæpe in medio adesse, ne

[x] *Huc illuc divagantes agros vastabant, villas expugnabant, agebant certatim prædas ex pecore et mancipiis.*

[y] *Namque* comperior *Metellum sustulisse primo edicto adjumenta ignaviæ.*

rebus F.—12 *panes* K. M. Mss. omnes retinent *in dies*.—13 *præterea* A.—14 *propria* N.—15 *alia* delet F.

1 *comperio* F. G. H. I. K. L. M. N.—2 *temperatum* A.—3 *e. primo* A. B. C. D. E. F. G. H. M. *primo edicto* K.—4 *sustulisse fertur* E. *dicitur sustulisse* F. H. K. *sustulisse dicitur* M.—5 *milites gregarii* &c. *haberent* G.—6 *in castris esset* D.—7 *ceteris rebus* N.—8 *diversi* K.—9 [*et eas ipse* Edit. Haverc.] *eas*

NOTÆ

[c] *Panem*] Ipsi vero tenebantur panem suum coquere.

[d] *Ambitionem*] Hic per ambitionem, ratio et certus quidam agendi modus intelligitur, quo, ad consequendam gratiam, minus milites vexantur, nec nisi a volentibus ministeria requiruntur.

[e] *In agmine*] Id est, *dum iter facit exercitus*. Gall. *Durant la marche.*

[f] *Arte*] Ea opus est omnino, eaque maxima in ejusmodi occasionibus. Qua vero in re sita sit, vix ullus dixerit, ita sunt, aut certe videntur exigui momenti innumera quæ ad id concurrunt.

[g] *Transversis*] Id est, *non per vias stratas, sed per agros, sylvas, &c.* ut iis omnibus, si usus veniret, assueti essent.

[h] *Vigilias*] Gall. *Des sentinelles.* Sed tutius quam fit hodie, plures enim milites uno in loco collocabantur.

quispiam[10] ordine egrederetur, uti cum signis[i] frequentes incederent, miles[11] cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.[z]

46. Interea Jugurtha, ubi, quæ Metellus agebat, ex nunciis accepit; simul de innocentia ejus certior Romæ[1] factus, diffidere suis rebus,[2] ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum. Itaque legatos alium ab alio diversos aggreditur; ac paulatim tentando, postquam opportunos cognovit, multa pollicendo persuadet, 'uti Jugurtham maxime vivum, sin[3] id parum procedat, necatum sibi traderent:'[a] ceterum[4] palam, quæ ex voluntate forent, regi[5] nunciari jubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu, in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum,[b] pecora cultoresque in agris; ex oppidis et mapalibus[j] præfecti Regis obvii[6] procedebant,[7] parati, frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quæ imperarentur, facere.[8] Neque Metellus idcirco minus,[9] sed pariter, ac si hostes adessent, munito agmine incedere,[10] late explorare omnia, illa[11] deditionis

[z] *Brevi exercitum ad pristinam disciplinam revocavit.*

[a] *Persuadet ut præsertim traderent sibi Jugurtham vivum, si vero id minus prospere eveniret, necatum.*

[b] *Contra id quod belli tempore conspici solet, tuguria erant plena hominum.*

abest H. mox L. et quidam alii *circumire*.—10 [*quisquam* Edit. Haverc.] *quispiam* K. L.—11 *quisque miles* F.

1 *Romæ certior factus est* M.—2 *diffi. s. r. cœpit* M.—3 *si id* M.—4 *cetera* M.—5 *regi* delet A. *renunciari jubet* K.—6 *obviam* C. D. E. F. G. K. M.—7 *procedunt* G.—8 *facere* abest N.—9 *minus agebat* B. H.—10 *incedebat* L.—

NOTÆ

[i] *Cum signis*] Ne scilicet dispersis militibus hostis interveniret; vel ipsi prædæ, aut fugæ occasionem invenirent.

[j] *Mapalibus*] Hic vici aut pagi per mapalia sunt intelligendi.

signa ostentui[12] credere, et[13] insidiis locum tentare.[k] Itaque ipse cum[14] expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta[15] manu apud primos erat,[16] in postremo C. Marius[l] legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et præfectis cohortium dispertiverat, uti cum his permixti velites,[m] quacumque accederent,[c] equitatus hostium propulsarent. Nam in[17] Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiæ erat, uti, absens, an præsens, pacem, an[18] bellum gerens perniciosior esset,[19] in incerto haberetur.

47. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxime celebratum; ubi et incolere, et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc[1] Consul, simul tentandi[n] gratia, si paterent opportunitates loci, præsidium[o] imposuit;[d] præterea imperavit frumentum, et alia, quæ bello[2] usui forent: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum[p] [juvaturum exercitum] etiam[3] paratis rebus[4] munimento fore. Inter hæc negotia Jugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem

[c] *Ut Velites permixti cum equitibus propulsarent equitatus hostium quamcumque in partem accederent.*

[d] *Consul huc* ivit, *simul gratia tentandi, et* præsidium imponendi, *si opportunitates loci paterentur,* deinde re cognita *præsidium imposuit.*

11 delet *illa* K.—12 *ostentui esse* M.—13 *et* delet H.—14 *cum* delet A.—15 *cum d. m.* K.—16 *adesse* K.—17 *Jugurthæ* K. N.—18 *aut* B. C.—19 *in* abest B. H. L.

1 *Huic* N.—2 *in bello* E.—3 [*jam paratis* Edit. Haverc.] *jam* delet F. *etiam*

NOTÆ

[k] *Tentare*] Omnino legendum arbitror *tentari*, a Jugurtha scilicet, prout censuit Gronovius.

[l] *Marius*] Qui fuerit, tametsi aliunde nesciremus, satis superque ex Sallustio postmodum cognosceremus.

[m] *Velites*] Levis erant armaturæ milites, gladio, jaculatoria hasta, parmaque instructi.

[n] *Tentandi*] Id est, *Ut cognosceret quid eo in loco fieri posset, quidve Jugurtha conaretur, an re et verbis idem esset.*

[o] *Præsidium*] Necesse fuit, ut sensus aperiretur, quod elliptice a Sallustio dictum est, in Interpretatione supplere.

[p] *Commeatum*] Certe *commeatu*, sicuti Ursino, mihi quoque placeret.

orare;[5] præter suam liberorumque vitam,[6] omnia Metello dedere. Quos item, uti priores, Consul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri, et inter eas moras promissa[q] legatorum expectare.

48. Jugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus[r] tentari animadvertit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re[1] bellum asperrimum erat;[2] urbs maxima alienata, ager hostibus cognitus, animi[s] popularium tentati, coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriæ adductus ex opportunitate loci, quas maximas copias potest omnium generum[3] parat, ac per tramites[4] occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiæ, quam[5] Adherbal in divisione[6] possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo[7] aberat mons ferme millia passuum XX. tractu pari,[t] vastus[u] ab[8] natura et humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens, vestitus oleastro ac mirtetis, aliisque generibus arborum, quæ humi arido[v] atque arenoso[9] gignuntur. Media[w] autem planities deserta, præter flumini propinqua loca:[10] ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

H. N.—4 *rebus illius* E. *rebus illis* N.—5 *rogare* H.—6 *præter suam suorumque vitam* M.

1 *in re* H. M.—2 *gerebatur* C. G.—3 *gentium* B. F.—4 *limites* F.—5 *qua* N. —6 *i. d. regni* C.—7 [delet *a* Edit. Haverc.] *a quo* H. I. K. L. M.—8 *et natura* N.—9 *humo arida atque arenosa* A. B. C. D. E. F. H. M. N. *humi in arido atque arenoso loco* G. *humi in arido atque arenoso* G. I. cum edit. faciunt K. L.—10 *et ea* N.

NOTÆ

[q] *Promissa*] Itaque polliciti erant legati, se Jugurtham prodituros.

[r] *Artibus*] Dolis scilicet, quibus Aulum, aliosque in laqueos induxerat.

[s] *Animi*] Scilicet, non modo legatos, sed quosvis Metellus a Jugurtha alienare quæsivit.

[t] *Tractu pari*] Id est, *tantum habens longitudinis, quantum a fluvio distabat.*

[u] *Vastus*] Ubi nec arbores erant, nec frutices.

[v] *Arido*] Id est, *ariditate*, nam *humi*, quod postea in adverbium abiit, hic more antiquo pro Genitivo positum est.

[w] *Media*] Hoc est, *Spatium quod collem inter et flumen porrigebatur.*

49. Igitur in eo colle, quem, transverso[x] itinere, porrectum docuimus, Jugurtha, extenuata[y] suorum acie,[1] consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem præfecit, eumque edocet, quæ[2] ageret; ipse propior montem[z] cum omni equitatu pedites dilectos collocat: dein singulas turmas atque manipulos circumiens monet atque obtestatur,[3] 'uti[a] memores pristinæ virtutis et victoriæ seque regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant: cum his certamen fore, quos antea victos sub jugum miserint:[4] ducem illis, non animum mutatum: quæ ab imperatore[5] decuerint, omnia suis[6] provisa;[e] locum superiorem,[7] uti[8] prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum consererent. Proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere: illum diem aut omnes labores et victorias confirmaturum,[9] aut maximarum ærumnarum initium fore.' Ad hoc viritim, uti quemque, ob militare facinus, pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui, et eum ipsum aliis[10] ostentare: postremo, pro cujusque ingenio, pollicendo,[11] minitando, obtestando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus, ignarus hostium, monte

[e] *Jugurtha* monet milites *se providisse suis ea omnia quæ decuerint provideri ab imperatore.*

1 *acie extenuata suorum* K. *ext. acie suorum* M.—2 *quid agerent* A. *quid ageret* E.—3 *hortatur* H.—4 *miserant* C. G. *miserat* K. M.—5 *ab i. bono* N.—6 *suis* delet N.—7 *superiorem habere* N.—8 *uti* delet K.—9 *confirmaturum esse* B. C.—10 *aliis* delet A.—11 *pollicitando* C.—12 *digrediens* omnes Mss.

NOTÆ

[x] *Transverso*] Intellige, iter colli subjectum fuisse, ita ut Jugurtha ejusque exercitus transeuntibus immineret.

[y] *Extenuata*] Intellige agmen in longitudinem porrectum, *Les escadrons, ni les bataillons n'avoient pas de profondeur.* Ita vero aciem instructam oportuit, ut, in angustiis, hostium in longum productos ordines, pluribus ex locis invaderet.

[z] *Montem*] Qua scilicet Metello transitus erat: atque hinc vides eo in loco insidias struxisse Jugurtham, ubi mons in collem desinebat.

[a] *Uti*] Ne ita accipias, quasi omnia quæ sequuntur effecta sint ejus quod dixit, locum superiorem suis provisum. Quæcumque enumerat commoda, seorsim sumenda sunt, ita ut, quod a Jugurtha prospectum fuerit, uti prudentes *locorum* cum imperitis certarent secundum sit. Ut sensus apertior esset, interpunctionem mutavi.

degrediens[12] cum exercitu conspicitur.[13] [b] Primo dubius, quidnam[14] insolita facies ostenderet, (nam inter virgulta equi Numidæque consederant, neque plane[15] occultati humilitate arborum, et tamen incerti,[16] [c] quidnam esset: cum natura loci, tum dolo[d] ipsi atque signa militaria obscurati,[e]) dein, brevi[17] cognitis insidiis, paulisper agmen [18]constitit.[f] Ibi commutatis[f] ordinibus, in dextero latere, quod proximum hostes[19] erat, triplicibus subsidiis[g] aciem instruxit: inter manipulos funditores et sagittarios dispertit: equitatum in cornibus[h] locat: ac pauca pro tempore milites hortatus,[20] aciem, sicuti instruxerat, transversis[i] principiis, in planum deducit.

50. Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi[1] animadvertit, veritus ex anni tempore et inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium[2] legatum cum expeditis

[f] *Deinde, intra breve tempus cognitis insidiis, paulisper exercitus iter suppressit.*

præter L.—13 [*conspicatur* Edit. Haverc.] *conspicitur* A. B. C. E. G. H. I. K. L. *exercitum conspicit* D. *ab illis conspicitur* F.—14 *quidnam consilii* M. —15 *plene* A. *plane occulti* K.—16 *incertus* C. K.—17 *brevi tempore* D. *brevi spatio* F. *brevi* delet G.—18 [*constituit* Edit. Haverc.] *instituit* C. E. F. L.—19 *hostibus* B. D. E. F. K. M.—20 [*cohortatus* Edit. Haverc.] *hortatus* A. B. C. D. E. F. G. L. M.

1 *digredi* omnes Mss. præter L.—2 *P. Rutilium* C. G.—3 *Denique* N.—

NOTÆ

[b] *Conspicitur*] Sæpius *conspicatur*; passive, quod rarum est. Ita Varro apud Priscianum, *Paupertas hæc non ita nutricata, ut nunc conspicatur.*

[c] *Incerti*] Intellige, delitescentium Numidarum eam fuisse speciem, ut nesciretur hominesne essent, an trunci, aut aliquid simile.

[d] *Dolo*] Ea causa pone arbores latitabant, ut incautus et imparatus Metelli exercitus illac transiret.

[e] *Obscurati*] Græca constructio, pro *Obscuratis signis militaribus*, aut *obscurata signa habentes*. Sic sæpissime loquitur Horatius.

[f] *Commutatis*] Gall. *Ayant changé l'ordonnance de l'aile droite.*

[g] *Subsidiis*] Milites erant qui pone alios subsidentes, illis periclitantibus opem ferrent. Gall. *Des corps de reserve.*

[h] *Cornibus*] *Sur les ailes de l'Infanterie.*

[i] *Transversis*] Diffidens per hæc transversa incedo; interim ita me expedio: Metellus collem cum sequi nollet, ne Jugurthæ illic insidianti opportunus fieret, aciem in clypeum, seu ad sinistram, ut loquimur nos, declinare jussit; adeoque in obliquum iter inflexit. *Il fit marcher son avant-garde de travers, s'étant détourné sur la gauche.*

cohortibus et parte equitum præmisit ad flumen, uti locum castris antecaperet: existimans, hostis crebro impetu et transversis præliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem[j] et sitim militum tentaturos. Dein[3] ipse pro re atque loco, sicuti[k] monte descenderat, paulatim procedere: Marium post principia[l] habere: ipse cum sinistræ alæ equitibus esse, qui in agmine principes[m] facti erant. At Jugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos[n] suos prætergressum[4] videt, præsidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat: ne forte cedentibus[5] adversariis receptui, ac post munimento foret. Dein, repente signo dato, hostis invadit.[6] Numidæ alii postremos cædere; pars a sinistra ac dextera[7] tentare;[o] infensi[8] adesse atque instare: omnibus locis Romanorum ordines conturbare; quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto[p] prælio, ipsi modo eminus sauciabantur;[g] neque contra feriendi, aut manum conserendi copia erat. Antea jam docti ab Jugurtha equites, ubicumque[9] Romanorum turba insequi cœperat, non confertim, neque[10] in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxime diversi. Ita numero priores, si ab persequendo hostes deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus[11] circumveniebant:[h] sin opportunior fugæ collis,

[g] *Ipsi tantum eminus sauciabantur, et vulnerabantur.*

[h] *Ita, cum essent plures numero, si nequiverant deterrere hostes a persequendo, circumveniebant eos disjectos a tergo aut lateribus.*

4 *transgressos* C. *pretergressos* G. I.—5 *cessantibus* A.—6 *invadunt* D. M.—7 *pars d. atque s. tentare* N.—8 *infesti* A.—9 *ubi* B. G. N.—10 *neque* delet F.

NOTÆ

[j] *Lassitudinem*] Id est, *milites per lassitudinem et sitim.*

[k] *Sicuti*] Refertur ad *Paulatim.*

[l] *Principia*] *Dans l'Arrière-garde.* In ultimo agmine.

[m] *Principes*] Id est, *primi,* hoc in loco.

[n] *Primos*] Non remotissimos intelligo, sed proximos, hoc est, eos qui primi transeuntibus occurrebant.

[o] *Tentare*] Illi eminus missilibus lacessebant.

[p] *Incerto*] Quia Numidæ non stabant, sed accedebant et recedebant. *Ils ne se battoient pas de pied ferme.*

quam campi fuerant;[12] ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere: nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

51. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, fœda atque miserabilis: dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa, neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes, cives[1] permixti; nihil consilio, neque[2] imperio agi: fors[3] omnia regere. Itaque multum die processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et æstu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paulatim milites in unum conducit,[4] ordines[5] restituit, et cohortes legionarias[q] IV. adversum pedites hostium collocat. Eorum[r] magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare,[6] hortari milites, 'ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes vincere:[i] neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita.' Sed ne Jugurtha quidem interea quietus; circumire, hortari, renovare prælium, et ipse cum dilectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.[s]

52. Eo modo inter se duo imperatores summi[t] viri, certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus.[1] Nam Metello virtus militum erat, locus adversus: Jugurthæ alia omnia, præter milites, opportuna. Denique Romani, ubi

[i] *Simul* Metellus *orare, hortari milites, ne deficerent, neve paterentur hostes, qui fugiebant, vincere.*

H. N.—11 *aut a lateribus* N.—12 *campus fuerat* C. *campi fuerat* N.
1 *atque cives* A. B. D. H. I. K. L. M. N.—2 *atque* D. G. H.—3 *sors* A. B. C. D. E. F. M. *sed fors* H. *et fors* K.—4 *conduxit* M.—5 *ordines constituit.*—6 *et hortari* N.

NOTÆ

[q] *Legionarias*] Ut distinguantur ab auxiliariis.

[r] *Eorum*] Numidarum.

[s] *Retinere*] Ne scilicet dubiis et cedentibus opem ferrent.

[t] *Summi*] Omnino summi, et a quibus plurima quisque discere queat.

intelligunt, neque sibi perfugium[2] esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; et jam[3] die[4] vesper erat;[5] adverso colle, sicuti præceptum fuerat, evadunt.[k] Amisso loco,[u] Numidæ fusi fugatique,[6] pauci interiere; plerosque velocitas[7] et regio hostibus[v] ignara tutata[8] sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium præfectum ab Jugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius[9] prætergressus est, paulatim suos in æquum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat:[l] neque[10] remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse jam,[11] et animo vacuum accepit, simulque ex Jugurthæ prælio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte statuerat,[12] quo hostium itineri[w] officeret, latius porrigit;[m] eoque modo ad Rutilii castra procedit.

53. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvertunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: post ubi æquabilem manere, et, sicuti acies movebatur, magis magisque appropinquare vident, [1]cognita re,[x] properantes[2] arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt.[3]

[k] *Romani in adversum collem sicuti præceptum erat, evadunt.*
[l] *Et, dum Rutilius legatus properat ad flumen, quo præmissus erat, Bomilcar per otium aciem instruit, uti res postulabat.*
[m] *Porrigit latius aciem, quam instruxerat densis ordinibus, diffidens virtuti militum.*

1 *dispares* E.—2 *profugium* A. B. N. *neque ullum sibi profugium esse* M.—3 *jam* abest E.—4 *diei* Mss. omnes.—5 *aderat* B. K.—6 *fugatique sunt* A. M. *fusi sunt* G.—7 *et nox* et *r.* C.—8 *tuta s.* D. F. H.—9 *Rut. legatus* M.—10 *n. interim remittit* C. D. G. M. *n. r. interim* N.—11 *jam* abest K.—12 *constituerat.* A. E.
1 *milites c. r.* K.—2 *pro parte a. c.* F.—3 *considunt* H.—4 [*concurritur* Edit.

NOTÆ

[u] *Loco*] Colle, scilicet.
[v] *Hostibus*] Romanis.
[w] *Itineri*] Si nimirum Metello auxilium afferre voluissent.
[x] *Re*] Exercitum, scilicet, advenare.

Deinde, ubi propius ventum, utrimque magno clamore concurrunt.[4] Numidæ tantummodo remorati,[5] [y] dum in elephantis auxilium putant; postquam impeditos ramis arborum, atque ita[6] disjectos circumveniri vident, fugam faciunt:[7] ac plerique, abjectis armis, collis, aut noctis, quæ jam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta,[8] [z] interfecti.[9] At Romani, quanquam itinere atque opere[a] castrorum et prælio fessi lætique[10] erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique[b] obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se[c] erant, strepitu,[11] velut hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul, et tumultum facere: et pæne imprudentia admissum[d] facinus[12] miserabile,[13] ni utrimque præmissi equites rem exploravissent. Igitur, pro metu, repente[14] gaudium exortum,[15] milites alius alium læti[16] appellant, acta edocent atque audiunt: sua quisque fortia[17] facta ad cœlum ferre.[18] Quippe res humanæ ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; adversæ res etiam bonos detractant.[n] [19]

54. Metellus in iisdem castris quatriduo[1] moratus, saucios cum cura reficit,[2] meritos in præliis more militiæ

[n] *Res adversæ etiam bonorum existimationem violant.*

Haverc.] *concurrunt* M.—5 *r. sunt* G. M.—6 *ita* abest K.—7 *statuunt* F.—8 *XXX.* A. C. E. H. M. N.—9 *i. sunt* D. G. H. M.—10 abest F. *prælioque lassi erant* G. *pr. fessi lassique erant* I. *læsique erant* Ed. Carr.—11 *strepitu* delet A.—12 *a. foret f. m.* G. *a. f. m. foret* H. M. *foret a. f. m.* K.—13 *miserabile esset* A. *esset miserabile* B.—14 *ingens g. exort. est* B.—15 *exortum est* C. F. G. *est exortum* K. M.—16 abest *læti* N.—17 abest *fortia* C.—18 [*ad cœlum fert* Edit. Haverc.] *ferunt ad cœlum* K.—19 *decretant* C. I. *detractant* D. E. H. K. L. M. N. *detrahunt* F.

NOTÆ

[y] *Remorati*] *Ils ne firent ferme que, &c.*

[z] *Quadraginta*] In quibusdam, triginta tantum numerantur.

[a] *Opere*] Scilicet castra munierant.

[b] *Intentique*] Hinc videas quales fuerint Romani.

[c] *Inter se*] De Romanis loquitur, quorum alii cum Metello, alii cum Rutilio erant.

[d] *Admissum*] Ut, scilicet, Romani invicem pugnarent.

donat,[e] universos in concione laudat atque agit gratias; hortatur, 'ad cetera, quæ levia[3] sunt, parem animum gerant: pro victoria satis jam pugnatum, reliquos labores pro præda fore.'[4] Tamen interim transfugas[f] et alios opportunos, Jugurtha ubi[5] gentium, aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret, exploratum misit.[o] At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem[g] infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat,[6] quod præter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur;[7] quo cujusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiæ ducitur: ita[h] se mores habent. Igitur Metellus ubi videt regis etiam tum[i] animum ferocem; bellum renovari, quod, nisi ex illius libidine,[8] geri[j] posset; præterea iniquum[9] [k] certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci, quam suos vincere: statuit non præliis, neque acie, sed alio more bellum gerendum. Itaque in Numidiæ loca opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida temere munita,

[o] *Tamen interim Metellus misit transfugas et alios opportunos exploratum, ubi gentium Jugurtha ageret, aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, quomodo se gereret postquam victus esset.*

1 *triduo* L.—2 *curare facit* A. N.—3 *q. leviora s.* B. K.—4 *in præda f.* C. *prædæ fore* A. E. H.—5 *ubivis g. esset* B. K. *ubi locorum gentium* I. *ub. g. e. aut q. ageret* M.—6 *veniebat.*—7 *sequebatur* A. B. F. H. K.—8 *regi* M.—9 [*inimicum* Edit. Haverc.] *non iniquum* C. *iniquum* D. G. M.—10 *puberesque* K.—

NOTÆ

[e] *Donat*] Coronis, Armillis, Hastis, et id genus aliis.

[f] *Transfugas*] Valde illi sunt opportuni, quia maxime fideles esse coguntur: interim videndum ne iis dolis capiamur, quos in hostes parare videntur.

[g] *Hebetem*] Hebes dicitur cujus obtusa est acies. Hic itaque exercitus intelligitur ad belli munia ineptus. *Des gens mal-aguerris.*

[h] *Ita*] Iis respondet qui pravam consuetudinem mirabuntur. Ejus nimirum vis est tanta, ut pro altera lege sumatur.

[i] *Tum*] Postquam profligatus fuisset.

[j] *Geri*] Ille enim sylvis et desertis locis pelli non poterat.

[k] *Iniquum*] Multis de causis tale erat: nam Jugurthæ loca perspecta; nisi opportuna essent, non pugnabat; victus, aciem instaurare poterat, &c. Hæc omnia Metello adversa erant.

aut sine præsidio capit incenditque, puberes[10] interficit,[11] alia omnia militum præda esse.[12] Ea formidine multi mortales Romanis dediti[13] obsides,[l] frumentum et alia, quæ usui forent, affatim præbita;[14] ubicumque res postulabat, præsidium[15] impositum. Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum [ab suis] regem terrebant: quippe cui[16] spes omnis in fuga sita,[17] sequi[18] cogebatur; et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis[m] bellum gerere.[p] Tamen[19] ex copia, quod optimum videbatur, consilium capit;[q] exercitum plerumque in iisdem locis[20] opperiri jubet; ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis[21] itineribus ignoratus Romanos palantes repente aggreditur. Eorum[22n] plerique inermes cadunt, multi capiuntur; nemo omnium intactus profugit: et Numidæ, priusquam ex castris subveniretur, sicuti jussi erant, in proximos colles discedunt.

55. Interim Romæ gaudium ingens ortum,[1] cognitis Metelli rebus; ut seque et exercitum more majorum gereret;[2] in adverso loco, victor tamen virtute fuisset; hostium agro potiretur; Jugurtham magnificum ex Auli[3] secordia,[4] spem salutis in solitudine aut fuga coëgisset habere.[r] Itaque Senatus OB EA FELICITER ACTA DIS IMMORTALIBUS SUP-

[p] *Quippe Jugurtha, cujus spes omnis in fuga sita erat, cogebatur sequi* hostem, *et, qui sua loca defendere nequiverat, cogebatur gerere bellum in alienis.*

[q] *Tamen, in afflictis rebus, capit optimum consilium, quod videbatur.*

[r] Cognito etiam *quomodo coëgisset Jugurtham, gloriabundum ex Auli secordia, habere spem salutis in desertis et fuga.*

11 [*interfici jubet* Edit. Haverc.] *interficit, jubet a. o.* B. C. D. E. F. G. H. I. K. L.—12 *fore* L.—13 *dediti sunt obs.* E.—14 *pr. sunt* C. H. M.—15 *est interpositum* A. *inp. est* K.—16 [*cujus spes* Edit. Havercamp.] *cui spes* E. I. M. *cuique spes* H.—17 *sita* delet F.—18 *sequi hostem* A.—19 *Tamen sibi ex inopia* M.—20 *locis saltuosis* D.—21 *variis* A.—22 *Eorumque plerique* G. H.

1 *ortum est* A. G. H. N. *est ortum* D. F.—2 *regeret* M.—3 *Albini* C. E.

NOTÆ

[l] *Obsides*] Ut, scilicet, de eorum fide certi essent.

[m] *In alienis*] Iis, scilicet, quæ Metellus expugnaverat. Cogebatur autem Jugurtha Metellum sequi, ne ille postquam omnes urbes sub potestatem coëgisset, ipse regno spoliatus inveniretur.

[n] *Eorum*] Romanorum, huc illuc prædæ et commeatuum causa divagantium.

PLICIA DECERNERE;[5] civitas trepida antea et solicita de belli eventu, læta[6] agere;[s] fama de Metello præclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere[o] tamen, necubi hosti opportunus fieret;[t] meminisse,[p] post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior erat,[7] eo magis animi anxius; neque post insidias Jugurthæ effuso exercitu prædari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant;[8] exercitus partim ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam præda, ager vastabatur. Duobus locis, haud longe[9] inter se, castra faciebant. Ubi vi[10] opus erat, cuncti aderant;[11] ceterum, quo fuga[q] atque formido latius crescerent, diversi[12] agebant. Eo tempore Jugurtha per colles sequi; tempus, aut locum[r] pugnæ quærere; qua[13] venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontes, quorum penuria erat, corrumpere;[s] modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos[14] in agmine tentare, ac statim in colles regredi;[15] rursus aliis, post aliis minitari; neque prælium facere, neque otium pati; tantummodo hostem ab incepto retinere.[t]

56. Romanus imperator ubi se dolis fatigari[1] videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam, et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam,[u] statuit

[s] *Civitas Romana, antea trepida et solicita de belli eventu, in lætitia degebat.*
[t] *Cavebat tamen ne alicubi occasionem præberet hosti opportune suos invadendi.*

—4 [*socordia* Edit. Haverc.] *secordia* M.—5 *decrevere* M. N.—6 *lætitiam* G. N.—7 Sic I. L. M. N. [*erat* delet Edit. Haverc.]—8 *agebant* M.—9 *haud longe distantibus i. s.* G.—10 *vi* delet A. *vis* C.—11 *erant* F.—12 *diversi castra agebant* H.—13 *quo* M.—14 *postremo* G.—15 *ingredi* C.

NOTÆ

[o] *Cavere*] Securitas enim mater est doloris.

[p] *Meminisse*] Utinam Viris magnis hæc eadem quæ Metello semper observarentur; multos enim sua virtus perdidit, in invidiæ foveas incidentes, illam dum sequuntur.

[q] *Fuga*] Maximi est momenti in bello, late incolas terrere et fugare.

[r] *Locum*] Opportunum, intellige.

[s] *Corrumpere*] Veneno, scilicet.

[t] *Retinere*] Ut tempus lucrifaceret, moraque Metelli exercitum conficeret.

[u] *Zamam*] A Carthagine quinque dierum itinere, versus occidentem,

oppugnare: ratus id,[1] quod negotium poscebat, Jugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique prælium fore.[2] At ille, quæ parabantur, a perfugis edoctus, magnis[v] itineribus Metellum antevenit; oppidanos hortatur, mœnia[3] defendant, additis auxilio perfugis; quod genus ex copiis regis, quia fallere[4] nequibant,[w] firmissimum. Præterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu affore.[5] Ita[6] compositis rebus, in loca quam maxime occulta discedit, ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere[x] frumentatum cum paucis cohortibus [7]Siccam[y] missum; quod oppidum primum omnium[8] post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis equitibus noctu pergit, et jam egredientibus Romanis in porta[z] pugnam facit: simul magna voce Siccenses hortatur, 'uti cohortes ab tergo circumveniant: fortunam præclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno,[9] illos in libertate sine metu ætatem acturos.' Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset,[a] profecto cuncti, aut magna pars Siccensium fidem mutavissent.[u] Tanta mobilitate sese Numidæ agunt.[10] Sed milites Jugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi[11] discedunt.

[u] *Et nisi Marius properavisset inferre signa* in hostem, *atque evadere oppido profecto cuncti, aut magna pars Siccensium fidem mutavissent.*

1 *fatigatum* alii. *fatigari* G.—2 *esse* F.—3 *uti mœnia* C. *mœnia ut* F. *mœnia uti* M. *ut mœnia* G. H. N.—4 *nullus nequibat* M.—5 *venturum cum exercitu* K. —6 *Itaque* M.—7 *Siccam castrum* D.—8 *omnium* delet K.—9 *in regnum venturum* K. *esse in r.* N.—10 *gerunt* A. C. D. G. H. I. M.—11 Abest *profugi* C.

NOTÆ

dissitam eam fuisse volunt.

[v] *Magnis*] Gall. dicimus, *A grandes journées.*

[w] *Nequibant*] Non equidem, si vere transfugæ fuerint; quia ab iis certo puniuntur quos deseruerunt, si in manus venerint: interim caute cum his versandum.

[x] *Ex itinere*] Gall. diceremus, *Qu'on avoit détaché Marius pendant la marche.*

[y] *Siccam*] Vocatur et Sicca Veneria, aut Venerea, item Veneria simpliciter. Propior est Carthaginem quam Zama.

[z] *In porta*] Siccæ urbis scilicet.

[a] *Properavisset*] Nimirum Marius injuriæ opportunus fuisset, si in urbe remansisset, ubi vel mulieres de fenestris prælium facere potuissent. Verum, cum oppidani rebellandi occasionem non haberent, in fide persti- terunt.

57. Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum in campo situm,[1] magis opere,[b] quam natura munitum erat; nullius idoneæ rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta mœnia exercitu circumvenit. Legatis imperat, ubi quisque curaret;[2] deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur.[3] Neque ea res Numidas terret; infensi[4] intentique sine tumultu[5] manent: prælium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars [6]eminus glande,[c] aut lapidibus pugnare; [evadere[d] alii,[7]] alii succedere, ac murum modo[8] suffodere,[e] modo scalis aggredi: cupere prælium in manibus[9] facere.[v] Contra ea oppidani in proximos saxa volvere; sudes, pila, præterea picem sulphure[10] et tæda mixtam ardentia mittere.[w] Sed nec illos, qui procul manserant, timor animi satis muniverat. Nam plerosque jacula tormentis,[f] aut manu emissa vulnerabant: parique periculo, sed fama[g] impari, boni atque ignavi erant.

58. Dum apud Zamam sic certatur, Jugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit: remissis, qui in præsidio erant, et omnia magis, quam bellum expectantibus, portam[h] irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi,[1] sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma

[v] *Cupiebant cominus pugnare, et manus conserere.*
[w] *Mittebant præterea tædas pice et sulphure obductas.*

1 *positum* B.—2 *curet* M.—3 *exoritur* A.—4 *infesti* M.—5 *metu* C. N.—6 *eminus* deleto *pars* N.—7 Inter Mss. quidam hoc delent, ut et K. et L.—8 *fodere* F. G.—9 *in m. facere bellum* F.—10 [*pice et sulphure tædam mistam ardentia mittere* Edit. Haverc.] *picem ardentem sulphure et tæda mixtam ardenti mittere* D. *picem s. et t. m. ardenti mittere* E. F. H. I. K. *picem s. et tædam mixtam omnia ardentia m.* G. *picem s. et t. m. ardentia mittere* L.

NOTÆ

[b] *Opere*] Gall. diceremus, *Elle étoit plus forte par les travaux qu'on y avoit faits, que par son assiette.*

[c] *Glande*] Plumbum erat in glandis modum effictum, quod fundis jaciebatur.

[d] *Evadere*] Scilicet, qui labore fessi, aut ab hostibus vulnerati sunt, secedunt; alii in eorum locum succedunt.

[e] *Suffodere*] Ut eum dejicerent, et diruerent.

[f] *Tormentis*] Machinæ erant, quibus, magna vi, lapides, et id genus, in hostem ruebant.

[g] *Fama*] Videlicet, non ii laudantur, qui in latibulis, vel fugientes inhonesta vulnera accipiunt.

[h] *Portam*] Castrorum, scilicet, alteram; nam quatuor erant.

capere;[2] magna pars vulnerati, aut occisi.[3] Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis[i] Romani, grege facto, locum cepere, paulo, quam alii, editiorem; neque inde maxima vi depelli quiverunt: sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus[j] minus frustrati; sin Numidæ propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxima vi cædere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrime rem gereret,[4] clamorem hostilem[5] ab tergo accepit: dein, converso equo, animadvertit, fugam ad se versum[6] fieri: quæ res indicabat populares esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit,[7] ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque lacrymans 'per amicitiam perque rempublicam' obsecrat, 'ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostes inultos abire sinat:' ille brevi[8] mandata efficit. At Jugurtha munimento[k] castrorum impeditus, cum alii super vallum præcipitarentur, alii in[9] angustiis[l] ipsi sibi properantes[m] officerent, multis amissis, in loca munita sese recepit.[10] Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revertitur.

59. Igitur postero die, prius, quam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem[1] in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare jubet;[x] portas et proxima loca tribunis dispertit; deinde ipse pergit ad oppidum, atque, ut superiore die, murum aggreditur. Interim Jugurtha ex

[x] *Jubet omnem equitatum manere ante castra, in ea parte, qua rex adventare poterat.*

1 *percussi* A.—2 *cepere* A.—3 *occisi sunt* D. G. H. M. N.—4 *ageret* F.—5 *hostium* G.—6 *advorsum se* M.—7 [*misit* Edit. Haverc.] *mittit* G. *permittit* K.—8 *brevi tempore* M.—9 *in angustis locis* N.—10 [*recipit* Edit. Haverc.] *recepit* A. B. C. D. E. F. G. I. L. M.

NOTÆ

[i] *Nominis*] Id est, *Gloriæ nominis Romani.*

[j] *In pluribus*] Id est, *Cum pauci Romani in plures Numidas tela mitterent, singulis jactibus aliquem attingebant.*

[k] *Munimento*] Vallo, fossa, &c.

[l] *Angustiis*] Portarum, scilicet.

[m] *Properantes*] Ita evenit: dum multi in locis angustis sese invicem pulsant et premunt, vix unus et alter egreditur.

occulto repente nostros invadit. Qui in proximo locati fuerant, paulisper territi[1] perturbantur; reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidæ resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti, non, ut equestri prælio solet,[3] sequi, dein cedere; sed adversis[n] equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis, hostes pæne[o] victos dare.

60. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur.[1] Ubi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrime niti; neque alius in alio magis, quam in sese spem habere: pariter oppidani agere: oppugnare, aut[2] parare omnibus locis; avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere; clamor permixtus hortatione,[3] lætitia, gemitu: item strepitus armorum ad cœlum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui mœnia defensabant,[4] ubi hostes paululum[5] modo pugnam remiserant, intenti prælium equestre prospectabant. Eos, uti quæque Jugurthæ res erat, lætos modo, modo pavidos animadverteres: ac, sicuti audiri a suis, aut cerni possent, monere alii,[6] alii hortari, aut manu significare, aut[7] niti[p] corporibus, et[8] huc, illuc, quasi vitabundi, aut jacientes tela, agitare.[y] Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere,[9] ac diffidentiam rei simulare: pati Numidas sine tumultu regis prælium visere. Ita illis

[y] *In hanc et illam partem movebant corpus, quasi vitare, aut jacere tela debuissent.*

1 *omnes* K.—2 *perterriti* H. 3 *solet fieri* A. D. N.

1 *certatur* C.—2 *atque parare* F.—3 *exsultatione* M. *exhortatione* N.—4 *defendebant* A. E.—5 *paulum* C. L. M. *paulo* G.—6 *monere hortari* A.—7 *aut* delet M.—8 [*et* delet Edit. Havercamp.] *et ea huc illucque* C. *et ea huc et illuc* D. G. H. I. K. L. *et huc et illuc* F.—9 *agitare* H. I.—10 *abstractis* C.—

NOTÆ

[n] *Adversis*] Non illi, ut solet, circumactis, (*en caracolant*) sed recta in hostem concitatis equis, pugnabant, ut, scilicet, introrumperent et pervaderent.

[o] *Pæne*] Certe difficile erat Romanis, simul Numidis peditibus et equitibus resistere, postquam sua acies turbata esset.

[p] *Niti*] Sic solemus, quando quempiam videmus laborantem, qui res nostras tuetur: eo fere modo membra et nervi nostri moventur, ac si res ipsas nosmet exequeremur.

studio suorum astrictis,[10] repente magna vi murum aggreditur:[z] et jam scalis egressi[11] milites prope[12] summa ceperant,[a] cum[13] oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia præterea tela[14] ingerunt. Nostri primo resistere: deinde, ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ,[15] qui superstiterant, afflicti sunt;[16] ceteri quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars confecti vulneribus abeunt. Denique[17] utrimque prælium nox diremit.

61. Metellus, postquam videt[1] frustra inceptum; neque oppidum capi, neque Jugurtham, nisi ex insidiis, aut suo loco pugnam facere, et jam[2] æstatem exactam esse, ab Zama discedit: et in his urbibus, quæ ad se[3] defecerant, satisque munitæ loco, aut mœnibus erant, præsidium imponit.[b] Ceterum exercitum in provinciam[4] [quæ proxima est Numidiæ] hyemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum[q] more, quieti, aut luxuriæ concedit: sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia[r] pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romæ cum Jugurtha fuerat, et inde, vadibus[s] datis, clam Massivæ de nece judicium fugerat,[5]

[z] *Ita dum illi anxie occupati erant, affectu quo tenebantur erga suos, repente magna vi Marius murum aggreditur.*

[a] *Et milites, qui cum scalis advenerant, jam fere ad murorum cacumen pervenerant.*

[b] *Postquam Metellus videt illud quod inceperat frustra inceptum fuisse, neque oppidum capi, neque Jugurtham pugnare nisi ex insidiis, aut loco ipsi opportuno, et jam æstatem exactam esse, Zama discedit; et in iis urbibus imponit præsidia, quæ in suam fidem venerant, et loco, aut mœnibus satis munitæ erant.*

11 [*adgressi* Edit. Haverc.] *egressi* A. F. G. H. *ingressi* C. *agressi* superscript. *egressi* M. *aggressi* N.—12 *propere* M.—13 *tunc opp.* M.—14 *tela* delet D.—15 *comm. sunt* D. F. H. I. M. *diminutæ sunt* I.—16 *sunt* delet C.—17 [*deinde* Edit. Haverc.] *denique* M.

1 *bellum f. i.* C. M.—2 *jam* delent A. N.—3 [*ab se* Edit. Haverc.] *ad se* N.

NOTÆ

[q] *Aliorum*] Imperatorum scilicet, Auli puta.

[r] *Perfidia*] Videant proditores num satis nomen placeat. Etiam apud illos qui ea utuntur eorum ars perfidia vocatur: immo illis sunt detestabiles et execrandi; quandoquidem seipsos, et fidem, ante omnia vendunt.

[s] *Vadibus*] Ideo istud addidit, ne cui mirum videatur, quod effugere ille potuerit.

quod ei per maximam amicitiam, maxima[6] copia fallendi erat,[7] multis pollicitationibus aggreditur;[c] ac primo efficit,[8] uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: dein fide data, 'si Jugurtham vivum aut necatum tradidisset, fore, ut illi Senatus impunitatem, et sua[t] omnia concederet,' facile Numidæ persuadet, cum ingenio infido, tum metuenti, ne,[9] si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones[u] ad supplicium traderetur.

62. Is, ubi primum opportunum,[1] Jugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit: monet atque lacrymans obtestatur, 'uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optime merenti,[2] provideat: omnibus prœliis sese victos,[3] agrum vastatum, multos mortales captos aut occisos,[4] regni opes comminutas esse: satis sæpe jam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveret,[v] ne, illo cunctante, Numidæ sibi consulant.'[5] His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit.[6] Mittuntur ad imperatorem legati: 'Jugurtham imperata facturum, ac sine ulla[w] pactione sese regnumque suum in illius fidem[7] tradere.' Metellus propere cunctos Senatorii ordinis arcessiri jubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more majorum, ex consilii decreto,

[c] *Quia* Jugurtham *fallere facillime Bomilcar poterat, ex maxima amicitia, cum Metellus multis pollicitationibus aggreditur.*

—4 *in provincia* N.—5 *profugerat* C.—6 *maxima* delent A. N.—7 *erat* delet H. —8 *effecit* D.—9 *ne* delent B. N. *quod s. p.* K.

1 *tempus f. opp.* N.—2 *opt. meritæ* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. N. *opt. meritæque* N.—3 *sese victum* M. N.—4 *et regni* A.—5 *consultent* A.—6 *inplevit* N.—7 *illius fidei* H.—8 *pondera* A. K. *arg. tradat pondera d. m. jubet adduci*

NOTÆ

[t] *Sua*] Id est, *quæcumque bona Bomilcar possidebat.*

[u] *Conditiones*] Id est, *Ne inter alias pacis conditiones hæc quoque esset, ut Bomilcar ad supplicium a Jugurtha traderetur.*

[v] *Caveret*] Vides ab improbo proditore ne cavere quidem potuisse omnium perfidorum perfidiosissimum; illumque, alterum, de more, eam quam avertere videbatur, sicam in pectus defixisse.

[w] *Sine ulla*] Illud est quod dicimus, *A discretion.*

per legatos Jugurthæ imperat, argenti [8]pondo[x] ducenta millia, elephantos omnes, equorum et armorum aliquantum. Quæ postquam sine mora facta sunt, jubet omnes perfugas vinctos[9] adduci. Eorum magna pars, ut jussum erat, adducti:[10] pauci, cum primum deditio cœpit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Jugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus, cum[11] ipse ad imperandum[y] Tisidium[z] vocaretur, rursus cœpit flectere[a] animum suum, et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumtis, cum modo tædio rerum adversarum omnia bello potiora duceret; interdum secum [12]ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex[13] regno foret; multis magnisque præsidiis[b] nequicquam perditis,[14] de integro bellum sumit. Romæ Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

63. Per idem tempus Uticæ[c] forte C. Mario per hostias Dis supplicante, 'magna atque mirabilia portendi' haruspex dixerat: 'proinde, [1]quæ animo agitabat, fretus Dis ageret: fortunam quam[2] sæpissime experiretur: cuncta prospera eventura.' At illum jam antea consulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiendum, præter vetustatem familiæ, alia[3] omnia abunde erant:[d] industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli[d] ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. Sed is

[d] *Omnia erant abunde, si excipias vetustatem familiæ.*

---

eleph. M.—9 *vinctos* delet C.—10 *add. sunt* D. E. F. H. K. M. N. *sunt adducti* F.—11 *dum ipse* A.—12 *dum ipse* A.—13 *ire ex regno* M.—14 *proditis* M.

1 *omnia* B. *omnia quæ agitabat* omisso *animo* H.—2 *qua sæpe* D.—3 *alia* abest

NOTÆ

[x] *Pondo*] Quod Gallice dicimus *un marc d'argent*, octo tantum continet uncias, Pondo duodecim.

[y] *Imperandum*] Passive, id est, *ut imperaretur*: ita locutos esse veteres probat Servius in Virgilium.

[z] *Tisidium*] Inter Carthaginem & Uticam sitam fuisse volunt.

[a] *Flectere*] Id est, *pedem referre, et ab instituta deditione animum revocare.*

[b] *Præsidiis*] Argento, videlicet, Elephantis, Armis, Equis, &c.

[c] *Uticæ*] Jam satis nota, non longe a Carthagine, versus occidentem.

[d] *Belli*] Adverbialiter, sicut *domi.*

natus et[4] omnem pueritiam Arpini[e] altus;[5] ubi primum ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciendis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis[f] sese exercuit: ita inter artes bonas integrum ingenium brevi adolevit.[e] Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit,[6] plerisque faciem ejus ignorantibus, facile notus[7] per omnes tribus[8] declaratur.[f] Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit: semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut majore,[9] quam gerebat,[10] dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) petere[11] non audebat.[g] Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus[g] tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis[12] factis erat, quin is[13] indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

64. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi[1] hortabatur; ab Metello [2]petendi[h] gratia missionem rogat: cui quanquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat[3] contemtor

[e] *Ita ingenium incorruptum brevi adolevit inter artes bonas.*

[f] *Ergo, ubi primum petit Tribunatum militum a populo, quanquam plerique ignorarent faciem ejus, cognitus* tamen virtute bellica, *declaratur facile Tribunus per omnes tribus.*

[g] *Tamen vir ille, ad id usque tempus adeo clarus, (nam postea ambitione plane corruptus est,) non audebat appetere Consulatum.*

C. M.—4 *per omnem* B. *et per omnem* M. N.—5 *alitus* C. E. H. M. N.—6 *petiit* D. M. N.—7 *notus factus* M.—8 *tribus* delet A.—9 [*ampliore* Edit. Haverc.] *ampl. honore* D. F. G. M. N.—10 *gereret* B.—11 [*consulatum adpetere* Edit. Haverc.] *petere* H.—12 *egregius* A. B. C. D. E. F. G. H. K. M. N.—13 delet *is* N.

1 *eum* A.—2 *consulatus pet.* D. G. H. *petendi consulatum* K. M. N.—3 *inerat*

NOTÆ

[e] *Arpini*] Arpinum urbs fuit Hirpinorum in Samnitibus, ad Lirim fluvium, patria etiam Ciceronis.

[f] *Munditiis*] *Galanterie, Politesse.*

[g] *Per manus*] Proverbialis locutio. Gall. dicimus, *de main en main.* Patres quasi ex compacto successive consulatum administrabant, mutuasque sibi ad eum obtinendum operas invicem præbebant.

[h] *Petendi*] Consulatum, scilicet. Dixit Metello se ideo missionem rogare, ut ad petendum Consulatum Romam proficisceretur.

animus et superbia, commune[i] nobilitatis malum.[h] Itaque primum commotus insolita re, mirari[4] ejus consilium, et quasi per amicitiam monere, 'ne tam prava[j] inciperet, neu super[5] fortunam gereret: non omnia omnibus cupienda esse: debere illi res suas satis placere: postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi[6] jure negaretur.' Postquam hæc atque talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, 'ubi primum potuisset per negotia publica, facturum[k] sese quæ peteret.' Ac postea sæpius eadem postulanti, fertur dixisse, 'ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum.' [7]Is eo tempore contubernio[l] patris ibidem militabat, annos natus circiter XX. Quæ res Marium cum pro honore, [m]quem affectabat,[8] tum[n] contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessimis consultoribus, grassari; neque facto ullo,[9] neque dicto abstinere, quod modo ambi-

[h] *Cui, (quamvis virtutem, gloriam, atque alia, quæ boni desiderare debent, affatim haberet,) tamen inerat animus contemtor, et superbia, quæ sunt vitium commune nobilitatis.*

ei M.—4 *mirari primum* G. M. N.—5 *supra* B. M.—6 Delet *illi* N.—7 *Nam is* B. C. M. N.—8 *exagitabat* N.—9 *aliquo* B.—10 *pars magna* A. *magna pars* D.

NOTÆ

[i] *Commune*] Ea re præceps pleraque ruit nobilitas; vixque aliter inter homines evenire potest. Itaque caveant qui vere nobiles, aut boni cives esse volent.

[j] *Prava*] Loquitur de petitione Consulatus. Quis vero, cui modo virile ingenium sit, tantam injuriam tolerare queat; ut non ii virtutis laudibus et præmiis fruantur, qui virtute ornati sunt, sed qui ejus qualiacumque a majoribus insignia habuerunt? Necessario intereundum est illi Reipublicæ, in qua virtuti sua merces detrahitur; atque illi nobiles soli et deserti tandem vivere coguntur, qui aditum, per quem patres sui, qui mortui sunt, eos ad gloriam evexere, aliis occludunt.

[k] *Facturum*] Loquitur de Marii missione.

[l] *Contubernio*] Contubernium Gall. diceremus, *une tente.* Figurate vero hoc in loco significat, Metelli filium admodum adolescentem tunc temporis sub patre militiam didicisse.

[m] *Pro honore*] Intellige, eo vehementius Marium honorem concupivisse, quod obices objicerentur.

[n] *Tum*] Nota vim istius voculæ quæ post *cum* significationem auget. Quanquam enim hic prope idem est animi motus ac superior: nam fieri nequit, ut quis bonum aliquod summo cum studio persequatur, quin idem, si possit, omnia impedimenta removeat; attamen maximus est animi impetus contra id quod primo obstare videtur. Atque hinc, qui volet, multa documenta petere poterit.

tiosum[o] foret: milites, quibus in hybernis præerat, laxiore[p] imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna[10] multitudo Uticæ erat, criminose[q] simul, et [11]magnifice[r] de bello loqui: '[i] dimidia pars exercitus[12] sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto[13] trahi, quod homo inanis[s] et regiæ superbiæ[14] imperio nimis gauderet.'[i] Quæ omnia illis eo firmiora[t] videbantur, quod diuturnitate belli res familiares corruperant, et animo[u] cupienti nihil satis festinatur.

65. Erat præterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabilis[1] filius, Masinissæ nepos, quem Micipsa testamento secundum[v] hæredem scripserat, morbis[2] confectus,[3] et ob eam causam mente paulum[4] imminuta.[5,w] Cui Metellus petenti, more regum uti sellam juxta[6] poneret; item postea custodiæ[x] causa [7]turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat:[k] honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges

[i] Marius hæc dicebat: *Dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus se habiturum Jugurtham in catenis: bellum de industria ab Imperatore Metello prolongari, quia ille homo inanis, et plenus superbiæ regiæ, nimium imperio gauderet.*

[k] *Cui Gaudæ petenti, uti poneret sellam juxta* Metellum, *sicuti reges* ponere *consueverant, item petenti postea turmam equitum Romanorum, custodiæ causa, Metellus utrumque negaverat.*

G. H.—11 *honorifice* C.—12 [*se sibi* Edit. Haverc.] Delet *si* M. et Ed. Carr. *sibi si* L.—13 *bellum trahi* D. E. G. K. *tr. bellum* M.—14 *in imperio* H. K.

1 *Manastabalis* C. D. F. G. *Manastabilis* E. H. K. L. *Mastanabalis* I.—2 *morbo* H.—3 *defectus*—4 *paululum* C. D. E. F. G. H. I.—5 *inmutata* G. M. N. A.—6 *juxta se* M. *sellam suam j. p.* N. *juxta se suam* H.—7 *ut concederet sibi t. e.*

NOTÆ

[o] *Ambitiosum*] Id est, *quod ad favorem et benevolentiam captandam comparatum esset.* Aliter alibi sumitur.

[p] *Laxiore*] Non omnia a militibus ex militari disciplina exigebat.

[q] *Criminose*] Contra Metellum, scilicet; quod aperte postea dicetur.

[r] *Magnifice*] Pro se, prout explicat proximis verbis.

[s] *Inanis*] Gall. dicimus, *un homme vain.* Is est qui speciem ostentat earum rerum, quarum corpus non habet.

[t] *Firmiora*] Id est, *Veritati magis consentanea, et firmius probata.*

[u] *Animo*] Dicit negotiatorum impatientiam et desiderium causam fuisse partim, ut ii crederent bellum revera a Metello protractum fuisse.

[v] *Secundum*] Id est, *Qui hereditatem adiret, si absque omni herede filii morerentur.*

[w] *Imminuta*] Idem est quod dicit postea, fuisse eum animo parum valido. Gall. dicimus, *Un imbécille.*

[x] *Custodiæ*] *Pour sa garde.*

appellavisset; præsidium, quod contumeliosum in eos[y] foret, si equites Romani satellites[8] Numidæ traderentur.[l] Hunc Marius anxium aggreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris[9] cum suo auxilio[z] pœnas petat. Hominem ob morbos animo parum valido[10] secunda oratione extollit:[m] 'illum regem,[n] ingentem virum, Masinissæ nepotem esse: si Jugurtha captus, aut occisus, imperium Numidiæ sine mora habiturum: id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret.' Itaque et illum, et equites Romanos, milites[11] et negotiatores alios ipse,[a] plerosque spes pacis[12] impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissima[b] suffragatione consulatus petebatur.[o] Simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa[13] per legem Mamiliam,[c] novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

66. Interim Jugurtha postquam, omissa deditione, bellum incipit,[1] cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum: civitates, quæ ab se defecerant, formidine, aut

[l] *Metellus negaverat honorem, quod is honor esset tantum eorum, quos P. Romanus appellavisset reges: præsidium negaverat, quod id contumeliosum esset in equites Romanos, si ii traderentur, ut essent satellites, Numidæ.*

[m] *Inflat oratione favente hominem qui animo erat imbecilli ex morbis.*

[n] Marius Gaudæ dicit, *Illum esse regem, &c.*

[o] *Sic Consulatus petebatur illi (Mario) a multis mortalibus honestissima suffragandi ratione.*

C. G. N.—8 *satelliti* D. F. H. I. L. M. N.—9 [*in imperatorem* Edit. Haverc.] *imperatori* B. I. K. L. M.—10 *validum* E.—11 *milites* delet D.—12 *pacis spe* E. H. K. L. N. *pacis spes* I.—13 *perculsa* H. N.

1 *incepit* A. E. F. K. M. N.—2 *ostendendo* K.—3 *circumvenire* H. M. *circum-*

NOTÆ

[y] *Eos*] *Romanos.* Sed substantivo præpositum est pronomen, ut major sit indignitas, quo propius equites Numidæ conjungentur.

[z] *Cum suo auxilio*] Videtur Sallustius de industria incultum Marii stylum cepisse. Hoc vero dicebat Gaudæ: *Niteretur auxilio quod ipsi præstaret, dum injurias cum Metello expostularet.*

[a] *Ipse*] *Auctoritate et favore, quo apud ipsos valebat.*

[b] *Honestissima*] Omnino; siquidem non ipse petere, sed ipsi Magistratus ultro conferri videbatur.

[c] *Mamiliam*] De qua supra.

ostentando[2] præmia affectare:[p] communire[3] suos locos, arma, tela, alia,[4] quæ spe pacis amiserat, reficere, aut commercari: servitia Romanorum allicere,[q] et eos ipsos, qui in præsidiis[5] erant, pecunia tentare: prorsus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio,[6] Jugurtha pacificante,[r] præsidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate[d] alienati, principes civitatis inter se conjurant: nam vulgus, uti plerumque solet,[7] et maxime Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum[e] erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio adversum: dein, compositis inter se rebus, diem tertium constituunt;[f][8] quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis, quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipsum præfectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant: [9] eos omnes, præter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantes, inermos,[10] quippe[11] in tali[g] die[12] ac sine imperio, aggrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio[h] talium rerum inci-

[p] *Conabatur recipere formidine, aut ostantando præmia, civitates quæ ab se defecerant.*
[q] *Alliciebat servos Romanorum.*
[r] *Dum Jugurtha paci studeret.*

ire N.—4 *aliaque omnia* B. *alia omnia* N.—5 *præsidio* D. N.—6 *in initio* A. N. —7 *solet fieri* F. H.—8 *constituunt interfectionem* A.—9 *et eos* B.—10 [*inermis* Edit. Haverc.] *inermos* L. qui optimus.—11 *ut in* N.—12 *sine metu ac s. i.*

NOTÆ

[d] *Voluntate*] Gall. *d'Inclination.* Inviti Metello parebant.

[e] *Discordiosum*] Vox Sallustio peculiaris, nisi forte ex veteribus desumta est.

[f] *Constituunt*] Gall. *Ils marquèrent le jour de l'exécution.* Diem assignant, quo præsidiarios milites jugularent.

[g] *Tali*] Quo se jucunditati dabant.

[h] *Studio*] Quia cædem et mutationes amabant. Ceterum ex hoc loco videant Rerum publicarum moderatores, quanti, Sapientis illius sententia æstimanda sit, qui principiis obstandum esse voluit. Principiis et Principibus occurrendum est; nam postquam late grassata est seditio, frustra furenti multitudini ea fræna injicias, quibus paucos regere nesciveris.

tati; quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novæ satis placebant.

67. Romani milites, improviso metu,[1] incerti ignarique, quid potissimum facerent, trepidare ad arcem[2] oppidi,[s] ubi signa et scuta erant: præsidium[3] hostium, portæ ante clausæ fugam prohibebant: ad hoc[4] mulieres puerique pro tectis ædificiorum saxa, et alia, quæ locus præbebat, certatim mittere.[t] Ita neque caveri anceps[i] malum,[5] neque a fortissimis[6] infirmissimo[j] generi resisti posse: juxta boni malique, strenui et imbelles[7] inulti[8] obtruncati.[9] In ea tanta asperitate, sævissimis[10] Numidis et oppido undique clauso, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior, improbus [11]intestabilisque[k] videtur.[u]

68. Metellus, postquam de rebus Vagæ[1] actis comperit, paulisper[l] mœstus e conspectu[2] abit:[3] deinde, ubi ira et ægritudo permixta, cum maxima cura ultum ire injurias festinat. Legionem, cum qua hyemabat, et, quam plurimas potest, Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos

[s] *Romani festinanter et tumultuose accurrunt ad arcem oppidi.*
[t] *Mulieres et pueri,* stantes *pro tectis ædificiorum, mittebant certatim, et quasi per æmulationem, saxa et alia, quæ locus præbebat.*
[u] *Sed videtur improbus et intestabilis, quia in tanto malo, ille pluris fecit turpem vitam, quam famam inviolatam.*

1 *i. m. percussi* B. *inpr. metu perculsi* D. N. *percussi inpr. m.* F. *perculsi i. m.* M.—2 *tr. arcem oppidi apprehendere* H.—3 *præsidia* N.—4 *ad hæc* N.—5 *bellum* N. —6 *fortiss. viris* N.—7 *et imbecilles multi* F. H.—8 *multi* C. D. E. I. K. M. delet N.—9 *obtruncari* I.—10 *sæviss.* M. N.—11 *instabilisque* H.
1 *ita actis* E. F.—2 *e consp. suorum* N.—3 [*abiit* Edit. Haverc.] *abit* Ed.

NOTÆ

[i] *Anceps*] Seu pugnare, seu fugere mallent.

[j] *Infirmissimo*] Mulieribus, scilicet, et pueris.

[k] *Intestabilis*] Is est qui neque testimonium dicere, neque testamentum facere, neque, ut nonnulli putant, testamento quicquam consequi potest. Sed pro homine nefario sumitur et execrando.

[l] *Paulisper*] Id est, *Postquam aliquantulum, audito nuncio, in eodem loco mœstus permansisset, postea abiit.*

educit: et postera[m] die[4] circiter horam tertiam[n] pervenit in quandam planitiem, locis paulo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine, et jam[5] abnuentes omnia docet,[6] 'oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem æquo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissimis atque miserrimis,[7] pœnas caperent.'[8] Præterea prædam[o] benigne ostentat.[9] Ita animis eorum arrectis, equites in primo late,[v] pedites quam arctissime ire, signa occultare jubet.

69. Vagenses ubi[1] animum advertere, ad se versum[2] exercitum pergere:[3] primo, uti erat res, Metellum rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites[4] vident; rursum Jugurtham arbitrati,[5] cum magno gaudio obvii[6] procedunt.[w] Equites peditesque, repente signo dato, alii vulgum effusum[p] oppido cædere; alii ad portas festinare; pars turres capere: ira atque prædæ spes[7] amplius, quam lassitudo posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia lætati:[8] civitas magna et opulens[9] pœnæ[q] cuncta, aut prædæ fuit. Turpilius, quem præfectum

[v] *Jubet equites* esse *in prima et maxime conspicua parte agminis.*
[w] *Ex adverso arbitrati Jugurtham* esse, *procedunt* illi *obviam cum magno gaudio.*

Grut.—4 delet *et p. d.* H. *et postero die* N.—5 *jam* H.—6 *edocet* A. E. K. N. *ostentabat* F.—7 *viris in vita fortiss. in morte miserr.* M.—8 *acciperent* N.—9 *ostendere* E. *ostentare* N.

1 *ubi primum* B. D.—2 *adversum se* H. M. N. *se* delet G.—3 *ire* D.—4 *equites* delet L.—5 *rati* B. D. H. M. N. *esse arbitrati* K.—6 *obviam* B. H. K.—7 [*spes prædæ* Edit. Havercamp.] Mss. aliquot *prædæ spes.*—8 *l. sunt* G.—9 *et*

NOTÆ

[m] *Postera*] Vide nomen *dies* in fœminino genere, etiam cum tempus certum denotat; contra quam nonnulli tradunt.

[n] *Tertiam*] Nobis nona esset matutina: nam Romanis, ab ortu solis ad Occasum duodecim semper horæ numerabantur, quæ ideo breviores, quandoque prolixiores erant. Sed notandum est, quod si tempus, magis quam numerandi ratio spectetur, hæc tertia hora, pro vario locorum situ, et tempestatibus, sexta, septima, nona, aut circiter esse poterit.

[o] *Prædam*] Promittit se urbem relicturum direptioni. *Qu'il mettroit la ville au pillage.*

[p] *Effusum*] Populus urbe egressus erat, ut obviam Jugurthæ procederet.

[q] *Pœnæ*] Interfecerunt aut corruperunt ea omnia quæ ad suum usum non fuerunt accommodata.

oppidi unum ex omnibus profugisse, supra ostendimus,[10] jussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus,[11] verberatusque capite pœnas solvit. Nam[r] is civis ex Latio[12] erat.

70. Per idem tempus Bomilcar, cujus impulsu Jugurtha deditionem, quam metu[s] deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse eum suspiciens,[1] novas res cupere;[2] ad perniciem ejus dolum quærere; diu noctuque fatigare[3] animum. Denique omnia tentando, socium sibi adjungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis: qui[4] plerumque seorsum[t] ab rege exercitum ductare,[5] et omnes res exequi solitus erat, quæ Jugurthæ fesso, aut majoribus[6] astricto superaverant;[7] ex quo illi gloria opesque inventæ.[8] Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur;[9] cetera, uti res posceret, ex tempore[u] parari placuit. Nabdalsa ad exercitum[10] profectus, quem inter hyberna Romanorum jussus habebat,[x] ne

[x] *Nabdalsa profectus est ad exercitum, quem habebat, ex mandato Jugurthæ, prope ea loca in quibus Romani hybernum tempus transigebant.*

opulenta D. K. N.—10 *diximus* B. H. M. *docuimus* C.—11 *condemnantur verberatus atque c. p. s.* N.—12 *ex Collatio* A. B. D. E. F. H. I. K. M. N.

1 *suspectans* C.—2 *capere* C.—3 *f. cogitando an.* M.—4 *Is* G. K.—5 *ductabat* F. I.—6 *maj. negotiis* M.—7 *supervenerant* G.—8 *inventæ sunt* A. B. D. E. F. H. K.—9 *statui* N.—10 *est profectus* D. *pr. est.* F.—11 in Ed. Carr. Grut. et

NOTÆ

[r] *Nam*] Interpretes miror, qui prope omnes ideo gravius hunc Turpilium punitum esse volunt, quod is tantum ex Latio civis esset, quia scilicet, ut illi arbitrantur, si Romanus fuisset, eum Lex Porcia et Valeria a securi liberassent. Constat vero non modo non in castris, ut in urbe, Legem Porciam Romanos cives ab Imperatorum virgis et securibus vindicasse; sed insuper gravius in cives Romanos, quam Socios, animadversum fuisse, prout illud ex Livii libro XXX. probatur. Ceterum Plutarchus in Mario tradit, compertum esse postea, hunc Turpilium injuste damnatum fuisse: intactus enim ideo a Vaccensibus dimissus est, quod modeste humaniterque sese in eos gessisset.

[s] *Metu*] Videlicet timuit Jugurtha, ne, si absolute et sine ulla pactione dedititius esset, Romani ipsum quoque morte multarent.

[t] *Seorsum*] Intellige Jugurtham, Metelli exemplo, suas quoque copias in duas partes divisisse, quarum alteri Nabdalsam præfecerat.

[u] *Ex tempore*] Scilicet non omnia possunt provideri; plurima ex occasione pendent, quæ melius, quam hominum consilia, res ipsa expedit. Itaque satis fuit duobus perduellibus de re ipsa convenire, cetera invicem ad socii prudentiam remittentibus.

ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque[v] rem impediebat; Bomilcar simul cupidus[11] incepta patrandi, et timore[x] socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum[y] quæreret, literas ad eum per homines fideles mittit, 'mollitiem secordiamque[12] viri accusari, testari[z] Deos, per quos juravisset; præmia Metelli in pestem[a] ne converteret; Jugurthæ exitium[b] adesse,[13] ceterum suane,[c] an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, præmia, an cruciatum mallet.'

71. Sed cum hæ literæ[1] allatæ,[2] forte Nabdalsa, exercito[3] corpore fessus, in lecto quiescebat: ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti ægrum animum solet, somnus cepit.[4] Erat ei[5] Numida quidam negotiorum cura-

Wass. vitiose *cupidinibus*. Ego enim in omnibus Mss. *cupidus* inveni. *consilium novum qu.* N.—12 [*socordiamque* Edit. Havercamp.] *secordiamque* M.—13 *prope adesse* F. *Jug. exitum adesse* M. N.

1 *litteræ* delet B.—2 *allatæ fuissent* A. M. *allatæ essent* G. *sunt allatæ* H. N.—3 *exercitato* D. F. K. M.—4 *accipit* G.—5 *ibi* L.—6 *acceptusque sibi* A.—

NOTÆ

[v] *Metusque*] Nimirum Nabdalsa ejusmodi criminibus non erat assuetus, prout Bomilcar: expavit itaque ad incepti facinoris maturiorem cogitationem.

[x] *Timore*] Ne ita intelligas, quasi Bomilcar Nabdalsæ timorem cognovisset; aut quod idem est, eo quod Nabdalsa timeret, ipse anxius esset: verum credendum est Bomilcarem animo fuisse perturbato, quod, ne a Nabdalsa Jugurthæ traderetur, maxime reformidaret.

[y] *Novum*] Ab incepta proditione desisteret, atque Jugurthæ Bomilcaris insidias detegeret.

[z] *Testari*] Rem miram! Deos quoque testari hominem improbum, in re improba! Immo, quanquam dictu horrendum est, inter eos homines qui se maxime Christianos dici volunt, nonnulli conspiciuntur, qui ut maxime sunt improbi, ita anxie operam dant, ut non dæmonum turbam, sed verum Deum, scelerum suorum, non testem modo, sed participem et vindicem habeant. Quæ genera sacrilega, cum, propter frequentiam, jam non liceat admirari, utinam Principibus aliquando atrocissimis pœnis liceat et libeat profligare.

[a] *Pestem*] Scilicet Metellus irrisus a Nabdalsa, si is minus promissa servasset, injuriam, data occasione, ultus esset.

[b] *Exitium*] Excusatio est facinoris, quasi dicat, *Quandoquidem necessario Jugurthæ pereundum est, satius est eum perire solum, nosque amicos saltem in ejus morte salutem nostram invenire.* Quam vero vana et futilis sit excusatio nihil attinet dicere.

[c] *Suane*] Bomilcaris, nempe, et Nabdalsæ.

tor, fidus acceptusque,[6] et omnium consiliorum, nisi novissimi,[d] particeps. Qui postquam allatas literas audivit, ex[7] consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introivit: dormiente illo epistolam, super caput[8] in pulvino temere positam, sumit[9] ac perlegit. Dein[10] propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paulo[11] experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta,[12] cognovit:[e] primo indicem[f] persequi conatus;[13] postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit, 'quæ ipse paravisset, perfidia clientis sui[14] præventa:'[y] lacrymans obtestatur 'per amicitiam, perque sua[15] antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.'

72. Ad ea rex aliter, atque[1] animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram[g] oppresserat:[2] ne qua[3] ex eo negotio seditio oriretur.[4] Neque post id locorum[5] Jugurthæ dies, aut nox ulla quieta fuere: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori[h] satis credere: cives, hostes juxta metuere: circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere:

[y] Dicit Jugurthæ, *se præventum perfidia clientis sui facere quæ ipse paravisset.*

7 *et ex* C.—8 *caput ejus* M.—9 *invenit a. p.* H.—10 *deinde quippe* M.—11 *paullo post* Mss. omnes.—12 [*ex perfugis cogn.* Edit. Havercamp.] *ex servis* C. K.—13 *conatus est* E. K.—14 [*præventum* Edit. Havercamp.] *præventa* L.—15 *sua* delet D. *antea* delet M. *sua ante* scribit K.

1 *quam a. haberet* D. *quam a. g.* G. M.—2 *oppressit* M.—3 *qua* delent M. N.—4 *s. o. aut bellum* F. G.—5 *id negotiorum* D. E. M. N.—6 *atque alio* delent

NOTÆ

[d] *Novissimi*] Proditionis, scilicet, Jugurthæ.

[e] *Cognovit*] Plerumque legitur *ex perfugis cognovit.* Nam *perfugas* eos fuisse arbitror quibus corporis custodiam crediderat, quibusque utebatur, quia minus fallere audent: atque illi Numidam tabernaculo egredientem et festinantem viderant. Vel forte nonnulli transfugæ tunc advenerunt, qui interrogati, num in quendam ita et ita ornatum incidissent, rem omnem aperuerunt.

[f] *Indicem*] Clientem suum, quem ea causa discessisse credebat, ut Jugurthæ conspirationem suam manifestam faceret.

[g] *Iram*] Simulavit Jugurtha se Nabdalsæ fidem habere, ne, in eum talem si pariter sæviret, ut in Bomilcarem, seditio aliqua fieret.

[h] *Tempori*] Id est, *Dies, noctes, omni denique tempore metuebat.*

alio atque alio[6] loco, sæpe contra decus regium noctu requiescere:[7] interdum somno excitus,[8] arreptis armis tumultum facere; ita formidine, quasi vecordia, exagitari.

73. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus, tanquam ad integrum bellum, cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione,[i] simul et invitum,[1] et offensum sibi, parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romæ plebes, literis, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volenti[2] animo[j] de ambobus acceperant.[3] Imperatori nobilitas, quæ antea decori,[4] invidiæ[k] esse: at illi alteri generis[l] humilitas favorem addiderat.[5] Ceterum in utroque magis studia[6] partium, quam bona, aut mala sua [7]moderata.[m] Præterea [8]se-

I. M.—7 *quiescere* C. F.—8 *excitatus* G. K.

1 *invisum* H. N.—2 *volentia d. a.* Edd. Grut. et Carr.—3 *acceperat* A.—4 [*dec. fuerat* Edit. Havercamp.] *fuit* D. F.—5 *addebat* D.—6 *studia erant* A.—7 *mod. sunt* D. F. H. M. *moderabantur* G. *moderantur* N.—8 *seditione* C.—

NOTÆ

[i] *Profectione*] De qua supra; avebat enim Romam proficisci, Consulatum petiturus.

[j] *Volenti animo*] Plerumque legitur, *volentia de ambobus acceperant;* et ista defenditur lectio, quia hæc vox eadem, eodem sensu, ab ipso Sallustio, IV. historiarum, repetitur. Posita vero est pro *Grata* aut *Placentia.* Nimirum plebs lætabatur quod, per literas, quæ ex Marii mente scriptæ erant, occasio data esset aliquem ex suis promovendi, nobilitatem deprimendi.

[k] *Invidiæ*] Quia tunc plebes plus poterat, cui nobilitatis dominatio invisa erat.

[l] *Generis*] Marius humili loco quia natus erat, ideo a plebe magis amabatur.

[m] *Moderata*] Id est, *non tam ex opinione virtutis, aut socordiæ, seu Metelli, seu Marii, Plebs aut Nobilitas Metello, vel Mario, favebat, aut nocebat, quam quia, suos promovere, alios deprimere, singulorum animo penitus insederat.* Istud vero cujus sit momenti nemo non videt; ut mirari subeat quomodo tam diu Respublica Romana cum hac peste stare potuerit. Causa morbi, superbia, tum Populorum, tum Magistratuum. Sed, quando ita nati sumus omnes, ut nequidem ad summum bonum ullo modo cogi sustineamus, neque id unquam ipse Deus cogitet; hos decet inprimis, qui rectores et moderatores sunt, sapientia stupidam multitudinem prævertere, ut duci se, quod cæca amat, non cogi, quod libera detestatur, semper cognoscat. Optime Terent. in quodam Prologo de iis Amicis suis quos maxime commendare volebat, *Quorum,* inquit, *opera in bello, in otio, in negotio, Suo quisque tempore usu' est* SINE superbia.

ditiosi[n] magistratus vulgum exagitare,[9] Metellum[10] omnibus concionibus capitis[o] arcessere, Marii virtutem in majus celebrare.[11] Denique plebes sic accensa,[12] uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque[p] in manibus sitæ erant, relictis[13] operibus, frequentarent[q] Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsa nobilitate, post multas tempestates novo homini consulatus mandatur.[14] Et postea populus a Tribuno plebis Manilio Mancino[15] rogatus, QUEM VELLET CUM JUGURTHA BELLUM GERERE? frequens Marium jussit. Senatus paulo ante Metello[16] decreverat: ea[r] res frustra fuit.

74. Eodem tempore Jugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine,[1] pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant; cum neque bellum geri sine administris[2] posset, et novorum[3] fidem in tanta perfidia veterum experiri[4] periculosum duceret, varius[5] incertusque agitabat: neque illi[6] res, neque consilium aut quisquam hominum[7] satis placebat: itinera præfectosque in dies mutare: modo adversum hostes, interdum in solitudines pergere: sæpe in[8] fuga, ac post paulo[9] spem in armis

9 *vulgus exagitata* M.—10 *Metellum reum* F. K. M.—11 *M. v. in m. celebravere* L.—12 *accensa est* A. E. *erat accensa* D.—13 *derelictis* M.—14 *mandabatur* F.—15 *L. Mallio Maccino* A. L. *Manlio Mantino* F. [et Ed. Havercamp.] *Tito Manlio Mantino* G. *Manlio Mancino* L. *Mamilio Mancino* M. C. *Manlio Mantino* N.—16 [*p. a. M. Numidiam dec.* Edit. Havercamp.] *p. a. d. provinciam Num. Met.* N.

1 *form. perculsi* N.—2 *ministris* M.—3 [*novorumque* Edit. Haverc.] *et cum novorum* A. *et novorum* C.—4 *esse p. d.* D. E.—5 *vagus* B. H. K. N.—6 *ullæ res* M. *ulla res* N.—7 *omnium s. p.* M.—8 *in* delet C.—9 *paullo post* Mss. om-

NOTÆ

[n] *Seditiosi*] Tribuni, scilicet, qui ad seditionem et discordiam tantum creati fuisse videntur.

[o] *Capitis*] Id est, *Earum rerum reum facere, et ad Populum accusare, ex quibus libertas, dignitas, civitas, vita etiam quandoque amittatur.*

[p] *Fidesque*] Hic posita est pro fructu quem quis, præcipue ex agro suo, decerpit, qui fideliter eum fructum producit, cuique ille fidit. Eodem plane modo loquitur Horat. Oda 16. l. III. Gall. dicimus, *Dont tout le bien et tout le revenu consistoit dans le travail de leurs mains.*

[q] *Frequentarent*] Non quod cum eo essent: at domum ejus obambulabant, eum sequebantur, &c.

[r] *Ea*] Quod, nimirum, Senatus Metello Numidiam decreverat.

habere: dubitare, virtuti[10] popularium, an fide minus crederet. Ita, quocumque intenderat,[11] res adversæ[12] erant.[z] Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidæ ab Jugurtha pro tempore parati instructique:[13] dein prælium incipitur. Qua in[14] parte rex affuit, ibi aliquamdiu certatum:[15] ceteri omnes [ejus milites] primo concursu[16] pulsi fugatique.[17] Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum[18] potiti.[19] Nam ferme[20] Numidas in omnibus præliis pedes magis, quam arma tuta sunt.[21]

75. Ea fuga Jugurtha impensius modo rebus suis diffidens cum perfugis et parte equitatus in solitudines,[1] dein Thalam[s] pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi[2] plerique thesauri, filiorumque ejus multus pueritiæ cultus[t] erat. Quæ postquam Metello[3] comperta, quanquam inter Thalam flumenque proximum,[4] spatio millium[5] quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat;[6] tamen spe patrandi belli, [si ejus oppidi potitus foret] omnes asperitates supervadere, ac[7] naturam[u] etiam vincere aggreditur. Igitur omnia jumenta sarcinis levari jubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres[v] modo, et alia[8] aquæ idonea portari.[9] Præ-

[z] *Ita quocumque animum converterat, res adversæ erant.*

nes *præter* L.—10 *vir. militum an f. p. m. c.* N.—11 *intenderet* B.—12 *sibi erant* N.—13 *instructique sunt* K. *instructi deinde* N.—14 *Qua parte* K.—15 *certatum est* B. C. D. E. F. G. H. *pugnatum est* M.—16 [*congressu* Edit. Haverc.] *concursu* H.—17 *fugatique sunt* A. D. F. N. *fugati* H.—18 sic A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. [*paucorum* delet Edit. Haverc.]—19 *sunt p.* D. F. G. *p. sunt* N.—20 *fere* K.—21 *tutati s.* B. C. E. H. K. N. *tuti* D. *tutata* G. L. M.

1 *in sol. pergit* A. *in s. fugit* N.—2 *ibique pl.* F. L. *ibique regis pl. th.* N. *ibi pl.* K.—3 *per Met.* F.—4 *propinquum* A. E.—5 *mill. passuum qu.* A. E. I.—6 *cognovit* H.—7 delet *ac* N.—8 *et alia vasa* B. M.—9 *p. jussit* C. *p. jubet*

NOTÆ

[s] *Thalam*] Satis constat Africæ propriæ urbem fuisse: situs præcise non cognoscitur.

[t] *Cultus*] Id est, *Quicquid ad educationem et recreationem pertinet.*

[u] *Naturam*] De ariditate loci præcipue intelligitur.

[v] *Utres*] Uter pellis est qua continentur liquores.

terea conquirit ex agris, quam plurimum potest, domiti pecoris; eoque[10] imponit vasa cujusque[11] generis, [12]pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc[13] finitimis imperat, qui se post fugam Metello dederant,[14] quam plurimum quisque aquæ portarent, diem locumque, ubi præsto fuerint,[15] prædicit.[16] Ipse ex flumine, quam proximam oppido aquam supra diximus, jumenta onerat. Eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum,[17] quo Numidis præceperat,[18] tanta repente cœlo[19] missa vis aquæ[20] dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Præterea commeatus spe amplior: quia Numidæ, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant.[w] Ceterum milites religione[21] pluvia magis usi:[22] eaque[23] res multum animis eorum addidit.[24] Nam rati[25] sese Dis immortalibus curæ esse. Deinde[26] postero die, contra opinionem Jugurthæ, ad Thalam perveniunt. Oppidani,[27] qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi,[28] nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.[29]

76. Sed rex nihil jam infectum[x] Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria[1] vicerat, cum liberis et magna parte pecuniæ ex oppido noctu profugit: neque postea in ullo loco amplius una[2] die, aut una nocte mora-

M.—10 *eo* L.—11 *cujuscunque* F. N.—12 *sed pl. l.* D. E. F. G. H. I. K. L.—13 *Ad hæc* F. H.—14 [*dediderant* Edit. Haverc.] *dederant* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N.—15 [*forent* Edit. Haverc.] *fuerit* Mss. plerique.—16 *prædixit* K.—17 *v. est* C. D. E. F. G. H. K. L. N. *veniunt* I.—18 *imperaverat* N.—19 *de cœlo* D. E.—20 *affuisse dicitur* A.—21 *pro religione* N.—22 *usi sunt* B. E. M.—23 *quæ res audaciæ m. a. e.* C.—24 *addiderat* E. F.—25 *rati sunt* G. I.—26 *Denique* F.—27 *Oppidanique* A.—28 *percussi* I.—29 *fecere* D. E. *faciunt* F.

1 *ind. sua* G. M.—2 *uno die* C. E. F. H. I. K. L.—3 *moratus est* N.—4 *neg.*

NOTÆ

[w] *Intenderant*] *Ils en avoient fait plus qu'on ne leur en avoit demandé.* Supra modum, uti in novo imperio solet, officiosi fuerant.

[x] *Infectum*] Id est, *Quod a Metello fieri non posset:* verum illud *infectum* cum formam induat Præteriti, maximam vim habet.

tus,[3] simulabat sese negotii gratia[4] properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat. Nam talia consilia per otium, et ex opportunitate [5]capi.[a] At Metellus ubi oppidanos prælio intentos, simul oppidum et operibus, et loco munitum videt, vallo fossaque mœnia circumvenit. Deinde[6] locis ex copia[y] maxime idoneis vineas[b] agere,[z] et super[7][a] aggerem impositis turribus opus et administros[8] tutari. Contra hæc oppidani festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore præliisque fatigati, post dies quadraginta,[9] quam eo ventum[10] erat, oppido modo potiti:[11] præda omnis ab perfugis corrupta.[12] Ii postquam murum arietibus[b] feriri, resque suas afflictas vident, aurum atque argentum, et alia, quæ prima ducuntur, domum[13] regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt; et quas victi ab hostibus pœnas metuerent, eas ipsi volentes pependere.[14]

77. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes,[1] 'uti præsidium præfectumque eo mitteret; Hamilcarem quendam, hominem nobilem,

[a] *Nam* Jugurtha sciebat *talia consilia capi per otium et ex opportunitate.*
[b] *Deinde jubet vineas promoveri in locis maxime idoneis ex copia.*

causa C. *n. gr. ire properatum* M.—5 *capiuntur* A. M. *capi solent* C. G. H.—6 [*d. jubet locis* Edit. Haverc.] *d. j. duobus locis* C. G. L. *in locis* E. *deinde in duobus locis &c. vineas jubet agere* M.—7 [*et super agger.* Edit. Haverc.] *super eas* M.—8 *ministros* C. *a ministris opus, jubet tutare* M.—9 XXX. E.—10 *ventum est* F.—11 *potiti sunt* D. F. G. H.—12 *corrupta est* K.—13 *in d. r. c. ibique* M.—14 *pendere* M.

1 *orare* (quomodo et in Textu Grut.) *uti, &c.* N. *uti* delet C. supra *Lepti*

NOTÆ

[y] *Ex copia*] Non dicit absolute, loca fuisse maxime idonea; sed vineas actas in locis, pro ratione situs et regionis, maxime idoneis.

[z] *Agere, &c.*] Hic locus ita plerumque legitur: *Dein jubet locis ex copia maxime idoneis vineas agere; superque eas aggerem jacere, &c.* Pro *ultra* positum *super* arbitror; ita ut pone vineas latentes administri, terram et alia propius muros jacerent, ad constituendum aggerem. Aliter alii, quibus non assentior.

[a] *Super*] Jam *super* vulgato sensu positum est.

[b] *Arietibus*] Aries, machina fuit ad subruendos muros.

factiosum, novis rebus studere; adversum quem neque imperia magistratuum, neque leges valerent: ni id[2] festinaret, in summo periculo suam salutem, [3]illorum[c] socios fore.[3] Nam Leptitani jam inde a principio belli Jugurthini ad Bestiam consulem, et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata,[4] semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata navi[5] fecerant. Itaque[6] ab imperatore facile, quæ petebant, adepti.[7] Emissæ[8] eo cohortes Ligurum quatuor, et[9] C. Annius præfectus.

78. Id oppidum ab Sidoniis[d] conditum, quos accepimus profugos ob discordias civiles, navibus in eos locos venisse: ceterum situm inter duas Syrtes,[c] quibus nomen ex re[e] inditum.[1] Nam duo sunt sinus[f] prope in extrema[g] Africa, impares magnitudine, pari[2] natura: quorum[3] proxima terræ præalta[4] sunt;[d] cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa.[5] Nam ubi mare magnum esse, et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita[6] facies locorum cum ventis simul mutatur.[7] Ejus civitatis lingua modo conversa[8] connubio Numidarum:[e] leges,

[c] *Ceterum* oppidum *positum est inter duas Syrtes.*
[d] *Quorum proxima* loca *terræ sunt maxime profunda.*
[e] *Ejus civitatis lingua tantum mutata per connubia Numidarum.*

delet E.—2 *nisi ad id* E.—3 *et ill.* G. I. K. *illorumque* C.—4 *imp. sunt* A. B. E. F. G. H. N.—5 [*nave* Edit. Haverc.] *gnave* A. B. C. G. I. *gnaviter* D. H. K. N. *naviter* E. F.—6 *Ita* C. H.—7 *adepti sunt* A. C. D. E. N. *sunt adepti* B.—8 *emissæ sunt* C. F. N. *eo missæ sunt* G. H. *missæ sunt eo* M.—9 *eo et* N.
1 *inditum est* B. C. D. F. G. H. K. N.—2 *sed pares* A.—3 *quorum loca* M.—4 [*alta* Edit. Haverc.] *alta sunt* A. M.—5 *sunt vadosa* K.—6 *itaque* M.—

NOTÆ

[c] *Illorum*] Romanorum.

[d] *Sidoniis*] Sidon, urbs fuit Palæstinæ antiquissima, plurimarum coloniarum mater; quanquam Tyro nonnulli Leptim ascribunt. Sed notandum, quod de illis urbibus, propter vicinitatem, et similitudinem, etiam ipsius Christi unum et idem fuit judicium.

[e] *Re*] *Tractu* scilicet, ut dicetur postmodum ab ipso Sallustio. At Græca est originatio; nam, σύρω Græcorum est *traho* Latinorum.

[f] *Sinus*] Gall. *Des golfes.* Ita vocatur mare, cum alicubi littora curvat, et terras intrat.

[g] *Extrema*] Versus Orientem, et secundum veterem Geographiam.

cultusque pleraque Sidonica.[9] Quæ eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis[h] ætatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.[f]

79. Sed quoniam in has regiones per Lepitanorum negotia venimus; non indignum[i] videtur egregium atque mirabile[1] facinus duorum Carthaginiensium memorare. Eam rem locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager[2] in medio arenosus, una[j] specie: neque[3] flumen, neque mons erat, qui fines eorum discerneret; quæ res[k] eos in magno diuturno bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes fusæ fugatæque,[4] et alteri alteros aliquantum attribuerant; veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt,[l] 'uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur.' Igitur[5] Carthagine duo fratres missi,[6] quibus nomen Philænis erat, maturavere iter pergere:[7] Cyrenenses tardius iere.[g] Id secordiane,[8] an casu acciderit, parum cognovi.[9] Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus, atque in mari[10] retinere. Nam ubi per loca

[f] *Inter illos et hominibus frequentatam Numidiam loci inculti vastique erant.*
[g] *Cyrenenses lentiore gradu processerunt.*

7 *immutatur* M.—8 *conversa est* F. N.—9 *Sidonia* C. F. *Sidonica sunt* D. H. K. M. N.

1 *miserabile* N.—2 *Ager erat i. m.*—3 *in quo n. f.* F.—4 *fugatæque sunt* B. F.—5 *Igitur proprii* (forte *propere*) M.—6 *missi sunt* F. N. *sunt missi* K.—7 *agere* N.—8 *socordia* C. D. E. F. G. H. I. K. L.—9 *cognovimus* K.—10 *ho-*

NOTÆ

[h] *Regis*] Quicumque tandem iis imperitaverit, sive Masinissa, Micipsa, aut quis alius fuerit.

[i] *Indignum*] Gall. *Hors de propos.*

[j] *Una*] Locus erat, ubi neque mons, neque flumen, prout dicit Auctor, conspiciebatur; ubi denique facies una et eadem. Gall. *Une rase campagne.*

[k] *Quæ res*] Quod, scilicet, fines nulli essent. Quæ vero, inquies, litibus materia? Multiplex nascitur vel ex sola Jurisdictione, quia locus fuit viatoribus frequentatus: libidini vero quid intactum esse potest?

[l] *Sponsionem faciunt*] Id est, *convenerunt, et consenserunt.* Gall. *Ils convinrent.*

æqualia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora oculosque implere solet:[h] ita prospectu impedito, morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores[m] se[11] vident, et ob rem corruptam domi pœnas metuunt; criminari, Carthaginienses ante tempus domo digressos, conturbare rem:[i] denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Pœni[12 n] aliam conditionem, tantummodo æquam, peterent, Græci[o] optionem[p] Carthaginiensium[13] faciunt, 'vel illi, quos[q] fines populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, [14]processuros.' Philæni, conditione probata, seque vitamque reipublicæ condonavere. Ita vivi obruti.[15] Carthaginienses in eo loco Philænis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores instituti.[16] Nunc ad rem[17] redeo.

80. Jugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines[r] cum paucis profectus, pervenit ad Gætulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit:[1] ac paulatim consuefacit[2]

[h] *Cum ventus obortus excitavit humo arenam per loca plana et plantis omnibus destituta, ea arena agitata magna vi implet ora et oculos.*

[i] *Postquam Cyrenenses vident se esse aliquanto posteriores, et timent ne domi puniantur ob rem perditam, cœperunt criminari et accusare Carthaginienses, quasi domo digressi essent ante tempus.*

mines retinere B. K.—11 [*se esse vid.* Edit. Haverc.] *esse* delet N.—12 *Philæni* N.—13 *Carthaginiensibus* N.—14 *promittunt processuros* N.—15 *obruti sunt* N. —16 *instituti sunt* E. K. *constituti* M.—17 *ad inceptum redeo* K.

1 *coëgit* B. D. G. *coëgit* deleto *in unum* E.—2 *consuescere fecit* D.—

NOTÆ

[m] *Posteriores*] Intellige eos ad medium campum non pervenisse, Philænosque plus quam dimidiam partem itineris emensos fuisse, atque adeo magnam agri partem civibus diligentia sua lucrifecisse.

[n] *Pœni*] Carthaginienses, Pœni dicti, quasi Phœni, a Phœnicibus, unde originem ducebant.

[o] *Græci*] Cyrenenses, quos antea Græca esse origine vidimus.

[p] *Optionem*] *Ils leur donnèrent le choix.* Ita loquitur Terent. alicubi in fabularum prologis, cum dicit, *Vostrum judicium fecit*, pro, *vobis judicandum reliquit.*

[q] *Quos*] Hunc nota loquendi modum: sensus est apertissimus; sed phrasis extra ordinem constructionis.

[r] *Solitudines*] *Des déserts.*

ordines habere,[s] signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Præterea regis Bocchi proximos magnis muneribus, et majoribus promissis ad studium sui[3] perducit:[k] quis adjutoribus regem aggressus, impellit, uti adversum Romanos bellum suscipiat.[4] Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio[5] hujusce belli legatos Romam miserat, fœdus et amicitiam petitum. Quam rem opportunissimam incepto[6] bello[t] pauci[u] impediverant, cæci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Jugurthæ filia Bocchi[7] nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur: quod[8] singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges[9] eo amplius. Ita animus[v] multitudine distrahitur; nulla[w] pro socia[x] obtinet: pariter omnes viles sunt.

81. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. Ibi, fide data et accepta, Jugurtha Bocchi animum oratione accendit: 'Romanos[r] injustos, profunda avaritia, communes omnium hostes esse: eandem[y] illos causam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi: quis omnia regna adversa sint: tum sese, paulo ante Carthaginienses, item regem Persen,[n] post,[z]

[k] *Adducit ad sui studium familiares et amicos regis Bocchi magnis muneribus, et majoribus promissis.*

3 *producit* B. *instituit* K.—4 *incipiat* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. —5 *in initio* G. K.—6 [*belli* Edit. Haverc.] *bello* B. G.—7 [*Boccho* Edit. Haverc.] *Bocchi* C. F. H. I. K. M. N. Ed. Carr. sine dubio rectius.—8 [*quia* Edit. Haverc.] *quod* I.—9 *rex* B.

NOTÆ

[s] *Ordines habere*] *A garder leurs rangs.*

[t] *Bello*] Contra Jugurtham, scilicet; quia Bocchus vicinus erat.

[u] *Pauci*] Nobiles Romani.

[v] *Animus*] *L'affection.*

[w] *Nulla*] Mallem *nulla*, quam *nullam.*

[x] *Socia*] *Matrona, et matrefamilias,* ut apud Romanos.

[y] *Eandem*] Cupit Jugurtha, Bocchum intelligere, ipsi, perinde ac sibi, et aliis regibus Romanos hostes esse, quantumvis bellum non indixissent; quandoquidem una et eadem libidine in omnes successive insurgerent.

[n] *Persen*] Rex fuit Macedoniæ, quem Paulus Æmilius debellavit, et in triumphum duxit.

[z] *Post*] In quibusdam codicibus

uti quisque opulentissimus videatur,[2] ita Romanis hostem fore.'[l] His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum[3] iter constituunt: quod ibi Metellus prædam captivosque et impedimenta[4] locaverat. Ita Jugurtha[5] ratus, aut, capta[6] urbe, operæ pretium[a] fore; aut, si Romanus auxilio suis venisset, prælio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem[b] imminuere; ne moras[8] agitando, aliud, quam bellum, mallet.

82. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere,[1] neque, uti sæpe[2] jam victo Jugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, castris munitis, reges opperitur; melius ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo[3] pugnam facere. Interim Roma[4] per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam. Nam consulem factum, jam antea acceperat. Quibus rebus supra bonum atque honestum perculsus, neque lacrymas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alii in superbiam[c] vertebant: alii bonum ingenium contumelia accensum esse: multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur. Nobis satis cognitum,[5] illum magis[6] honore Marii, quam injuria

[l] Dicit Boccho, *Sese Jugurtham esse tum hostem Romanis, Carthaginienses fuisse hostes paulo ante, item regem Persen, post ita quemvis iis hostem fore, uti quisque videatur opulentissimus.*

1 *Romanos dicebat* M.—2 *videbatur* B. C. G.—3 *oppidum* delet M.—4 *et alia imp.* H. *et ipse imp.* M.—5 *est ratus* D.—6 *accepta* K.—7 *dux Romanus* A. B. K. N. *Rom. dux* G. H. L.—8 *ne mox agitando aliud* L.

1 *temere* delet A.—2 *sæpe* delet M.—3 *ex utilitate* N.—4 *Romæ* M. R. *per allatas lit.* N.—5 *compertum est* B.—6 *magis magisque* M.—7 *adepta* C. D. F.

NOTÆ

vox ista cum præcedente, nulla interposita virgula, colligatur; unde error in Chronologiam inducitur; siquidem Perses ante, non post Carthaginienses devictus est.

[a] *Operæ pretium*] Gall. *Que ce seroit un coup d'importance, et qui en vaudroit bien la peine.*

[b] *Pacem*] Id est, *In eum locum et statum Bocchum adducere, ut amplius non posset de pace cum Romanis ineunda cogitare.*

[c] *Superbiam*] Eam fuisse ex futilibus, quas addit, aliorum conjecturis, satis patet.

sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si ademta[7] provincia[8] alii, quam Mario, traderetur.

83. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiæ videbatur alienam[d] rem periculo succurrere, legatos ad Bocchum mittit,[1] postulatum, 'ne sine causa hostis populo Romano fieret: habere eum magnam copiam societatis amicitiæque conjungendæ, quæ potior[2] bello esset; quanquam opibus confideret, non debere incerta pro certis[3] mutare: omne bellum sumi facile, ceterum ægerrime[4] desinere: non in ejusdem[5] potestate initium ejus et finem esse: incipere cuivis, etiam ignavo[5] licere; deponi,[7] cum victores velint. Proinde sibi regnoque consuleret; neu florentes res suas cum Jugurthæ perditis misceret.'[e] Ad ea rex satis placide verba facit: 'sese pacem cupere, sed Jugurthæ fortunarum misereri; si eadem illi copia[f] fieret, omnia conventura.'[8] Rursus imperator contra postulata Bocchi nuncios mittit. Ille probare,[9] partim abnuere. Eo modo sæpe ab utroque missis remissisque nunciis tempus procedere, et, ex Metelli[g] voluntate, bellum intactum[10] trahi.

84. At Marius, ut supra diximus, cupientissima plebe Consul factus,[1] postquam ei provinciam Numidiam populus[2] jussit,[h] antea jam infestus nobilitati, tum vero [3]multus[i] atque

G. *arrepta sibi* M. *adempta pr. sibi* N.—8 *victoria* G.

1 *misit* H.—2 *quæ potiora bello essent* M.—3 *certa pro incertis* K.—4 *acerrime* K. L. M.—5 *in eadem* M.—6 *ignavo* M.—7 *deponi non nisi cum v. v.* A. N. *deponi autem nisi cum* B. *deponi non posse nisi v. v.* M.—8 *conventurum* M.—9 [*Ille prob. part. alia abnuere* Edit. Haverc.] *Illi partim pr. partim a. a.* B.—10 *intactum* delet H.

1 *factus est* K.—2 *dari jussit* G.—3 *inultus* M. N.—4 *quasi spolia* G. H. I.

NOTÆ

[d] *Alienam*] Gloriam, scilicet, et triumphum Marii.

[e] *Misceret*] Vide an non ab istis Romanis prudentiam nullo tuo periculo quærere possis.

[f] *Copia*] Id est, *Si fœdus cum Jugurtha quoque sanciretur.* Paulo obscurius expressit: sed Auctor noster quæ leviora sunt expedit, et ad eventum festinat.

[g] *Ex Metelli*] Illud est quod supra dixit, Stultitiæ videri rem alienam periculo suo curare.

[h] *Jussit*] Populus jubet, Senatus decernit.

[i] *Multus*] Id est, *acer, et in exagitanda nobilitate assiduus.*

ferox instare: singulos modo, modo universos lædere: dictitare, 'sese consulatum ex victis illis[4] spolia cepisse;'[m][5] alia præterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quæ bello opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque[6] arcessere: præterea ex Latio fortissimum quemque, plerosque[7] militiæ,[j] paucos fama[k] cognitos accire, et ambiendo[l] cogere homines emeritis[m] stipendiis [secum proficisci]. Neque illi senatus, quanquam adversus erat, de ullo negotio abnuere[8] audebat; ceterum supplementum etiam lætus[9] decreverat: quia neque plebi militia[10] volenti[11][n] putabatur, et Marius aut belli usum,[o] aut studium vulgi amissurus.[12] Sed ea res frustra sperata:[13] tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque præda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant:[14][n] et eos non paulum oratione sua Marius arrexerat.[o] Nam postquam, omnibus, quæ postulaverat, decretis, milites

[m] *Marius dictitabat sese cepisse Consulatum, tanquam spolia, ex illis victis.*

[n] *Quisque* credebat *sese fore locupletem præda, et rediturum victorem domum, alia hujusmodi animis volvebant.*

[o] *Et Marius non parum eos in spem erexerat oratione sua.*

M. N.—5 *accepisse* E.—6 *et sociis* M.—7 *pl. sibi mil.* F.—8 *negare* I.—9 *suppl. delectus decr.* N.—10 [*militiam* Edit. Haverc.] *militia* K. M.—11 *volente* E. G. I. K.—12 *Marium* deleto *et amissurum* E.—13 *sp. erat* E. *sp. est* H. K. *sp. fuit* N.—14 *trahebat* G. *trahebantur* H. *animo tr.* M.

NOTÆ

j *Militiæ*] Id est, *rei militaris peritia.* Gall. *Par ce qu'il avoit vu de leur expérience au métier de la guerre.*

k *Fama*] Nota, Non dicit Marium famæ credidisse, sed paucos accivisse, qui ea tantum clari essent. Bene sane, nam ut habet Poëta, fama *Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.*

l *Ambiendo*] Quia ad bellum, nisi in tumultu, legibus non cogebantur.

m *Emeritis*] Qui militant stipendia merentur; unde emeriti et veterani illi dicuntur qui stipendia impleverunt, atque id omne tempus militiæ dederunt, quod legibus constitutum est.

n *Volenti*] Phrasis est ex veteri Latinitate: id est, *Plerique credebant militiam populo minus placere.*

o *Belli usum*] Nobiles arbitrabantur, vel Marium infeliciter bellum sine supplementis administraturum; vel, ea si invito populo scriberet, ejus gratiam amissurum. Sed vide mihi, quæso, quantum periculum ex superbia, deinde discordia, Reipublicæ immineat.

scribere vult, hortandi causa simul, et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit:

85. ' Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere; et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse,[p] dehinc[1] per ignaviam et superbiam ætatem agere. Sed mihi contra ea[2] videtur. Nam quo universa respublica pluris est,[3] quam consulatus aut prætura, eo majore cura administrari, quam hæc peti debere.[q] Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare, simul, et ærario parcere; cogere ad militiam,[4] quos[p] nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantes,[q] factiosos, opinione,[r] Quirites, asperius est. Ad hoc,[5] alii si deliquere, vetus[6] nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et affinium opes, multæ clientelæ,[s] omnia hæc præsidio adsunt:[7] mihi spes omnes[8] in memet sitæ,[9] quas necesse est et virtute,[10] et innocentia tutari. Nam alia[t] infirma sunt. Et[u] illud intelligo, Quirites: omnium[v] ora in

[p] *Scio* eos *primo esse laboriosos, supplices, moderatos.*
[q] *Nam* mihi videtur, *quo universa Respublica pluris est quam Prætura aut Consulatus, illam debere administrari eo majore cura, quam hæc peti.*

1 *deinde* M.—2 [*ea* delet Edit. Haverc.] *contra ea* Mss. quidam et inter illos K. et L.—3 *Nam u. R. quanto pluris est quam* M. *Namque quanto pl. universa p. r. est quam* N.—4 [*ad mil. eos, quos* Edit. Havercamp.] *eos* delet C. —5 *Ad hæc* M.—6 *virtus* C.—7 *sunt* C. F. *illis adsunt* M. N.—8 *spes omnis* A. B.—9 *sitæ sunt* A. C. E. G. K. M. N.—10 *virtute* deleto *et* priore M.—

NOTÆ

[p] *Quos*] De populo ipso loquitur, apud quem orationem habebat, in qua plurima sunt certe, quæ non sine causa quivis memoriæ mandet.

[q] *Occursantes*] De nobilibus agit, qui novorum hominum conatibus semper resistebant.

[r] *Opinione*] Gall. *C'est une chose plus fâcheuse qu'on ne pense.*

[s] *Clientelæ*] Ita vocantur civitates seu multitudines hominum, quæ alicui potenti adhærent, ejusque patrocinio utuntur.

[t] *Alia*] Dicit se neque cognatos, neque clientelas, neque id genus alia habere, sed sola virtute niti.

[u] *Et*] Gall. diceremus, *Je sais d'autre part.* Particularum vim ante omnia cognoscere debet quisquis alicujus linguæ accuratam notitiam habere cupit.

[v] *Omnium*] Vestrum, scilicet, qui ex plebe estis.

me conversa[w] esse: æquos bonosque [11]favere: quippe benefacta mea reipublicæ procedunt; nobilitatem locum[12] invadendi quærere.[r] Quo mihi acrius annitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra[13] sint.[s] Ita ad hoc ætatis a pueritia fui, ut omnes labores, [14]pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito[15] faciebam, ea uti, accepta mercede,[x] deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus[16] temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere:[t] mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex consuetudine in naturam[y] vertit.[17] Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis; quam rem nobilitas ægerrime tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutare melius sit, si quem ex illo globo[z] nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum,[a] et [18]nullius[b] stipendii: scilicet[19] ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii.[u] Ita plerumque evenit, ut quem vos imperare jussistis, is imperatorem alium quærat. Ac[20] ego scio, Quirites, qui postquam

[r] *Intelligo nobilitatem quærere occasionem sibi vindicandi dominationem.*

[s] *Quapropter mihi vehementius annitendum est, uti neque vos in fraudem incidatis, et illi frustra sint.*

[t] *Difficile est illis modeste sese gerere in potestatibus, qui se probos simulaverunt, dum ambibant.*

[u] *Sumat aliquem ex populo, qui de officio suo admoneat.*

11 *mihi favere* M.—12 *locum me i. q.* C. *l. i. me qu.* M.—13 *frustrati sint* F. H. I. M. N.—14 *et pericula* C.—15 *gratuita* F.—16 *in potestate* H.—17 *vertitur* A. C. E. F. G. H. K.—18 *nullius stip.* deleto *et* M.—19 *solus ut in t. r.* N.—20 *Atque ego* G. H. I. K. L. M.—*atque ego s. quosdam qui* N—21 *gerere consu-*

NOTÆ

[w] *Conversa*] Id est, *qui omnia bona a me expectatis.*

[x] *Mercede*] Consulatu, videlicet, et in eum exercitum imperio, qui in Numidia est.

[y] *In naturam*] Istud maxime homines ad virtutis habitum inflammare debet.

[z] *Globo*] Istud est valde invidiosum.

[a] *Imaginum*] Antea vidimus moris fuisse, Majorum imagines habere. Per imagines vero, veterem prosapiam intelligit, quam deridet.

[b] *Nullius*] Id est, *qui nunquam fuit in exercitu.*

[c] *Præposteri*] Ita vocantur qui, quod primum est, ultimum; quod ultimum, primum exequuntur.

Consules facti sunt, acta majorum[v] et Græcorum militaria præcepta legere cœperint; homines præposteri.[c] Nam[21] gerere,[d] quam fieri posterius, re atque usu prius est.[w] Comparate nunc,[22] Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire et legere solent eorum partim vidi, alia egomet gessi: quæ illi literis, ego militando didici. Nunc vos existimate, facta an dicta pluris[23] sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur, quanquam ego naturam unam et communem omnium existimo, sed[24] fortissimum quemque[25] generosissimum.[26] [e] Ac si jam ex patribus[27] Albini, aut Bestiæ quæri posset, mene, an illos ex se[28] gigni maluerint; quid responsuros creditis, nisi, sese[29] liberos quam optimos voluisse? Quod si jure me despiciunt, faciunt[f] idem[30] majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit.[31] Invident honori meo; ergo invideant[g] et labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi.[32] Verum homines corrupti superbia ita[33] ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos[34] petunt, quasi honeste vixerint. Ne[35] illi falsi sunt, qui diversissimas res pariter expectant,[36] ignaviæ voluptatem, et præmia[h] virtutis. Atque etiam cum

[v] *At ego quosdam cognosco, Quirites, qui postquam Consules facti sunt, cœperint legere acta majorum, &c.*

[w] *Nam Gerere* Imperium *est prius re et experientia, quam Fieri* Imperator, quod est *tempore posterius.*

latum q. fi. consulem M.—22 *me Quirites* C. *quæso o Quirites* F.—23 *pl. pretii sint* M.—24 *tamen f. q.* I.—25 *quemque scio* B. C.—26 *generosissimum esse* A. C. E. F. G.—27 *partibus* A. B.—28 *ex sese* M.—29 *ex sese* M.—30 *et de maj. s.* M.—31 *incepit* F. *cœpit esse* K. M.—32 *accepi* E.—33 *est ita* F.—34 *hos honores* M.—35 *Nonne* B. G. *Ne i. f. sint* H. *Ne non* F. K. *certe illi* I.—36 *ex-*

NOTÆ

[d] *Nam gerere*] Sensus est, ni fallor, Viro opus esse ante bonas artes, quæ ad imperium aliquod gerendum requiruntur, didicisse et exercuisse, quam publico suffragio illud administret, aut ad id promoveatur.

[e] *Generosissimum*] Perinde est ac si dixisset, virtute veram nobilitatem comparari.

[f] *Faciunt*] Id est, *Majores quoque suos despiciunt.*

[g] *Invideant*] Nobilitatis carpit ignaviam, quasi dicat, *Cur non pariter illi sese objectant periculis? Cur non laborant? &c.*

[h] *Præmia*] Attende, quæso, ad Marii scopum: Virtuti sicut et ignaviæ, delicias suas esse dicit; sed quæ il-

apud vos, aut in senatu verba faciunt, pleraque[37] oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese[38] putant: quod contra. Nam quantum[39] vita illorum præclarior,[40] tanto horum secordia[41] flagitiosior. Et profecto ita se res habet:[42] majorum gloria posteris lumen est, neque bona neque mala in occulto patitur. Hujusce[43] rei ego inopiam patior, Quirites; verum id, quod[44] multo præclarius est, meamet facta dicere[45] licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet,[i] quia imagines non habeo, et[46] quia mihi nova nobilitas est; quam[j] certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem[47] ego non ignoro, si jam respondere velint, abunde illis facundam[48] et compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, cum[49] omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam[50] in conscientiam[k] duceret. Nam me quidem, ex animi[l] sententia, nulla oratio lædere potest. Quippe vera[1] necesse est bene prædicet; falsam vita moresque mei superant.[x] [m] Sed quo-

[x] *Nam si* oratio *vera est, necesse est bene* de me *prædicet; vita* vero, *et mores mei superant falsam* orationem.

petunt E. *affectant* N.—37 *maxima orat.* F. *plerique or.* H.—38 *clar. esse p.* N.—39 [*quanto* Edit. Haverc.] *quantum* B.—40 *pr. est* F.—41 *socordia* A. B. C. E. G. H. I. K. L.—42 *habent* M.—43 *Hujuscemodi* A. E. F. M.—44 *Verum id multo præclarius* F.—45 *mea facta* C. *meamet facta qui (f. cui) licet* M.—46 *aut quia* G.—47 *Ego quidem n. i.* N.—48 *facundiam* F. G. H. I. K. L. M. N.—49 *in omn. locis* M. *lacerarent* G.—50 *modestiam meam* N.

1 *sincera* D.—2 *reputate cum animo* F. *r. c. animis vestris* K. M. *jam. r. n. e.*

NOTÆ

lius sunt ita ab his differre, ut nullus simul utriusque possit commoditatibus et oblectamentis gaudere. At enim voluptatis nomine, sicuti infames et obtusas notavit socordiæ dulcedines; ita vero præmii appellatione honestas et viriles virtutis illecebras insignit. Utinam omnibus hæc nota esset differentia! Qui volet ea causa Cebetis tabulam videbit.

[i] *Scilicet*] Sæpius de imaginibus loquitur; quia nobiles quantam inde fovebant superbiam, tantam illis invidem conciliat invidiam.

[j] *Quam*] Vis quædam latet et aculeus sub ista brevi, et festinante Marii responsione, quam omnes non sentiunt.

[k] *Modestiam*] Id est, *ne quis, si omnino tacuissem, ideo me non respondere crederet, quod conscientia aliquid exprobraret.*

[l] *Ex animi*] Id est, *quo modo virtute mentem et animum composui.*

[m] *Superant*] Beatus est certe, qui, conscius recti, infractus et intactus

niam vestra consilia accusantur, qui[n] mihi summum honorem, et maximum negotium imposuistis : etiam atque etiam reputate,[2] num id[3] pœnitendum[o] sit. Non possum fidei causa[p] imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare ;[4] at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras,[q] alia[5] militaria dona ; præterea cicatrices adverso[r] corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc[6] nobilitas, non hæreditate relicta, ut illa[7] illis, sed quæ[8] ego plurimis laboribus et periculis quæsivi. Non sunt composita[s] verba mea : parum[9] id facio ; ipsa se virtus satis ostendit : illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant. Neque literas Græcas didici : [10]parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus[t] nihil profuerunt.[11] At illa[12] multo optima reipublicæ doctus sum : hostem[13] ferire, præsidia agitare ;[u] nihil metuere, nisi turpem famam ; hyemem et[14] æstatem juxta pati ; humi requiescere ; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His[v] ego præceptis milites hortabor : neque illos arcte[w] colam, me opulenter ; neque

N.—3 [*n. eorum pœn.* Edit. Haverc.] *n. e. consiliorum* I.—4 *ostendere* F. H.—5 *aut alia* E. *et alia* M. *atque m. d.* N.—6 *hæc est nob.* C. E. *hæc nob. est* F.—7 *ut illa est illis* D.—8 *quam* K.—9 [*parvi* Edit. Haverc.] *parum i. f.* Mss. omnes.—10 *quia non p.* K.—11 *profuerant* B. N.—12 *At m. i. opportuna Reip.* F. *At illa multoque oportuna* M.—13 *hostes* I.—14 *et* delet M.—15 *hoc est c. imp.* C. E. F.

NOTÆ

famæ mendacia, vere et ex animo ridere potest : infelix qui aliquatenus saltem non potest. Famæ approbatio maximum est bonum, sed plerumque fortunæ donum ; quodque adeo, ut ejus omnia, neque nimis quærere, neque nimis contemnere, sed quale est ferre decet.

[n] *Qui*] Constructio est extraordinaria ; refertur enim relativum ad rem intellectam, non ad nomen.

[o] *Pœnitendum*] Id est, *Mutandum.* Metonymia est.

[p] *Fidei causa*] Id est, *ut vobis ea probem quæ de me prædico.*

[q] *Phaleras*] Phaleræ quanquam sæpius pro ornamentis equorum veniunt, sunt tamen etiam virorum nobilium, et virtute bellica conspicuorum insignia.

[r] *Adverso*] Id est, *quæ, dum ego strenue hostes ferirem, vulneratum me esse, indicant.*

[s] *Composita*] *Prout dicunt nobiles,* scilicet. Nam oratio tota est ad eos insectandos.

[t] *Doctoribus*] Græci enim a Romanis victi sunt.

[u] *Agitare*] *Savoir faire une bonne garde, ou, commander à une Garnison.*

[v] *His*] Sunt illi optimi præceptores qui rebus et exemplis docent ; non qui vana et futili sua loquacitate, quicquid refugiunt ipsi, aliis imperant.

[w] *Arcte*] Id est, *Militibus ea minus præbendo quæ ad vitam necessaria sunt ; sicuti factum ab aliis Imperatoribus.*

gloriam meam laborem illorum faciam.[y] Hoc est utile, hoc[15] civile[x] imperium. Namque[16] cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id[17] est, dominum,[y] non imperatorem esse. Hæc atque talia majores vestri[18] faciendo seque remque publicam celebravere. Quis[z] nobilitas freta, ipsa[19] dissimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit; et omnes[20] honores non ex merito, sed quasi debitos[a] a vobis repetit.[21] Ceterum homines superbissimi procul errant. Majores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere,[z] divitias, imagines, memoriam sui præclaram:[22] virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt; quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris[b] pretii coquum, quam villicum,[c] habeo. Quæ mihi lubet confiteri. Nam ex parente[23] meo, et ex sanctis[d] viris ita accepi, munditias mulieribus,[e] viris laborem[f] convenire, omnibusque bonis[24] oportere[25] plus gloriæ, quam divitiarum; arma, non supellectilem decori esse. Quin ergo quod juvat, quod carum [26]æstimant, id semper faciant: ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissimæ parti corpo-

y *Neque mihi gloriam parabo ex labore ipsorum.*
z *Majores eorum reliquerunt illis omnia quæ potuerunt.*

H. I.—16 *Nam* N.—17 *idem* N. Edd. quædam *hoc est*.—18 *nostri* N.—19 *his d. m.* N.—20 *omnes* delet H.—21 *repetunt* B. M.—22 *tamen virtutem n. r.* M.—23 *ex patre meo* M.—24 *bonis viris* D. *que* delet N.—25 *convenire* M.—26 *acquirere*

NOTÆ

x *Civile*] Id est, *honestum, quodque liberos homines deceat.*

y *Dominum*] Refertur vox ista ad servum; quasi dicat alios Imperatores tyrannorum more, militibus, tanquam servis, imperitasse.

z *Quis*] Majoribus, scilicet.

a *Debitos*] Supple, *Quoquo modo illi vixerint.*

b *Pluris*] Scilicet illis Dominis, undique coqui conquirendi sunt, quibus egregie palatus sapiat. Non illud dicit Marius adversus nobiles, sed intelligitur.

c *Villicum*] Servus erat qui aliis in villa præerat.

d *Sanctis*] Sanctus is dicitur, qui quod sancitum est servat, qui secundum leges vivit. Non idem est quem nos *Saint* dicimus.

e *Mulieribus*] Id est, *Effœminatis*, si Marium nobiles acrius vellicasse credas.

f *Laborem*] Si in ea tempora, aut eos homines incidissemus, quanta suavitas in vita esset!

ris: sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se[27] omnibus flagitiis dedecoravere turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita injustissime[g] luxuria et ignavia, pessimæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt; reipublicæ innoxiæ cladi sunt.[a] Nunc quoniam illis, quantum[h] mores mei, non illorum flagitia, poscebant, respondi; pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote[28] animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tuta[29] sunt, omnia removistis, avaritiam,[i] imperitiam,[30] superbiam. Deinde exercitus ibi est, locorum sciens; sed mehercule magis[31] strenuus,[32] quam felix. Nam magna pars avaritia, aut temeritate ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus[j] militaris ætas, annitimini mecum[33] et capessite rempublicam: neque quenquam[34] ex calamitate[k] aliorum, aut imperatorum[35] superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in[36] prælio consultor idem, et socius periculi vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, Dis juvantibus, omnia matura[37] sunt,[b] victoria, præda, laus: quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicæ subvenire decebat.[38] Ete-

[a] *Eo modo, per maximam injustitiam, luxuria et ignavia pessimæ artes nihil nocent illis, qui eas coluerunt, sunt detrimento et ruinæ Republicæ innoxiæ.*
[b] *Omnia sunt prona et facilia.*

existimatur M.—27 *ubi sese* M.—28 *habete* B. D. E. F. G. H. I. L. M.—29 [*tutata sunt* Edit. Haverc.] *tuta sunt* F. I. Ed. Carr.—30 *atque superbiam* A. B. C. D. E. G. H. I. K. N.—31 *sed me hercule adjuvantem. s.* M.—32 *strenuus est* A. —33 *mecum* delet H.—34 *quemquam vestrum* M.—35 *imperatoris* H.—36 *aut in pr.* D. E. F. K. L. N.—37 *omnia prospera sunt* M.—38 [*decet* Edit. Haverc.]

NOTÆ

[g] *Injustissime*] Istud diligenter observandum est; nam luxuria et ignavia, quando in Republica coëunt, illi necessario pestem important.

[h] *Quantum*] Ita vero quisque magis quid se dignum sit, quam quid in alios fieri possit, consulere debet; eademque opera sæpissime luctum, semper vero magnam curam, magnumque laborem sibi demserit.

[i] *Avaritiam*] Bestiam, Aulum, et Metellum ordine carpit; deinde sibi, quanquam indirecte, laudem maximam tribuit.

[j] *Quibus*] Antea vidimus Populi voluntatem ad militiam non inclinatam fuisse.

[k] *Calamitate*] Causam removet qua militiam Populus detrectabat, dum spem injicit, non, ipso imperante, futurum, ut quisquam inopia commeatuum, aut ducis injuria pereat.

nim ignavia nemo immortalis factus:[39] neque quisquam parens liberis, uti æterni[40] forent, optavit; [41]magis, uti boni honestique vitam exigerent.[42] Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abunde[43] dictum puto.'

86. Hujuscemodi oratione habita, Marius postquam plebis animos arrectos[1] videt, propere commeatu, stipendio, armis, aliis[2] utilibus naves onerat: cum his A. Manlium legatum[3] proficisci jubet. Ipse interea milites scribere non more majorum, neque ex classibus,[l] sed uti cujusque lubido erat, capite censos[m] plerosque. Id factum alii inopia bonorum,[n] alii per ambitionem consulis memorabant; quod[4] ab eo genere celebratus auctusque erat; et homini potentiam quærenti egentissimus quisque opportunissimus:[5] cui neque sua curæ,[6] quippe quæ nulla sunt, et omnia cum pretio[o] honesta videntur. Igitur Marius cum majore aliquanto numero, quam decretum erat, in Africam profectus, diebus paucis Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato; nam Metellus conspectum[7] Marii fugerat:[8] ne videret ea, quæ audita[9] animus tolerare nequiverat.[c]

87. Sed consul, expletis legionibus[p] cohortibusque auxi-

[c] *Ne videret ea, quæ animus nequiverat tolerare, cum ab ipso audita fuerant.*

decebat B. G. L.—39 *factus est* F. G. I. K. L—40 *æterni ignavia forent* N.—41 *magis* K.—42 *agerent* F.—43 *abunde esse d. p.* A.

1 *erectos* K. M.—2 *aliis talibus* C. *aliisque talibus bello* M.—3 *legatum* delet C. L.—4 *nam* I.—5 *oportuniss. erat* C. E. G. I. N. *oportuniss. est* F.—6 *caræ essent* A. *caræ* F. I. K. L. M.—7 *ex conspectu* F.—8 *profugerat* K.—9 *auditu* M.

NOTÆ

[l] *Classibus*] Servius Tullius, qui primus censum instituit, pro ejus ratione universum populum in classes et centurias descripsit et divisit. Classes quinque fuerunt; pro majoris aut minoris census æstimatione, nulla habita fere ratione multitudinis quæ ab omnibus oneribus, et militari opera immunis erat, quanquam numero quinque reliquas classes æquaret.

[m] *Capite censos*] Ita vocabantur quorum census nullus erat, seu multitudo illa de qua modo, quæ sextam classem faciebat; sed vix in numerum relatam, ut, vel ex hoc Sallustii loco, cernere licet.

[n] *Bonorum*] Id est, *eorum hominum qui aliquo in numero fuissent.*

[o] *Omnia cum pretio*] Id est, *omnia quæ cum lucro conjuncta sunt.*

[p] *Legionibus*] Romanorum, scilicet: sed illud vox ipsa exprimit.

liariis, in agrum fertilem et præda onustum proficiscitur. Omnia ibi capta[1] militibus donat. Dein castella[2] et oppida natura et viris parum munita aggreditur: prælia multa, ceterum alia levia aliis locis facere.[d] Interim novi milites sine metu pugnæ adesse: videre fugientes capi, occidi;[3] fortissimum[4] quemque tutissimum:[5] armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi: gloriam atque divitias quæri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere,[q] et virtus omnium æqualis facta.[6] At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, diversi in locos difficiles abeunt. Ita Jugurthæ placuerat, speranti, mox effusos hostes invadi posse; Romanos, sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.[7]

88. Metellus interea Romam profectus, contra spem suam, lætissimis animis excipitur:[1] plebi patribusque, postquam invidia[r] decesserat, juxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere; cognoscere quid boni utrisque, aut[2] contra esset; explorare itinera regum,[3] consilia et insidias antevenire: nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque Gætulos, et Jugurtham ex sociis nostris prædam[4] agentes, sæpe aggressus itinere[5] fuderat,[e] ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quæ postquam gloriosa modo,[6] neque belli patrandi[7] cognovit, statuit urbes, quæ viris aut loco pro

[d] *Fecit multa prælia, ceterum alia levia, diversis locis.*

[e] *Aggressus Gætulos et Jugurtham in itinere, qui prædas agebant de sociis nostris, sæpe eos fuderat.*

1 *capit* D.—2 *castra* E.—3 [*aut occidi* Edit. Haverc.] *aut cædi* F.—4 *firmissimum.*—5 *esse tutiss.* M.—6 *facta est* A. E. M. N.—7 *futuros esse* E.

1 [*accipitur* Edit. Haverc.] *excipitur* D. K.—2 *aut quid c. e.* N.—3 *hostium* F.—4 [*prædas* Edit. Haverc.] *prædam* F.—5 *in itinere* B. C. E. G. H. I. K. L. M.—6 *modo facta sunt* C. F. I. M.—7 *b. p. copiam* D. F. H. I. K. L. *esse*

NOTÆ

[q] *Coaluere*] Id est, *unum, et ejusdem naturæ corpus, facti sunt.*

[r] *Invidia*] Quia, scilicet, imperio spoliatus fuerat. Videant vero illi quorsum evadat superbia, qui sine virtute magnifice per omnium ora ambulant. Metellum summum virum, auctoritate Senatus innixum, omnibus gratum, de gloriæ summo fastigio dejecit; usque adeo invidiosum et ruinosum est quod nimium est.

hostibus, et adversum se opportunissimæ erant, singulas circumvenire:[f] ita[8] Jugurtham aut præsidiis nudatum,[9] si ea pateretur, aut prælio certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum sæpe miserat, 'velle populi Romani amicitiam, ne quid ab se hostile timeret.' Id simulaveritne, quo[10] improvisus gravius[11] accideret, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus,[12] parum exploratum.[g]

89. Sed Consul, uti statuerat,[1] oppida castellaque munita adire: partim[2] vi, alia metu, aut præmia ostentando avertere ab hostibus.[h] Ac primo mediocria[s] gerebat, existimans, Jugurtham ob suos tutandos in[3] manus venturum. Sed ubi procul abesse, et aliis negotiis intentum accepit; majora et[4] aspera aggredi tempus visum.[5] Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa; cujus conditor Hercules Libys memorabatur.[6] Ejus cives apud Jugurtham immunes,[7] levi[t] imperio, et ob ea fidelissimi habebantur: muniti adversum hostes non mœnibus modo, et[8] armis atque viris, multo magis locorum asperitate. Nam, præter[9] oppido propinqua,[10] alia omnia vasta, inculta,[11] egentia aquæ, infesta[12] serpentibus: quarum[13] vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior.[14] Adhoc[15] natura serpentium ipsa perniciosa siti magis, quam alia re, accenditur.[i] Ejus

[f] *Quæ, postquam* Marius *videt esse tantum gloriosa, neque ad bellum finiendum spectare, statuit singulas urbes circumvenire, quæ viris, aut loco erant opportunissimæ hostibus, et sibi adversæ.*

[g] *Parum cognitum est, an id simulaverit, ut accederet gravior, cum de improviso* accederet; *an quia solitus erat, ex mobilitate et levitate ingenii mutare pacem atque bellum, et modo hoc, modo illam sequi.*

[h] *Hostibus adimebat, et ab iis alienabat* oppida et castella.

[i] *Præterea natura serpentium per se perniciosa, accenditur magis siti quam re alia.*

b, p. N.—8 *Ita ratus &c.*—9 *nudandum* I. 10 *Id an sim. qua i. g.* M.—11 [*gravior* Edit. Haverc.] *gravius* F. N.—12 *solitus esset* C. G. *solitus erat* F.

1 *constituerat* C.—2 *partimque* F.—3 *ad manus* N.—4 [*et magis aspera* Edit. Haverc.] *magis* delet F.—5 *ei visum est* A.—6 *memoratur* G.—7 *inmunes erant* N.—8 *et* M.—9 *loca opp. pr.* E. G.—10 *propinqua loca* B. F. *pr. loca natura et e. a.* M.—11 *inculta erant* M.—12 *atque infesta* F.—13 *quorum* A. B. C.—14

NOTÆ

[s] *Mediocria*] Non statim difficilia aggressus est, ne forte difficultatibus circumventus a Jugurtha opprimeretur.

[t] *Levi*] Quibus gravia non imperabantur.

potiendi Marium maxima cupido invaserat; cum[16] propter usum belli, tum quia res aspera videbatur; et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter[17] situm munitumque: nisi quod apud Thalam haud longe a mœnibus aliquot fontes erant; Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, jugi[u] aqua, cetera[v] pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, qui procul a mari[18] incultius agebant,[19] eo facilius tolerabatur, quia Numidæ plerumque[20] lacte et ferina carne vescebantur,[k] neque[21] salem, neque alia irritamenta[w] gulæ quærebant: cibus illis adversum famem atque sitim, non lubidini, neque luxuriæ erat.

90. Igitur Consul, omnibus[1] exploratis, credo, Dis fretus, (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat:[3] quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidæ pabulo pecoris magis, quam arvo[x] student, et quodcumque natum fuerat, jussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate;[4] nam æstatis extremum erat;) tamen pro rei copia satis providenter exornat:[5] pecus[6] omne, quod superioribus diebus prædæ fuerat, equitibus auxiliariis agendum[y] attribuit; A. Manlium[7] legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris,[z] ubi stipendium et commeatum locaverat, ire jubet, se prædabundum post paucos dies eodem venturum.[l] Sic[8] incepto suo occulto pergit ad flumen Tanam.[9]

[k] *Aquæ inopia tolerabatur facilius, et ibi, et inter omnes Afros, qui procul a mari incultius vivebant, quia Numidæ plerumque lacte et carne ferina vescebantur.*
[l] *Et dicit, se inter prædandum eo venturum post paucos dies.*

asperior D.—15 *Ad hæc* H.—16 *tum* F.—17 *haud aliter s.* M.—18 [*a mare* Edit. Haverc.] *a mari* C. D. E. F. G. H. I. K. L.—19 [*agebat* Edit. Haverc.] *agebatur* A.—20 *plerique* M.—21 *et neque s.* H. L.
1 *omnibus rebus* M.—3 *possit* A. *nequiverat* F.—4 *ea temp. erat* F. *erat e. t.* M.—5 *se exornat* N.—6 *pecusque* E.—7 *Mallium* F.—8 *Sed* C.—9 Mss. passim *Tanaim*.

NOTÆ

[u] *Jugi*] *Quæ indesinenter scaturiebat et fluebat.*
[v] *Cetera*] Adverbialiter positum: Quoad cetera.
[w] *Irritamenta*] Ita vocantur aromata, et quæcumque palatum vellicant.
[x] *Arvo*] Id est, *agriculturæ.*
[y] *Agendum*] *Afin qu'ils les touchassent devant eux.*

91. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas[1] æqualiter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent, curabat: simul et[2] inopiam frumenti lenire,[a] et, ignaris omnibus, parare, quæ mox[b] usui[3] forent. Denique sexto die, cum ad flumen ventum est,[4] maxima vis utrium effecta.[5] Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere,[6] atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse jubet: omnibus[7] sarcinis abjectis, aqua modo seque et jumenta onerare.[8] Dein,[9] postquam tempus visum,[10] castris egreditur, noctemque[11] totam itinere facto, consedit.[m] Idem proxima[12] facit. Dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultissime potest, cum omnibus copiis[13] opperitur. Sed ubi dies cœpit, et Numidæ nihil hostile metuentes multi oppido egressi;[14] repente omnem equitatum, et cum his velocissimos pedites cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere jubet: deinde ipse intentus propere sequi,[15] neque milites prædari[16] sinere. Quæ postquam oppidani cognovere; res trepidæ,[c] metus ingens, malum improvisum, ad hoc[17] pars civium extra mœnia in hostium potestate,[18] coëgere,[19] uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum: Numidæ puberes interfecti;[20] alii omnes venum dati: præda militibus divisa.[21] Id facinus contra jus[d] belli, non avaritia, neque[22] scelere Consulis ad-

[m] *Et castra posuit, postquam per totam noctem iter fecisset.*

1 *turmas XXX.* M. *turmas triginta* N.—2 *simul inopiam* N.—3 *usui bello* A.—4 *est* delet H.—5 *effecta est* B. D. E. F. G. M. N.—6 *capere jubet* G.—7 *omn. aliis sarc. abj.* E.—8 *oneravere* N.—9 *denique* F. G. *dehinc* K.—10 *visum est* A. B. C. D. E. G. H. I. K. L.—11 *noctemque per totam* M. N.—12 *pr. nocte deinde et t. nocte* N.—13 *diem opperitur* F. M. N.—14 *e. sunt* G. K. M.—15 *sequitur* N.—16 *præliari* A. *prædari sinebat* N.—17 *adhinc* H.—18 *in h. p. deprehensa* B. E.—19 *cogere suos* F.—20 *interemti* D. *interfecti sunt* F.—21

NOTÆ

[z] *Laris*] In Genitivo, nam ita locutos fuisse aliquando, compertum est. Ceterum in quibusdam codicibus invenitur, *Larim*.

[a] *Lenire*] Pecora mactando simul inopiam frumenti leniebat, et coria quibus utres fierent, parabat.

[b] *Mox*] Ad aquam continendam.

[c] *Trepidæ*] Quomodo, calamitatibus derepente ingruentibus, evenire solet: per tumultum omnia dum simul aguntur, ea festinatione nihil promovetur.

missum;[23] sed[e] quia locus Jugurthæ [24]opportunus, nobis aditu difficilis: genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coërcitum.

92. Postquam tantam rem Marius, sine ullo suorum incommodo patravit;[1] magnus et clarus antea, major et[2] clarior haberi cœpit. Omnia non bene consulta[3] in virtutem[f] trahebantur: milites modesto imperio habiti simul, et locupletes ad cœlum ferre:[n] Numidæ magis, quam[4] mortalem timere: postremo omnes[5] socii atque hostes credere illi aut mentem divinam, aut Deorum nutu cuncta portendi. Sed Consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca,[6] repugnantibus Numidis, capit; plura deserta,[g] propter Capsensium miserias, igni[7] corrumpit: luctu atque cæde omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, ad aliam rem aggreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem.[o]

[n] *Milites liberaliter tractati, simul et locupletes,* Marium *ad cœlum ferebant.*

[o] *Aggreditur aliam rem, non eadem asperitate septam, qua* fuerat *res Capsensium, ceterum non minus difficilem.*

divisa est G. N.—22 *non scel.* H.—23 *admissum est* A. N.—24 *erat opportunus* E.

1 *peregit* A. B. D. E. F. H. K. M. N. abest L.—2 *magisque clarior* N.—3 *Omnia n. b. c. verum etiam casu data in v. tr.* A. *omnia n. b. c. modo veram etiam casu data v. tr.* C.—4 *quam quemquam m. t.* N.—5 *cives, socii a. h.* M.—6 *pauca loca* F.—7 *igni* delet E.—8 [*Muluchæ* Edit. Haverc.] *Mulucha* A. B. C. D. E.

NOTÆ

[d] *Contra jus*] Jus hoc in loco, rigide non est exponendum, sed Auctoris sensu, pro eo quod vulgo faciebant Romani, ut supplicibus et dedititiis parcerent: alias, si per jus plane id omne intelligas contra quod nemo facere audeat, scelus profecto fuerit a Mario patratum, cum Capsa incensa est. Verum Capsenses, cum satis constet dedititios sine ulla pactione fuisse, Mario, pro illo summo et absoluto belli jure, licuit, de suis sedibus deturbare, vendere, &c.

[e] *Sed*] Hinc vides Sallustium jus belli ex eo quod Victori bonum et commodum, hosti perniciosum et exitiosum est, constituere.

[f] *In virtutem*] Ita evenit inter homines; sapientes vulgo creduntur quibus fortuna favet, desipientes quibus restat. Nimirum pauci cum sapiant, omnes tamen loquantur, sed maxime plebs garrula, eventus, stultorum magister, sibi omnia vindicat. Hinc qua cautione publica negotia suscipiat, videbit qui sibi bene cupiet.

[g] *Deserta*] Scilicet, calamitatis fama, quæ Capsenses protriverat, late omnes suis domibus expulerat.

Namque haud longe a flumine Mulucha,[8] quod Jugurthæ Bocchique regnum[9] disjungebat, erat inter ceteram[10] planitiem mons saxeus, mediocri castello[h] satis patens,[11] in immensum[12] editus, uno [13]perangusto aditu relicto: nam omnis[14] natura, velut opere atque consulto præceps.[15p] Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio, melius gesta:[16] nam [17]castello virorum atque armorum satis, magna vis[18] frumenti et fons aquæ: aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, utrimque præcisum.[q] Vineæ cum ingenti periculo frustra[19] agebantur. Nam cum eæ paulum processerant,[20] igni,[21] aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci;[r] neque inter vineas sine periculo[i] administrare: optimus quisque cadere, aut sauciari; ceteris metus augeri.

93. At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, anxius trahere cum animo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat; an fortunam[s] opperiretur,[j] qua sæpe prospere usus.[1] Quæ cum multos dies, noctes æstuans agitaret, forte quidam Ligus,[k] ex cohortibus auxiliariis miles gregarius,

[p] *Nam* ibi per *omnia* loca *natura erat præceps quasi opere, atque de industria.*
[q] *Iter eorum hominum qui castellum incolebant erat admodum angustum, et ex utroque latere abruptum.*
[r] *Milites neque* poterant *consistere ad opus faciendum, propter iniquitatem loci.*
[s] *At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, maxime solicitus multo cum labore animo suo volvebat, desereretne quod inceperat, quoniam non procedebat, an expectaret fortunam.*

F. G. H. I. *Muluca* M. N.—9 *regna* M.—10 *ceteram* abest A.—11 *potens* F.—12 *in universum* B.—13 *per omnia* A. E. G. N.—14 *omnia* L. *per omnia alia v. o.* M.—15 *præceps erat* A. C. H. I. N.—16 *gesta est* D. E. K. M. N.—17 *in castello* E. F. H. I. M. N.—18 *vis erat* D. M. N.—19 *frustra* delet I. *agitabantur* A. I.—20 *processissent* C. *ita processerant* M. *ex plano pro o.* F. *ex plano propere* M.—21 *igni vi a. l. aut aliis corr.* N.

NOTÆ

[h] *Castello*] Florus urbem fuisse dicit.

[i] *Sine periculo*] Quia vineæ igne et lapidibus subruebantur.

[j] *Opperiretur*] Non possunt istud non mirari qui fortunæ auram non senserunt.

[k] *Ligus*] Qui erat ex Liguria. *Un Genois.*

castris aquatum[2] egressus, haud procul ab latere castelli, quod aversum præliantibus erat, animum advertit inter saxa repentes cochleas:[t] quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret,[4] studio legendi paulatim prope[5] ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humani ingenii,[6] cupido ignara visendi invadit.[7] Et[8] forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum modo prona,[1] dein flexa[9] atque aucta[10] in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cujus ramis modo, modo[11] eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit;[12] [m] quod cuncti Numidæ intenti præliantibus aderant. Exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eadem[13] regreditur, non temere, uti escenderat,[14] sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit;[15] acta edocet, hortatur, ab[16] ea parte, qua ipse escenderat,[17] castellum[18] tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem.[19] Marius cum Ligure, promissa cognitum, ex præsentibus misit:[20] [u] quorum uti cujusque[n] ingenium erat, ita rem diffi-

[t] *Quæ cum per multos dies et noctes* Marius *volveret, cum animi maxima fluctuatione et agitatione, forte quidam Ligus, miles gregarius ex cohortibus auxiliariis, qui castris egressus erat ad petendam aquam, animadvertit cochleas repentes inter saxa, non procul ab latere castelli, quod oppositum erat* lateri, *ubi prælium erat.*

[u] *Marius misit* quosdam *ex præsentibus cum Ligure, ad cognoscendum promissa ejus.*

1 [*usus fuerat* Edit. Haverc.] *usus erat* H.—2 *aliquantum* A. B. *adaquatum* D. G. *aquatum equos* N.—4 *caperet* M.—5 *prope* delet N.—6 *more ingenii humani cupidi* (*cupido* D. E. F. G. H. I. K. M. N.) *difficilia faciundi animum attendit* (*accendit* K. M. *advertit* N.) A. B. C. M. G. quoque sed *animum invasit*, ut et H. I. L. [*more humanæ cupidinis ignara visundi animum vortit.* Edit. Haverc.]—7 *animum attendit* D.—8 delet *et* D.—9 [*inflexa* Edit. Haverc.] *flexa* C. F. N.—10 *acuta* L. *vaga* N.—11 *modo* delet F.—12 *pernotat* B. *pervenit* C. *perscribit ibidem* F. *describit* G. *perscripsit* K.—13 *eodem* D. F. G. H. I.—14 *ascenderat* B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. N. *descenderat* M.—15 *adiit* M.—16 *ut ab ea p.* G.—17 *descendunt* A. B. D. E. F. G. H. I. K. *ascenderat* C. L.—18 *castellum uti t.* F.—19 *p. s. ducem itineris, nihil periculi esse docet.* F. K.

NOTÆ

[l] *Prona*] Intellige arborem primo ex saxo nascentem non potuisse statim in altum assurgere, sed paululum versus ima montis inflexam fuisse, prout illud in locis declivibus conspicitur; deinde sese erexisse, usumque scalæ præbuisse, ut saxum scanderetur.

[m] *Perscribit*] *Il reconnut bien la place. Il en prit le plan.*

[n] *Uti cujusque*] Istud diligenter notandum, ut cuique, non secundum id

cilem aut facilem nunciavere.[21] Consulis animus tamen paulum arrectus.[22] Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque[23] quam velocissimos delegit, et cum his, præsidio[o] qui forent, quatuor centuriones: omnes Liguri parere jubet, et ei negotio[p] proximum diem constituit.[24]

94. Sed ubi ex præcepto tempus visum;[1] paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis præerant,[2] prædocti[3] ab duce,[q] arma ornatumque mutaverant, capite[4] atque pedibus nudis, uti prospectus[r] nisusque[5] per saxa facilius[6] foret: super terga gladii et scuta;[7] verum ea Numidica[8] ex coriis, ponderis[s] gratia simul, et offensa[t] quo levius[9] streperent. Igitur prægrediens Ligus saxa, et si quæ vetustate[10] radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati[11] facilius escenderent.[12] Interdum timidos insolentia itineris levare manu: ubi paulo asperior ascensus, singulos præ se inermos[13] mittere; deinde ipse cum illorum armis sequi:[14] quæ dubia nisu[15] [u] videbantur potissimus tentare, ac sæpius eadem ascendens descendensque,[16] dein statim[17] di-

nihil esse docet N.—20 *mittit* K. M.—21 *renunciavere* M.—22 *erectus* M. *est arrectus* N.—23 *n. quinque millium* C. *duorum millium quinque* G.—24 *instituit* E.

1 *visum est* A. B. D. F. G. I. K. M. N.—2 *centuriones erant* L.—3 *edocti* F. K.—4 *capite nudo* M.—5 *visusque* F.—6 *facilior* C. N.—7 *et scuta erant* A.—8 *Numidica erant* M.—9 *minus* C.—10 *per vetustatem* A. *vetustæ* C.—11 *elevati* N.—12 *adscenderant* B. C. D. E. F. G. H. I. K. L.—13 *inermes* C. D. E. F. G. H. I. K.—14 *illos sequi* A. *sequitur* B. *insequi* M.—15 [*nisui* Edit. Haverc.] *usui* C. D. H. I. *visu* G. M. N. *nisu* E. *visui* F.—16 *descendensque*

NOTÆ

quod ejus verba sonant, sed indolis et ingenii facta æstimatione, fidem habeamus: quod nisi fit, sæpius in fraudem, et errorem, non magis aliena quam nostra culpa incidemus.

[o] *Præsidio*] Id est, *qui rem ipsam exequerentur et tuerentur:* quippe centurio suos quisque milites habuit.

[p] *Ei negotio*] Non dicit Auctor quodnam illud sit; verum de castelli expugnatione sermonem esse satis intelligitur.

[q] *Duce*] *Ligure*, scilicet.

[r] *Prospectus*] Enimvero illis, si ullo modo caput obvelatum habuissent, viam in ascendendo videre, vel dispicere non licuisset; sed virgultis et radicibus impliciti fuissent.

[s] *Ponderis*] Id est, *ut leviora essent.*

[t] *Offensa*] Ferrum enim, quod in umbone scutorum Romanorum erat, sonum reddidisset, si ea ad saxum allisa essent.

[u] *Dubia nisu*] Id est, *quo, in ascensu inferre pedem, satis tutum non videbatur;* cum saxum solutum erat, aut labans, &c.

grediens,[v] ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicuti aliis diebus, adversum hostes aderant. Marius, ubi ex nunciis, quæ Ligus egerat, cognovit, quanquam toto die intentos prælio Numidas habuerat, tum vero cohortatus[18] milites et ipse extra vineas egressus, testudine[w] acta succedere, et simul hostem tormentis,[x] sagittariisque,[19] et funditoribus eminus terrere. At Numidæ sæpe antea vineis Romanorum subversis, item incensis, non castelli mœnibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctesque agitare:[♥] maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare; militibus nostris Jugurthæ servitium minari; secundis rebus feroces esse. Interim omnibus Romanis hostibusque prælio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis[y] pro salute certantibus, repente a tergo signa[z] canere: ac primo mulieres et pueri,[20] qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proximus erat, postremo cuncti armati inermesque.[21] Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora[22] vadere, avidi gloriæ certantes[a] murum petere,[23] neque quenquam omnium præda morari. Sic forte correcta[24] Marii temeritas,[b] gloriam ex culpa invenit.

[♥] *Sed permanebant dies et noctes ante muros.*

deest K.—17 *statim* delet F.—18 *cohortatus est* E. F.—19 *armis* L. *conjunctis sagittariis et fund.* M.—20 *puerique* C.—21 *inermesque fugere* D. *i. præcipitabantur* N.—22 *cadavera* F.—23 *ascendere* A. D. E. F.—24 *correpta* C. *concepta* M.

NOTÆ

[v] *Digrediens*] Ille, ut ita dicam, ludibundus et saltabundus per ea loca, quo aliis animum adderet, incedebat.

[w] *Testudine*] Machina erat, qua ad arcendos ictus, utebantur, quæque pro multiplici usu diverse connectebatur.

[x] *Tormentis*] Machinæ fuerunt, quibus vi summa lapides, et alia missilia jaciebant.

[y] *Illis*] Hinc videre licet, Pronomen *hic, hæc, hoc,* non semper ad proximum referri, sed quandoque poni pro *alius, alia, aliud, &c.*

[z] *Signa*] Antea vidimus ideo cornicines et tubicines missos: ut, scilicet, terrorem augerent.

[a] *Certantes*] Illud est quod Gall. dicimus, *A qui sera le premier.*

[b] *Temeritas*] Cum arcem, ut videbatur, inexpugnabilem appetiisset.

95. Ceterum dum ea res geritur,[1] L. Sylla Quæstor cum magno equitatu in castra venit: quos[c] uti ex Latio et a sociis cogeret,[2] Romæ relictus erat. Sed quoniam tanti viri res admonuit; idoneum visum est, de natura cultuque ejus paucis dicere.[3] Neque enim alio loco de Syllæ rebus dicturi[4] sumus: et[5] L. Sisenna[d] optime et diligentissime omnium, qui eas res dixere, persecutus,[6] parum mihi libero[e] ore locutus[7] videtur.[w] Igitur Sylla gentis patriciæ[8][f] familia prope jam extincta majorum ignavia, literis Græcis atque Latinis juxta[9] atque doctissime eruditus,[x] animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior: otio luxurioso;[10] tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata,[11] nisi quod de uxore[g] potuit honestius consuli: facundus, callidus, et amicitia[12] facilis:[h] ad simulanda negotia[i] altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxime pecuniæ largitor.

[w] *Et L. Sisenna, qui persecutus est* historiam *optime et diligentissime omnium qui eas res dixere, videtur mihi locutus parum libero ore.*

[x] *Eruditus erat doctissime et pariter literis Græcis atque Latinis.*

1 *agitur* A. D. E. K.—2 *cogeret milites* F. C. *exercitum* N.—3 *disserere* F.—4 *scripturi sumus* M.—5 *et quia* N.—6 *prosecutus est* A. *prosecutus* B.—7 *locutus esse* F. N.—8 [*gent. pat. nobilis fuit* Edit. Haverc.] *nobilis fuit* deest in Ed. Grut.—9 *maxime* A.—10 *otio intentus l. e. ceterum a neg. n. v. r. est* M.—11 *remor. est* G.—12 *aditu et am.* C. I.—13 *a. illi f.* F. H. I. *a. illi f. o.* M.—

NOTÆ

[c] *Quos*] Plerumque scribitur, *quod.* Intellige Syllam tunc, non maturius advenisse, quod Romæ ad cogendum equitatum relictus fuisset: forte legendum *quem.*

[d] *Sisenna*] Historicus fuit ex gente Cornelia, ut testatur Festus, qui bellum civile Syllanum edidit: Ciceronis judicio melior quam qui ante ipsum Latine historiam scripserant; attamen distans a perfecto. Ejus restant aliquot fragmenta.

[e] *Libero*] Quia Syllæ vitia noluit, aut non ausus est describere.

[f] *Patriciæ*] *Nobilis* hic sæpius adjungitur: multi enim nobiles erant, qui continuo patricii non erant.

[g] *De uxore*] Istud forte ideo dixit, quod Valeriam in theatro lascive nimis blandientem sibi uxorem duxit. Vide Plutarch.

[h] *Amicitia facilis*] Id est, *qui sibi aliorum benevolentiam facile conciliabat, eisque benignum sese pari lubentia præbebat.* Gall. *Il savoit gagner le cœur des gens, et se communiquoit facilement.*

[i] *Ad simulanda negotia*] Viro Politico necesse est, in primis, negotiis eam faciem effingere posse, qua voluntatem aliorum inflectat, et ad scopum suum perducat. Vim eam Syllæ innatam fuisse testatur Sallust. Gall. diceremus, *Il savoit donner aux choses le tour qu'il vouloit ; les representer sous telle face qu'il lui plaisoit.* Vel, si eam putes accersitam explicationem, in-

Atque[13] felicissimo omnium ante civilem[j] victoriam, nunquam super industriam fortuna fuit:[y] multique dubitavere, fortior,[14] an felicior esset. Nam postea quæ fecerit, incertum habeo, pudeat[k] magis,[15] an pigeat disserere.

96. Igitur Sylla, ut supra dictum, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu[1] venit,[2] rudis antea et ignarus belli, solertissimus omnium in paucis tempestatibus[3] factus est. Ad hoc[4] milites benigne appellare; multis rogantibus, aliis[l] per se ipse dare beneficia, invitus accipere: sed ea properantius, quam æs mutuum reddere;[m] ipse[5] ab nullo[n] repetere: magis id laborare, ut illi[6] quam plurimi deberent: joca atque seria cum humillimis agere: in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse: neque interim, quod prava ambitio[o] solet, Consulis, aut cujusquam boni famam lædere: tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium pati; plerosque antevenire. Quibus rebus brevi[7] Mario militibusque carissimus factus.[8]

[y] *Atque fortuna nunquam fuit illi major industria, quanquam omnium felicissimus fuerit ante victoriam civilem.*

14 *fortiorne an f.* M.—15 *pudeat magis* B. E. F. *p. a. pigeat magis* C. I. K. L. *pudet an piget magis* D. *pudet m. an piget* G. H. *an pudet m. a. p.* M. [*magis* delet Edit. Haverc.]

1 *equitibus* A. E.—2 *pervenit* C.—3 *diebus* A.—4 *Ad hæc* H.—5 *ipse* delet I. —6 *uti sibi* F.—7 *brevi tempore* K.—8 *carus factus est* A. E. *carissimus factus est* B. D. F. G. H. I.

NOTÆ

telligе, Syllam ingenio fuisse tam acri, tamque expromtam habuisse memoriam, ut gestu et habitu, aut colloquio et congressu, quodcumque libuisset hominibus persuadere potuerit.

[j] *Civilem*] Istud addidit, quia postquam Sylla, mortuo Mario, rerum potitus est, Romam et Italiam omnibus modis civium sanguine cruentavit.

[k] *Pudeat*] Id est, *Respublica quamvis ad exitium perducta fuerit, non tamen ejus major fuit clades, quam Syllæ vecordia.*

[l] *Aliis*] Istud, quod supra dixit explicat, Syllam amicitia facilem fuisse.

[m] *Reddere*] Quanto pluris est homo, quam pecunia, tanto accuratius ejus opera, gratia, aut amicitia, cum amplificatione compensanda.

[n] *Ipse ab nullo*] Nisi istud adsit, beneficium non est, sed mercimonium: quantumvis enim ingrati animi vitium intolerabile fuerit, nihilominus tamen qui benefacit, quid manus dextra agat nescire debet sinistra, ut sapientissime monuit ipse Christus Jesus, ne verius amicis onus imponamus, quam beneficium collocemus.

[o] *Prava ambitio*] Nam bona est etiam, cum quis sine cujusquam de-

97. At Jugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles simul, et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuncios mittit,[1] 'quam[2] primum in Numidiam copias adduceret; prælii faciendi tempus adesse.' Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere:[z] rursus uti antea, proximos donis corrumpit, ipsique Mauro[3] [p] pollicetur Numidiæ partem tertiam, si aut Romani Africa[4] expulsi, aut, integris[q] suis finibus, bellum compositum foret. Eo præmio illectus Bocchus, cum magna multitudine Jugurtham[5] accedit. Ita amborum exercitu conjuncto,[6] Marium jam in hyberna proficiscentem, vix decima parte [7]die[r] reliqua,[8] invadunt: rati noctem, quæ jam aderat, victis sibi munimento fore; et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant: contra[9] Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem.[10] Igitur simul[s] Consul ex multis de hostium adventu cognovit,[11] et ipsi hostes aderant, et priusquam exercitus aut[12] instrui, aut sarcinas colligere,[13] denique antequam signum, aut imperium ullum accipere quivit,[14] equites Mauri atque Gætuli, non acie, neque ullo more prælii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt.[15] Qui omnes trepidi improviso[16] metu, ac tamen[17] virtutis memores, aut arma capiebant,

[z] *Quem, ubi accepit moras nectere, dum dubius anxie perpendebat rationes quæ pro bello aut pace faciebant.*

1 *misit* H.—2 *uti quam primum* F.—3 *ipsi quoque Boccho* A. *ipsique Boccho* D. E. F. G. H. I. M. N.—4 *ex Africa* E.—5 *ad Jug. accedit* N.—6 *juncto* I.—7 *diei* F. G. H. I. N.—8 *relicta* M. N.—9 *contra rati* D. G. *rati contra* N.—10 *difficilem* B. E. G. H. K. M. N.—11 *cognoverat* K. *cogn. et ipsi jam h. a.* M.—12 *a. posset instrui* N.—13 *coll. potuisset* H. *coll. posset* I.—14 *quieverit* A. *quivisset* B. D. E. H. *quivissent* N.—15 *concurrunt* F. G. M. N.—16 *imperio* B.—17 *at*

NOTÆ

trimento bonæ famæ studet.

[p] *Mauro*] *Boccho*, scilicet.

[q] *Integris*] Hoc est, *si nulla pars regni sibi a Romanis detraheretur.*

[r] *Die*] Procul dubio casus est Genitivi, quandoquidem Plautus et Virgilius ita locuti sunt; atque hunc ipsum locum citat Gellius, qui *die* in patrio casu a Sallustio positum esse dicit, aliorumque argutiolas ea de re contemnit.

[s] *Simul*] Dicit, tunc tantum Marium de hostium adventu cognovisse, cum ipsi adessent.

aut capientes alios ab hostibus defensabant:[18] pars equos escendere,[19] obviam ire hostibus: pugna latrocinio magis, quam prælio similis fieri: sine signis, sine ordinibus equites, pedites[20] permixti; cædere alios, alios[21] obtruncare, multos, contra adversos acerrime pugnantes, ab tergo circumvenire:[a] neque virtus, neque arma satis tegere; quod hostes numero plures et[22] undique circumfusi. Denique Romani veteres,[t] novique, et ob ea[u] scientes belli, si quos locus, aut casus conjunxerat, orbes[v] facere: atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

98. Neque in eo tam aspero negotio territus[1] Marius, aut magis, quam antea, demisso animo fuit; sed cum turma sua, quam ex fortissimis magis, quam familiarissimis, paraverat, vagari passim; ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostes, ubi confertissimi obstiterant,[2] invadere:[3] manu consulere[w] militibus, quoniam imperare,[4] conturbatis omnibus non, poterat.[5] Jamque[6] dies consumtus erat,[x] cum

[a] *Circumveniebant multos ab tergo, dum illi pugnarent acerrime contra hostes adversos.*

tantum M.—18 *defendebant* F. *defensare* G.—19 *ascendere* MSS.—20 *peditesque* F. G. K. L. N.—21 *cedere alios obtr.* M. N.—22 *aut undique* K.

1 *territo...demisso animo* C.—2 *erant* I. *adstiterant* L.—3 [*invad. manu* Edit. Haverc.] *pugnare manu* N.—4 *imperitare* Ed. Carr.—5 *nequiverat* C.—6 *et jam*

NOTÆ

[t] *Veteres*] Non sunt veterani, prout quidam existimavit; verum ii, de quibus mentio facta est superius, qui sub Metello militaverant, quique cum novis quos Marius adduxit, in unum corpus coaluerant.

[u] *Ob ea*] Id est, *Romani veteres et novi, ideo scientes belli quod hi cum illis, usu, Numidarum more assuetis, permixti essent, et in unum corpus coaluissent, orbes faciebant, si quos locus aut casus conjunxerat.*

[v] *Orbes*] Quid intelligat per orbes, res ipsa satis superque indicat. Illi, scilicet, in circulum sese componebant, ut eos ex omni parte adversos hostes invenirent, neque a tergo circumvenirentur.

[w] *Consulere*] Intellige Marium huc illuc cursando, et quo ille cumque ivisset hostes profligando, aliquatenus suos juvisse, eorumque ordines restituisse.

[x] *Jamque dies consumtus erat*] Versus horoici hæc verba constituunt bonam partem, quod, procul dubio, Auctori, per incogitantiam excidit.

tamen barbari nihil remittere; atque, uti reges præceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, colles duos propinquos inter se occupat. Quorum in uno, castris[7] parum amplo, fons aquæ magnus erat:[b] alter usui opportunus,[8] quia magna parte editus et præceps pauca munimento[9] quærebat.[y] Ceterum apud aquam Syllam cum equitibus noctem[10] agitare jubet. Ipse paulatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit: dein cunctos pleno[z] gradu in collem subducit.[11] Ita reges, loci difficultate coacti, prælio deterrentur. Neque tamen suos longius abire sinunt, sed, utroque colle multitudine[12] circumdato, effusi[13] consedere. Dein[14] crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more lætari, exultare, strepere vocibus:[15] ipsi duces feroces,[16] quia non fugerent, pro victoribus[17] agere.[c] Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu[18] magnoque hortamento[19] [a] erant.

99. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus, quam maximum[b] silentium haberi jubet: ne signa quidem,[1] uti per vigilias solebant, canere: deinde, ubi lux adventabat,[2] defessis jam hostibus et paulo ante somno

[b] *Quorum in uno parum amplo ad castra ponenda, erat fons magnus aquæ.*

[c] *Et ipsi duces gerebant sese ferociter, et quasi victores fuissent, quia non fugerant.*

dies M.—7 *castris positis* M.—8 *opp. erat* D.—9 [*munimento egebat* Edit. Haverc.] *munimenta quærebat* A. E. *munimenta gerebat* B. D. F. M. *pauca munimenta gerebat* K. sed *gerebant* L.—10 *per noctem* F. *noctu* N.—11 *deducit* F.—12 *multitud. Numidarum* G.—13 *effusi omnes* F.—14 *denique* N.—15 *pedibus et vocibus* G.—16 *feroces erant* D.—17 *atque p. v. sese a.* F. N.—18 *visui et maximo* F.—19 *ornamento* A. *et maximo hortamento* N.

1 *quidem permisit* N.—2 *adveniebat* E.—3 *tub. cornicinesque* C. G. I.—4 *signa*

NOTÆ

[y] *Quærebat*] Alii habent *egebat*, nonnulli *gerebat*. Malim legere *egebat;* nec me movet quod accusativum post se habeat; nam ejusmodi antiquatis phrasibus gaudet Sallustius.

[z] *Pleno*] Id est, *tantum illi non aufugerunt;* si modo Romanorum gloriam Sallustius assentatiuncula non est aucupatus. *Marius les fit retirer à grands pas.*

[a] *Hortamento*] Quia hostes cum securos et exultantes viderent, confidebant insuper eos defessos et sopitos fore, cum prælium instauraretur.

[b] *Quam maximum*] *Il commanda que l'on fit le moins de bruit que l'on pourroit.*

captis, de improviso vigiles,[c] item cohortium, turmarum, legionum tubicines[3] simul omnes signa[4] canere, milites clamorem tollere atque portis[d] erumpere.[5] Mauri[e] atque Gætuli[f] ignoto et horribili sonitu repente exciti,[6] neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quicquam poterant. Ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido, quasi[g] vecordia, ceperat.[7] Denique omnes fusi fugatique: arma et signa militaria pleraque capta: pluresque eo prælio, quam omnibus superioribus interemti.[8] Nam somno et metu insolito impedita[9] fuga.

100. Dein Marius, uti cœperat, in hyberna:[1] quæ, propter commeatum, in oppidis maritimis agere decreverat. Neque tamen secors victoria,[2] aut insolens[3] factus;[4] sed pariter ac in conspectu hostium, quadrato[h] agmine incedere. Sylla cum equitatu apud [5]dextimos,[d] in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, præterea[6] cohortes[7] Ligurum curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugæ, minime[8] cari et regionum scientissimi, hostium iter explorabant: simul Consul, quasi

[d] *Sylla erat cum equitatu in dextra parte.*

abest H. K. *tuba can.* H. *tuba canere jubet* M. *tubicines simul et omnia signa canere* N.—5 *erumpere jubet* B. C. D. F. G. K. L. M. N.—6 *excitati* F.—7 *acceperat* B. C. E. H. I. M. N.—8 *interemti sunt* D. F.—9 *imp. erat f.* E. H. I. *imp. f. est* F. G. *imp. f. erat* M. *i. est fuga* N.

1 [*hyberna proficiscitur* Edit. Haverc.] *it* B. E. *iter pr. comm.* &c. M. *prof. quia* &c. N.—2 *pro victoria* H.—3 *secors* E. G. H. I. K. L. *securus* M.—4 *factus est* A. N.—5 *extremos* L. *dextros* in Marg. *dextimos* K. *it extremos* N.—6 *præ. Marius c. Lig.* G.—7 *cohortibus* K.—8 *quasi m. c.* M.—9 *quasi nullo præcepto*

NOTÆ

[c] *Vigiles*] Plerumque legitur *vectigales*, et eorum conjicio fuisse tubicines qui superveniebant, et extraordinarii Romanis aderant.

[d] *Portis*] *Castrorum*, scilicet.

[e] *Mauri*] Quibus Bocchus imperitabat.

[f] *Gætuli*] Quos ordines servare Jugurtha instituerat.

[g] *Quasi*] Vox ista cum *vecordia* jungi debet, ut conjunctim eam vesaniam et dementiam significent qua ii affliguntur, qui nimio metu correpti sunt. Idem propemodum præstat quod illud quod vocant, *Une terreur panique.*

[h] *Quadrato*] Ut quacumque hostis ingrueret parati essent.

nullo[9] imposito, omnia providere:[e] apud omnes adesse: laudare, increpare merentes. Ipse armatus intentusque, item[10] milites cogebat:[i] neque secus,[j] atque iter facere,[11] castra munire, excubitum in portas cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere. Præterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circumire,[12] non [13]diffidentia futuri,[14] quæ imperavisset, quam uti militibus exæquatus[15] cum imperatore labor[16] volentibus esset.[f] Et sane Marius illo et aliis temporibus[17] belli pudore[k] magis, quam malo,[l] exercitum coërcebat:[18] quod[m] multi per ambitionem fieri aiebant; pars[19] quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quæ ceteri miserias vocant, voluptati[20] habuisset. Nisi[n] tamen res publica[21] pariter, ac sævissimo imperio, bene atque decore gesta.[22]

101. Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores[o] citi sese ostendunt; qua re hostes adesse intelligitur. Sed quia diversi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant; Consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, adversum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita

[e] *Simul Consul providebat omnia, quasi neminem suo loco curare jussisset.*

[f] *Non tam diffidens futura esse ea quæ imperavisset, quam ut labor exæquatus militibus cum Imperatore, illis placeret.*

inposito M. *q. n.custode imp.* N.—10 *equites item milites* M.—11 *si iter faceret* I. *quam si i. f.*N.—12 *curare* F.—13 *non tam* A.B.C.D.F.G.M.—14 *futuro rum* B. N.—15 *æquatus* F.—16 [*labos* Haverc.] *labor* A.B.C.D.F.G.H.I.M.N.—17 *Illo et aliis omnibus temp. illoque tempore aliisque omnibus temp.* N. [*Jugurthini belli* Edit. Haverc.]—18 *cogebat* M.—19 *alii* G.—20 *voluptatibus* A.E.—21 *Non autem Resp. pariter tanquam* M. *N. t. omnia quod rep. pariter, &c.* N.—22 *gesta sunt* D.E.N.

NOTÆ

[i] *Cogebat*] *Pudore*, scilicet, cum Imperatorem suum intentum animadverterent.

[j] *Neque secus*] Dicit Marium, cum in itinere semper paratissimus fuisset, eodem modo in castris se gessisse. Locus obscurus est, nisi advertas.

[k] *Pudore*] Intellige Marium tantum laborem cepisse, ut, illo ita intento, neminem otiari non puduisset.

[l] *Malo*] *Pœna aut supplicio.*

[m] *Quod*] Quod, nimirum, sibi laborem cum militibus communem faciebat.

[n] *Nisi*] Positum est pro *sed*; aut *verum*, ut sæpe alibi. Gall. diceremus, *Avec tout cela*, aut, *Quoi qu'il en soit.*

[o] *Speculatores*] Perfugas fuisse supra dixit.

Jugurtham spes frustrata,[1] qui copias in quatuor partes distribuerat: ratus ex omnibus æque[p] aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sylla, quem primum attigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxime confertis equis ipse aliique Mauros invadunt: ceteri in loco manentes ab jaculis eminus emissis corpora tegere, et, si qui in manus venerant,[2] obtruncare.[n] Dum eo modo equites præliantur,[3] Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, [4]neque in priore pugna, in[5] itinere morati, affuerant,[o] postremam Romanorum aciem invadunt.[6] Tum Marius apud primos agebat,[7] quod ibi Jugurtha cum plurimis.[8] Dein Numida,[q] cognito Bocchi adventu, [9]clam cum paucis ad pedites[r] convertit:[10] ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: 'nostros frustra pugnare; paulo ante Marium sua manu interfectum;' simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii terrentur: simulque barbari animos tollere et in perculsos[11] acrius incedere.[12] Jamque paulum[13] ab fuga aberant, cum Sylla, profligatis, quos adversum ierat, Mauris ab latere incurrit. Bocchus statim avertitur. At Jugurtha, dum sustentare suos et prope

[n] *Et si qui* Mauri *in* Romanorum *manus venerant*, eos *obtruncabant*.
[o] *Neque in priore pugna affuerant, quod in itinere morati essent.*

1 *Ita Jugurthæ s. f. est* F. N. *Igitur J. s. f. est* M.—2 *si quis i. m. venerat* A. M. *si qui i. m. venerint* K.—3 *præliarentur* I. L.—4 *nam neque* B.—5 *itinere deleto in* C. M.—6 *invadit* K. M. N.—7 *erat* [Edit. Haverc.] et K. *agebat* M. —8 [*cum plur. instabat* Edit Haverc.] *agebat* B.D.E. F.G.K.L.—9 *se clam* N.—10 *a. p. se vertit* F. *ad p. c. se* G.—11 [*et in perc. Romanos* Edit. Haverc.] *etiam perculsos Rom.* M.—12 *intendere* C. H. I.—13 *paululum* B. D.—14 *dextra sinis-*

NOTÆ

[p] *Æque*] Id est, *Indiscriminatim ex quadruplici agmine alterum a tergo hostes invasurum, cum tamen nesciret Jugurtha cuinam istud obtingeret.* Gall. *Que les uns, ou les autres indifferemment, pourroient prendre en queue l'armée des Romains.*

[q] *Numida*] *Jugurtha*, procul dubio; ut mirum videatur hoc in loco hæsisse viros doctos.

[r] *Ad pedites*] Romanos scilicet, atque eos arbitror contra quos Bocchus pugnabat, qui in postrema acie locati fuerant, quod patebit attendenti.

jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra[14] omnibus[15] occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit.[16] Atque interim Marius, fugatis[s] equitibus, occurrit auxilio suis, quos pelli jam acceperat. Denique hostes undique fusi.[17] Tum spectaculum horribile [18]campis patentibus: sequi, fugere; occidi, capi; equi, viri afflicti:[19] ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti[t] modo, ac statim concidere: postremo omnia,[20] qua visus erat, constrata[21] telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine.

102. Postea loci Consul,[1] haud dubie jam victor,[2] pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat.[g] Eo post diem quintum, quam iterum[u] barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, 'duo quam fidissimos ad eum[3] mitteret; velle de se, et de populi Romani commodo cum iis[4] disserere.' Ille[5] statim L. Syllam et A. Manlium ire jubet. Qui quanquam[v] acciti ibant; tamen placuit[6] verba apud regem facere: [7]ingenium aut aversum uti flecterent; aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sylla, cujus facundiæ,[x] non ætati, a Manlio concessum,[8] pauca verba hujuscemodi locutus:[9]

'Rex Bocche, magna nobis lætitia, cum te talem virum

[g] *Quo consilium fuerat pervenire initio cum discesserat.*

traque F.—15 *omnibus suis* I.—16 *erupit* H. K. M.—17 *fusi sunt* I. K.—18 [*in camp.* Edit. Haverc.] *in* delet M.—19 *adflicti sunt* M.—20 *omnia loca* M.—21 *constr. erant* M.

1 *Postea Consul* M.—2 *victor existens* C.—3 *ad e. uti mitteret* G.—4 delet *cum iis* B.—5 *Ille sine mora statim* C.—6 *placuit illis* D. G.—7 [*uti ing.* Edit. Haverc.] *quo* K. *qui i. ejus aversum* M.—8 *concessum est* B. D. F. I. N.—9 *lo-*

NOTÆ

[s] *Fugatis*] Eos fuisse arbitror qui cum Jugurtha fuerant, a quibus se ipse subduxerat, ut strategemate adversus Romanos pedites uteretur.

[t] *Niti*] *Ils tâchoient de se relever.*

[u] *Iterum*] De hac postrema pugna loquitur; priorem superius vidimus, quando Romani in colles evaserunt, deinde hostes profligaverunt.

[v] *Quanquam*] Hoc dicit, quia non eorum fuit, qui acciti erant, ante loqui, quam quid exponeret barbarus cognitum habuissent.

[x] *Facundiæ*] An ob rem, necne, postea cognosces.

Di monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optimum cum pessimo omnium Jugurtha miscendo commaculares;[10] simul[11] nobis demeres acerbam necessitudinem,[12] pariter te errantem et illum sceleratissimum persequi. Ad hoc populo Romano jam inopi visum,[13] amicos, quam servos quærere:[h] tutius rati, volentibus, quam coactis imperitare.[y] Tibi vero nulla opportunior nostra[14] amicitia: primum, quod procul absumus, in quo offensæ[z] minimum,[15] gratia par, ac[16] si prope adessemus; dein quod parentes abunde habemus,[i] amicorum[17] neque nobis, neque cuiquam omnium[18] satis. Atque hoc[a] utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano multo plura bona accepisses, quam mala perpessus esses.[b] Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit; cui scilicet[19] placuisse et vim, et gratiam nostram [20]experiri:[c] nunc, quando[21] per illam licet, festina, atque, ut cœpisti, perge. Multa atque[22] opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postre-

[h] *Præterea melius visum Populo Romano, jam a principio, cum admodum inops erat et egenus, quærere amicos quam servos.*

[i] *Deinde quia habemus abunde homines qui nobis pareant.*

cutus est A. C. D. E. G. H. I. *est locutus* B.—10 *maculares* B.—11 *s. a nobis* D.—12 *necessitatem* F.—13 *visum est* A. E. N. *est v.* G.—14 *a. quam nostra* G. *quam n. a.* H.—15 *minimum est* B. M. N.—16 *quam* E.—17 *amicorum vero* F.—18 *hominum* quidam Mss. ut et N.—19 *cui si complacuit* M. *cui semel complacuit* N.—20 *te experiri* H. I. M.—21 *quoniam* H. K. L. M. N.—22 *atque* delent K. L. M. N.—23 [*dimitte* Edit. Haverc.] *de-*

NOTÆ

[y] *Imperitare*] Hinc vides imperii nomen, quanquam sæpius dominium notat, honestum quoque esse; graviusque et stabilius arbitratos esse Romanos illud, quod liberalitate et amicitia adjungitur, quam vi quod fit et superbia. Nostris vero hominibus plerisque nequidem isthuc odorari licet; sed superbiæ suæ omnia proculcanda a Diis ipsis tradita esse arbitrantur. Literis Græcis et Latinis nihil opus est; satis fuit, ut primi essent omnium rerum, superbia eos omnia contemnere docuerit. Itaque ergo amantur; a Gnathonibus scilicet, non elegantibus et cordatis viris.

[z] *Offensæ*] Id est, *tibi non possumus nocere.*

[a] *Hoc*] *Pacem cum Romanis habere.*

[b] *Quam mala perpessus esses*] Malim *es;* quanquam contra fidem eorum codicum quos videre contigit, ne ridicule Sylla locutus esse videatur: neque scio quomodo hunc locum intellexerint qui eum intactum prætererunt.

[c] *Experiri*] Id est, *quæ voluit experimentis vim et gratiam nostram cognoscere.*

mo hoc in pectus tuum demitte,[23] nunquam populum Romanum beneficiis victum. Nam bello quid valeat,[24] tute scis.'

Ad ea Bocchus placide et benigne; simul pauca pro delicto verba facit: 'se non hostili animo, sed regnum tutatum[25] arma cepisse: nam Numidiæ[26] partem, unde vi[27] Jugurtham expulerat,[d] jure belli suam factam, eam vastari ab Mario pati nequivisse: præterea missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia.[k] Ceterum vetera omittere,[28] ac tum, si per Marium liceret, legatos ad Senatum missurum.' Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus,[29][e] quos Jugurtha, cognita legatione Syllæ et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.[l]

103. Marius interea, exercitu in hybernis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnes præsidium[1][f] imposuerat.[2] Tum rursus Bocchus,[3] seu reputando, quæ sibi duobus præliis venerant,[5] seu admonitus ab amicis, quos incorruptos Jugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit,[m] quorum et fides cognita, et ingenia validissima erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire jubet: agendarum rerum, et

[k] *Præterea* dixit se *repulsum ab amicitia, cum antea misisset legatos Romam.*

[l] *Deinde, occasione data, animus barbari flexus est ab amicis, quos Jugurtha corruperat donis, metuens id quod parabatur, postquam cognovisset legationem Syllæ et Manlii.*

[m] *Delegit quinque ex omni numero amicorum.*

---

mitte K.—24 *valeas* F.—25 [*sed ob regnum tutandum* Edit. Haverc.] *sed r. ad tut.* I. L.—26 *Num. tertiam partem* H.—27 *vi* delet B. M.—28 *demittere* L.—29 *flexus est* A. B. M.

1 *præsidio* D. F. N.—2 *potuerat* C.—3 [*Boc. feliciter, seu reput.* Edit. Haverc.] *feliciter erga Romanos* G. *feliciter habuit se* M. N.—4 *mala quæ* E. *quæ mala* N.—5 *evenerant* A. C. D. E. F. G. H. I. K.—6 *belli* delet N.—7 [*pergunt*

NOTÆ

[d] *Expulerat*] Hinc patet, nisi forte vanissimus homo delictum mendacio excusat, Bocchum cum Jugurtha bellum gessisse.

[e] *Flexus*] Tametsi Bocchus homo fuit maxime inanis, optime tamen reges docebit quales amicos a se propellere debeant.

[f] *Præsidium*] Imposuerat perfugas præsidium, id est, *præsidium ex perfugis constituerat.* Hoc loquendi genus Grammatici appositionem vocant.

quocumque modo belli[6] componendi licentiam[g] permittit. Illi mature ad hyberna Romanorum proficiscuntur: deinde itinere a Gætulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore[h] ad Syllam perfugiunt;[7] quem Consul in expeditionem proficiscens pro Prætore[8] reliquerat. Eos ille[9] non pro vanis[i] hostibus, ut meriti erant, sed accurate[10] ac liberaliter habuit. Qua re barbari et famam Romanorum avaritiæ falsam,[11] et Syllam, ob munificentiam in sese, amicum rati.[12] Nam[13] etiam tum largitio[j] multis ignara: munificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur Quæstori mandata Bocchi[14] patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quæ aut utilia, aut benevolentiæ[15] [k] credebant oratione extollunt: dein[16] Sylla omnia pollicito, docti,[17] quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies XL. ibidem opperiuntur.[n]

104. Marius postquam infecto,[1] quo intenderat, negotio Cirtam redit;[o] [2]de adventu legatorum certior factus,[3] illosque

[n] *Deinde, postquam Sylla* illis *omnia promisisset, docti quomodo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, expectant ibidem circiter dies* 40.

[o] *Postquam Marius redit Cirtam, negotio infecto, ad quod* perficiendum *profectus erat.*

Edit. Haverc.] *profugiunt* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. *perfugiunt* N.—8 *in castris reliquerat* M.—9 *Sulla* N.—10 *accuratissime* F.—11 *falsam esse* B. G. M. N.—12 *rati sunt* B. F. G. N.—13 *namque tum* F.—14 *Bocchi* delet D.—15 *benevolentia* C. D. F. L.—16 *hinc* N.—17 *docti sunt* M.

1 *confecto* C. I. M.—2 *et de adventu* M.—3 *factus est* B. F. G. H. I. K. L.

NOTÆ

[g] *Licentiam*] *Ils étoient Plénipotentiaires.*

[h] *Sine decore*] Id est, *absque dignitatis suæ insignibus;* immo habitu deteriore quam solent homines vulgares, quia spoliati fuerant.

[i] *Vanis*] Id est, *Mendacibus, Levibus et Inconstantibus.*

[j] *Largitio*] Intellige paucis eorum hominum artem cognitam fuisse, qui, turpissime ut gallinaceum emendicent, ovum magnifice largiuntur; aliorumque ex imperitia rem suam faciunt, eorum gratiam præsertim aucupando, eosque corrumpendo.

[k] *Benevolentiæ*] Id est, ut volunt, *quæ benevolentiam et amicitiæ studium declararent.* Alii codices habent *benevolentia.* Sed neutrum placet: verum exponendam esse crediderim hanc vocem *benevolentia* eo modo quo antea Sallustium *volentia* usurpasse vidimus; ut *benevolentia* sicut et *utilia* ad Romanos referatur; atque

et Syllam venire jubet, item[4] L. Bellienum[l] Prætorem[5] Utica, [6]præterea omnes undique Senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit.[7] [m] Legatis potestas eundi Romam fit ab Consule;[n] interea induciæ postulabantur.[8] Ea Syllæ et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quæ fluxæ et mobiles semper in adversa mutant.[o] Ceterum Mauri, impetratis omnibus rebus,[9] tres Romam profecti[10] cum Cn. Octavio Rufo,[11] qui Quæstor[p] stipendium in Africam portaverat:[12] duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxime benignitatem et studium[q] Syllæ lubens[13] accepit. Romæ legatis ejus, postquam errasse[14] regem et Jugurthæ scelere lapsum, deprecati[r] sunt, amicitiam et fœdus petentibus hoc modo respondetur:[p] 'Senatus et populus Romanus beneficii et injuriæ memor[15]

[p] *Et respondetur hoc modo legatis ejus,* Bocchi, *qui orabant fœdus et amicitiam, postquam* dixissent *regem* suum *errasse, ipsique veniam petiissent, quod scelere Jugurthæ lapsus esset.*

M. N.—4 [*itemque* Edit. Haverc.] *item* M.—5 *v. ab Utica* K. *ab Utica v. j.* M.—6 *tum præterea* B.—7 *cognovit* H.—8 *postulantur* H.—9 [*rebus* delet Edit. Haverc.] *omnibus rebus* B. F. G. N.—10 *profecti sunt* D. F. G.—11 *Rusone* C. M. Edd. Carr. et Grut. *Rufone* Mss. passim, sed recte Cort. *Rufo.*—12 [*stipend. adportaverat* Edit. Haverc.] *in Africam adp.* A. *in Afr. portav.* E. F. G. H. I.—13 *lubentius* M.—14 *errasse* dicunt *regem* M.—15 *beneficii memor*

NOTÆ

Bocchi legatos, ut Romanos sibi demererentur, Syllæ omnia quæ aut illis utilia, aut jucunda, seu benevolentia essent, exposuisse intelligamus. Durior forte aliis videbitur expositio; sed eo ducit sensus, et patebit attendenti.

[l] *Bellienum*] Catilinæ avunculum dicit Asconius.

[m] *Cognoscit*] In quibusdam Editionibus locus sic distinguitur et legitur: *cognoscit, in quibus, legatis potestas eundi Romam fit; ab consule interea, &c.* Sed Glareanus hæc verba *in quibus* delet, deinde aliquid mutat, ex fide codicum; quanquam, ut ille ait, non ex omnibus omnia, sed ex singulis tamen aliquid ad plenam lectionem eruendam, decerpserit.

[n] *Ab Consule*] Ne ita intelligas, quasi Consul Marius inducias petiverit; sed potius Bocchus, ipsiusque legati. A Boccho postulabantur induciæ, quas Consul concederet.

[o] *Mutant*] Eleganter, si Gellio credimus, pro *mutantur*, quod est in aliis codicibus.

[p] *Quæstor*] Non Marii, nam Sylla is erat; sed hic in Africa Quæstor fuit, vel forte ex urbanis unus.

[q] *Studium*] Illud est de quo supra; dixit enim Sallustius egregie legatos a Sylla acceptos fuisse.

[r] *Deprecati*] Ita loquitur Cicero,

esse solet. Ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit. Fœdus et amicitia dabuntur,[16] cum meruerit.'

105. Quibus rebus cognitis, Bocchus per literas a Mario petivit,[1] uti Syllam ad se mitteret;[2] cujus arbitratu de[3] communibus negotiis consuleretur. Is missus cum præsidio equitum atque peditum, funditorum [4]Balearium:[s] præterea sagittarii et cohors Peligna[t] cum velitaribus[u] armis, itineris properandi causa: [5]neque his secus, atque aliis armis, adversum tela hostium, quod ea levia sunt, [6]muniti.[q] Sed[7] itinere, quinto denique die, Volux filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit: qui temere et effuse euntes Syllæ aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hostilem metum efficiebant.[r] Igitur sese quisque expedire, arma atque tela tentare, [8]intendere:[v] timor aliquantus,[9] sed spes amplior, quippe victoribus, et[10] adversum eos, quos sæpe vicerunt.[11] Interim equites, exploratum præmissi, rem, uti erat, quietam nunciant.

[q] *Neque erant minus muniti his armis quam aliis, adversus tela hostium, quod ea levia sunt.*

[r] *Qui* equites *euntes temere, et alii ab aliis dispersi, faciebant ut numerus amplior videretur Syllæ et aliis omnibus, quam revera esset, et ut eos reformidarent tanquam hostes.*

---

et injuriæ inmemor M.—16 *dantur* L.

1 *petiverat* A. G. H. N. *petit* M.—2 *ut sibi S. m.* D. *uti Sulla ad se veniret* N.—3 *de* delet F. H. I. K. L.—4 [*Baleariorum* Edit. Haverc.] *Baleatorum* N.—5 *quod ea neque* B.—6 *muniti erant* E. F. G. K. M.—7 *Sed* delet K.—8 *intendere arcus* B.—9 *aliqu. erat* H.—10 *et* delet M.—11 *q. s. v. pugnaturi* M.

NOTÆ

orat. 2. contra Rullum: 'Si quid deliquero,' inquit, 'nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur.' Ita et alibi.

[s] *Balearium*] Alii *funditorumque Balearium.* Baleares vero duæ sunt insulæ, hodie *Majorca* et *Minorca* dictæ, in mari Mediterraneo, e regione Hispaniæ; cujus olim incolæ peritissimi fuerunt funditores.

[t] *Peligna*] Peligni populi fuerunt Italiæ inter Apenninos montes, magis ad mare superum, inter Campaniam et Hetruriam, ad Septentrionem.

[u] *Velitaribus*] Gladium, hastam, et parmam fuisse testatur Polybius.

[v] *Intendere*] Id est, *quilibet intentus et paratus erat.*

106. Volux adveniens[s] Quæstorem appellat:[s] 'se a patre Boccho obviam[w] illis[2] simul, et præsidio[3] missum.' Deinde[4] eum et proximum diem sine metu conjuncti eunt. Post, ubi castra[5] locata, et die vesper erat,[6] repente Maurus[x] incerto vultu ad Syllam accurrit:[7] 'sibi ex[8] speculatoribus cognitum, Jugurtham haud procul abesse:' simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat 'se toties fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere:[t] etiam si certa pestis adesset, mansurum[9] potius, quam proditis,[10] quos ducebat, turpi fuga incertæ ac forsitan post paulo[11] morbo[12] interituræ vitæ parceret.'[u] Ceterum[13] ab eodem monitus, 'uti noctu proficiscerentur,'[14] consilium approbat: ac statim milites cœnatos esse;[15] in castris[16] ignes quam creberrimos[y] fieri; dein prima[z] vigilia silentio egredi jubet.[17] Jamque nocturno itinere fessis omnibus, Sylla pariter cum ortu solis castra metabatur, cum equites Mauri nuncient, 'Jugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse.'[18] Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit: credere proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu[a] vindicandum,[19] neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

[s] *Volux adveniens appellat et ad colloquium vocat Syllam Quæstorem.*
[t] Dicit, *se satis confidere virtuti suorum.*
[u] Dicit, *quanquam certum exitium* sibi *adesset, se mansurum potius, quam, proditis iis, quos ducebat, parceret, turpi et flagitiosa fuga, vitæ incertæ, ac forsitan post paulo morbo interituræ.*

1 *adiens* M.—2 *illa* M.—3 *præsidium* M. N.—4 *dein per eum et p. d.* N.—5 *c. sunt l.* D.—6 *aderat* F.—7 *ad S. occurrit* M.—8 *a spec.* A. M. N.—9 *mansurum se* A. N. *se p. m.* M.—10 *proditis iis* F.—11 [*paullo post* Edit. Haverc.] *post paullo* G. H. I. M. et Ed. Carr.—12 *morbo* delet F.—13 *Cetera* E.—14 *proficisceretur* F.—15 [*cœn. esse in castris; ignesque creber.* Edit. Haverc.] *esse* D. *i. c. quam creberrimos ignes* M.—16 *i. c. ipse jubet* G. *esse jubet i. c.* M. N.—17 *cum silentio egredi* deleto *jubet.*—18 *ante eos sedere* A. E. *ante eos consedisse* B. D. F. H. I.—19 *vind. in Volucem* G. M. N.

NOTÆ

[w] *Obviam*] Honoris causa.

[x] *Maurus*] *Volux.*

[y] *Creberrimos*] Ut exercitum numero ampliorem, ibique pernoctaturum, Jugurtha crederet.

[z] *Prima*] Nox in quatuor vigilias, easque trium horarum singulas, Romanis divisa erat.

[a] *Manu*] Hoc est, *Volucem esse interficiendum.*

107. At Sylla, quanquam eadem æstimabat, tamen ab injuria Maurum prohibet: suos hortatur, 'uti fortem animum gererent:[1] sæpe antea paucis strenuis adversum multitudinem bene pugnatum:[2] quanto sibi in prælio minus pepercissent, tanto tutiores fore:[3] nec quenquam decere, qui[4] manus armaverit, ab inermis[5] pedibus auxilium petere, in maximo metu nudum et cæcum[b] corpus ad hostes[6] vertere.' Deinde Volucem, quoniam hostilia[c] faceret, maximum Jovem obtestatus, ut sceleris atque perfidiæ Bocchi testis adesset,[v] [7]castris abire jubet. Ille lacrymans orare, 'ne ea crederet: nihil dolo[d] factum,[8] magis calliditate Jugurthæ, cui speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum,[9] quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque ejus ex patre suo penderent; [10]illum nihil palam ausurum, cum ipse[11] filius testis adesset.[w] Quare optimum factum videri,[e] per media ejus castra palam transire: sese, vel præmissis, vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sylla iturum.' Ea res, ut in tali negotio,[12] probata,[13] ac statim profecti:[14] quia de improviso acciderant,[15] dubio[f] atque hæsitante Jugurtha, incolumes transeunt. Deinde[16] paucis diebus, quo ire intenderant, perventum.

[v] *Postquam Jovem maximum maximo cum affectu precatus esset, ut testis adesset sceleris atque perfidiæ Bocchi.*

[w] *Ceterum,* Volux dicebat, *quonium neque* Jugurtha *ingentem multitudinem haberet, et spes opesque ejus ex patre suo penderent,* se *credere illum nihil ausurum aperte, cum ipse filius* Bocchi *testis adesset.*

1 *gerant* B. M.—2 *pugn. esse* K. *esse pugnatum* M.—3 *esse* D.—4 *quem m. a.* M. N.—5 *ab inermibus* D. E. F. G. H. *ab inermis peditibus* M.—6 *ad hostem* N.—7 *ex castris* C. H. I.—8 *n. dolo suo f. dicebat* G.—9 *Cetera* E.—10 [*credere illum* Edit. Haverc.] *ut crederent* G. *crederet* K. *erat ut crederet* M.—11 *ipsius* B. N. *ipse f. patris t. a.* M.—12 *i. t. n. solet* C.—13 *probata est* B. D. L. M.—14 *profecti sunt* K.—15 [*adcesserint* Edit. Haverc.] *acciderant* A. F. H. I. K. *acciderat* M. N.—16 *Denique* B.

NOTÆ

[b] *Cæcum*] Scilicet, cæcum et inerme corpus hostibus obvertunt, qui fugiunt. Ceterum digna est tali viro Syllæ oratio.

[c] *Hostilia*] Credebant enim monitu ejus cuncta gerere Jugurtham; sed Jugurthæ monitore nihil opus fuit.

[d] *Dolo*] *Suo*, scilicet, aut *patris*.

[e] *Videri*] Verba sunt Volucis.

[f] *Dubio*] Non enim datum est spatium cogitandi, utrum utilius foret, vel magnanimitatis stimulo concitatum Romanos virtute delinire, vel infestum eosdem persequi.

108. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat: præmissus ab Jugurtha, postquam Syllam accitum audierat, orator, et subdole speculatum Bocchi[1] consilia:[x 2] præterea[g] Dabar,[y] Massugradæ filius, ex gente Masinissæ, ceterum materno genere impar; pater[3] ejus ex concubina ortus erat; Mauro[h] ob ingenii[4] multa bona carus acceptusque: quem Bocchus fidum[5] Romanis multis antea tempestatibus expertus, illico ad Syllam nunciatum mittit,[6] 'paratum sese facere, quæ populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus ipse diligeret: consulta sese omnia cum illo integra[i] habere, neu Jugurthæ legatum pertimesceret;[7] quo[8 j] res communis licentius gereretur;[9] nam[k] ab insidiis ejus aliter caveri nequivisse.' Sed ego comperior,[10] Bocchum magis Punica fide,[l] quam ob quæ[m] prædicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis

[x] *Ibi Numida quidam nomine Aspar agebat multum et familiariter cum Boccho, præmissus ab Jugurtha, ut legationem obiret, et subdole specularetur consilia Bocchi, postquam audierat ab eo Syllam advocatum fuisse.*

[y] *Præterea Dabar* cum Boccho erat.

1 *cons. Bocchi ierat* C. D. E. G. K.—2 *ierat præterea* M.—3 *mater ejus ex conc. nata erat* A. G. H. *acc. erat* A. *mater ejus ex conc. nata erat* D. E. M. N. *mater ejus ex concubina orta erat* K.—4 *ob ingenia* K.—5 [*fid. esse Rom.* Edit. Haverc.] *esse* delet M.—6 *misit* I.—7 [*pertim.; accitum esse, quo* Edit. Haverc.] delet. *acc. esse* A. B. C. E. H. I. K. L.—8 *quo præsente* I.—9 *ageretur.* N.—10 *sed ego comperior.* Hic desinit antiquissimum et optimum, incendio uti

NOTÆ

[g] *Præterea*] Non fuerat hic a Jugurtha missus.

[h] *Mauro*] Boccho.

[i] *Integra*] Id est, *se quicquid invicem statuissent approbaturum.* Gall. *Qu'il tiendroit pour bien fait.*

[j] *Quo*] Supple, *Accitum fuisse Asparem.* Hoc dicebat Bocchus, ne a se Sylla proditionem metueret, quod Jugurthæ legatum videret, vel cum ipso ad concilium vocaretur; eo videlicet accitum eum fuisse, ut facilius quæ vellent et tutius exequerentur.

[k] *Nam*] Dicit, ab Jugurthæ insidiis non potuisse caveri, nisi ille spe pacis illectus, ab iis deterritus fuisset. Ceterum, nisi quia faciendum fuit, haud scio an satis caute Romani cum ejusmodi perfido res suas communicaverint. Qui enim alium decipit, quamobrem nobis quoque dolos non paret, rationem habere debemus. Bene successit Romanis; at certe Orbis terrarum Magistris eventus non satis idoneus fuit Magister.

[l] *Fide*] Id est, *fraude*; utraque enim pro eadem in proverbium abiit. Bocchus ea gratia Romanorum simul et Jugurthæ legatos acciverat, ut ex commodo suo de utrisque consuleret.

[m] *Ob quæ*] Ut, scilicet, Jugurthæ doli præcaverentur.

attinuisse,[11] multumque cum animo suo volvere solitum, Jugurtham Romanis, an illi Syllam traderet: lubidinem[n] adversum nos, metum pro nobis suasisse.[12]

109. Igitur Sylla: 'pauca[1] coram Aspare locuturum; cetera occulte, aut nullo, aut quam paucissimis[2] præsentibus:' simul edocet, quæ[3] responderentur.[o] Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit: 'se missum a Consule venisse quæsitum ab eo, pacem, an bellum agitaturus foret.' Tum rex, uti præceptum,[p] 'post diem decimum[4] redire'[5] jubet; 'ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo[q] die responsurum.' Deinde ambo in sua castra digressi.[6] Sed ubi plerumque noctis processit, Sylla a Boccho occulte arcessitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur:[7] præterea Dabar, internuncius,[8] sanctus vir et[9] ex sententia[r] ambobus. Ac statim sic rex incipit:[10]

110. 'Nunquam ego ratus sum fore, uti rex maximus in hac terra, et omnium, quos novi,[1] privato homini gratiam deberem. Et hercle,[2] Sylla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum,[3 s] quod[4] ceteri dolere solent, ego lætor:[5] fuerit mihi[t] eguisse aliquando amicitiæ tuæ, qua apud animum meum nihil carius habeo.[6] Id[v] adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo quicquid animo lubet, sume,

videtur læsum, Ms. L.—11 *detinuisse* N.—12 *suasisse comperi* N.

1 *pauca* delet C.—2 *paucis* K.—3 *quæ sibi r.* H. I.—4 *post dies decem* D.—5 *venire* C.—6 *digressi sunt* B. F. H. K. *regressi sunt* M.—7 *adhibebantur* A.—8 *qui tunc internuncius* N.—9 *jurat e. s. ambobus* M. *e. s. a. juravit* N.—10 *incipit* E. G.

1 [*q. nov. opulentissimus* Edit. Haverc.] delent *opulentissimus* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. M. N.—2 *Et mehercle* N.—3 *Id imm. esse* A. H. I. M. *id esse imm.* G.—4 *quo c. d. s.* E.—5 *gaudeo lætorque* F.—6 *n. c. est* B.—7 *mi-*

NOTÆ

[n] *Lubidinem*] Odio enim habebat Romanos.

[o] *Responderentur*] *A Boccho*, scilicet, quando coram Aspare Jugurthæ legato colloquerentur.

[p] *Præceptum*] *A Sylla per Dabarem.*

[q] *Illo*] *Qui*, scilicet, *post decimum illucesceret.*

[r] *Ex sententia*] Se, scilicet, *fideliter concredita servaturum.*

[s] *Imminutum*] *Quia nunc ope aliena indigeo.*

[t] *Fuerit mihi*] Gall. *Il me sera avantageux.* Mihi lucro vertetur.

[v] *Id*] *An*, scilicet, *amicitia tua mihi cara sit.*

utere: et, quoad vives, nunquam redditam gratiam[x] putaveris; semper apud me integra erit: denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut ego æstimo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum.[7 y] Ceterum de re publica vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum[z] ego populo Romano neque feci, neque factum[8] unquam volui: fines meos adversum armatos armis tutus[9] sum. Id omitto,[a] quando vobis ita placet: gerite, uti vultis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque Jugurtham id intrare sinam. Præterea si quid[a] meque vobisque dignum petiveris,[10] haud repulsus abibis.'

111. Ad ea Sylla pro se breviter et [1]modice;[b] de pace et de communibus rebus multis[2] disseruit. Denique regi patefacit, 'quod polliceatur, Senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam[3] habituros:[b] faciendum aliquid, quod illorum magis, quam sua, retulisse videretur;[4] id adeo in promtu esse, quoniam Jugurthæ copiam haberet:[c] quem si Romanis tradidisset, fore, uti illi plurimum deberetur; amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret,[c] ultro adventuram.' Rex primo

[a] *Id* bellum *desero.*
[b] *Denique patefecit regi, Senatum et Pop. Romanum non pro gratia accepturos illud quod polliceatur, quoniam armis amplius valuissent.*
[c] *Quoniam Jugurtham in potestate haberet.*

nus fl. est A. B. D. G. H. I. K. M.—8 *facere* E. M.—9 *tutatus* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K.—10 *petiveritis* E.
1 *modeste* M.—2 *multum* D. F. K. *multa* G.—3 [*in gratia* Edit. Haverc.] *in*

NOTÆ

[x] *Gratiam*] Sylla Bocchi legatos optime acceperat, illisque quæcumque ad ejus commodum spectabant, providerat.

[y] *Flagitiosum*] Hinc videre licet flagitium magis peccatum notare quod infamiam affert.

[z] *Bellum*] In aliis codicibus ita legitur, *Bellum pop. Romano nunquam paravi, neque factum volui.*

[a] *Si quid*] Absque hac exceptione, quæ minus urbana est, reliqua aptissime cohærebant.

[b] *Modice*] Multo officio Syllam Bocchus prosecutus erat; ideoque Sallustius ad ea Syllam cum modestia respondisse dicit.

[c] *Peteret*] Non satis cognoscitur bellone, an pacto, Numidiæ partem aliquam Bocchus obtinuerit; an vero

negitare:[5] 'affinitatem,[c] cognationem, præterea fœdus intervenisse:[d] ad hoc[6] metuere, ne fluxa[d] fide usus, popularium animos averteret; quis et Jugurtha carus, et Romani invisi erant.'[7] Denique sæpius fatigatus, leniter et ex voluntate Syllæ omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissimus,[8] quæ utilia visa,[9] constituunt.[e] Ita,[10] composito dolo, digrediuntur.

112. At rex postero die Asparem, Jugurthæ legatum appellat: 'sibi per[1] Dabarem ex Sylla cognitum, posse conditionibus bellum poni: quamobrem regis sui sententiam exquireret.'[2] Ille lætus in castra Jugurthæ venit.[3] Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit[4] ad Bocchum, et ei nunciat, 'Jugurtham cupere omnia, quæ imperarentur, facere; sed Mario parum confidere:[5] sæpe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra[6] fuisse. Ceterum si ambobus[e] consultum[7] et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Syllam traderet. Cum talem virum in potestatem haberet,[8] fore, uti jussu Senatus atque populi Romani fœdus fieret: neque hominem nobilem, non sua ignavia,[9] sed ob rempublicam in hostium potestate relictum iri.'

[d] Bocchus causabatur *cognationem, affinitatem, præterea* dicebat *fœdus* cum Jugurtha *intervenisse.*

[e] *Ceterum constituunt quæ visa sunt utilia ad simulandam pacem, cujus Jugurtha, defessus bello, erat avidissimus.*

gratiam B.—4 *videatur* B.—5 *agitare* B. E. H. M. *negare* D. F. K. *negare agitare* F. G.—6 *ad hæc* H.—7 [*essent* Edit. Haverc.] *erant* A. C. H. I. K. M.—8 *avid. erat* A. C. D. E. F. H. I. K. M. N.—9 *visa sunt* A. M. N.—10 *et ita d. c.* A.

1 *per Dabarem*, hic desinit Ms. K.—2 *exquirat* N.—3 *rediit* N.—4 *proficiscitur* A. B. C. E. F. G. H. I. M.—5 [*fidere* Edit. Haverc.] *confidere* B. E. G. M.—6 *sed f. f.* N.—7 *cons. esse* G.—8 *habuisset* A. C. D. E. F. G. H. I.—9 *ign. captum* A. E. F.

NOTÆ

totum istud sit de spe intelligendum, quam Jugurtha, si finibus integris fœdus cum Romanis pangeretur, Boccho maximam fecerat.

[d] *Fluxa*] *Erga Jugurtham;* quocum fœdus inivisse eum, neminem latebat.

[e] *Ambobus*] *Boccho et Jugurtha.*

113. Hæc[1] Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit.[2] Ceterum dolo[f] an [3]vere,[g] parum comperimus. Sed plerumque regiæ[h] voluntates, ut vehementes,[4] sic mobiles, sæpe ipsæ sibi adversæ. Postea tempore et loco constituto, [in colloquium uti de pace veniretur,[5]] Bocchus Syllam modo, modo Jugurthæ legatum appellare,[f] benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter læti, ac spei bonæ pleni. Sed nocte ea, quæ proxima fuit ante diem, colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim immutata[i] voluntate, remotis, dicitur secum ipse multa[j] agitavisse,[6] vultu corporis pariter, atque animo varius:[7] quæ[k] scilicet,[8] tacente ipso, occulta pectoris[9] patefecisse.[g] Tamen[10] postremo Syllam arcessiri jubet, et ex ejus sententia Numidæ insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, et ei nunciatum est, Jugurtham haud procul[11] abesse; cum paucis amicis et Quæstore[l] nostro, quasi obvius honoris causa,

[f] *Postea loco et tempore constituto, Bocchus appellabat modo Syllam, modo legatum Jugurthæ, ut veniretur in colloquium de pace.*

[g] *Ipse* Bocchus *vultu, colore, ac motu corporis pariter atque animo varius, dicitur multum agitavisse* ea, *quæ, scilicet, occulta pectoris,* dicitur, *ipso tacente, patefecisse oris immutatione.*

1 *Ea Maurus* B. C. E. G.—2 *promittit* C.—3 [*vere cunctatus* Edit. Haverc.] *cunctatus sit* M. N.—4 *vehementes sunt* B.—5 *conveniretur* G. N.—6 *multum agitasse* A. *multum agitavisse* B. C. M.—7 *vultu, colore, motu corporis* C. D. E. F. G. H. *vultu pariter animo* (reliquis deletis) *varius* N.—8 *ita t. i.* H. I.—9 [*occ. oris pat.* Edit. Haverc.] *occulta facie oris* F. *pectoris* B. D. E. *occultare immutatione oris patefecisse* H. *quæ licet ita t. i. occultasset et oris immutatione patefecisset* G. *quæ scilicet occulta pectoris et oris immutatione patefecisse dicitur* M. *quæ scilicet ita t. i. occultare oris immutatione patefecisse* N.—10 *Tandem postremo* E. F.—11 *haud longe* M. N.—12 *processit* G. M.—13 *suis* delent

NOTÆ

[f] *Dolo*] Ut magis crederet Jugurtha, optima fide Bocchum cum ipso agere, cum rem ipsam diu ab illo ante agitatam videret, quam polliceretur.

[g] *Vere*] Id est, *cum Numidæ tradere Syllam Bocchus statuisset.*

[h] *Regiæ*] Rem ipsam verissime expressit Sallust. Videant itaque, et sibi caveant, quibus omnia ex voto successerunt. Periculum est maximum ne voluntas omnia cum impetu pervadere assueta, sæpius cum dolore, eadem relegere cogatur.

[i] *Immutata*] Id est, *Dimissis omnibus.*

[j] *Multa*] Alii habent *multum.*

[k] *Quæ*] Scilicet ex ejus incerto, et oris immutatione, animi fluctuatio et dubitatio cognita est: nesciebat enim an Jugurthæ Syllam, vel Syllæ Jugurtham tradere melius esset.

[l] *Quæstore*] *Sylla.*

procedit[12] in tumulum, facillimum visu insidiantibus.[h] Eodem Numida cum plerisque necessariis suis,[13] inermus, ut dictum, accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati:[14] Jugurtha Syllæ vinctus traditur, et ab eo ad Marium[15] deductus.[16 m]

114. Per idem[n] tempus[1] adversum Gallos[o] ab ducibus nostris, Q. Cæpione[2] et M. Manlio male pugnatum.[3] Quo metu Italia omnis[4] contremuerat. Illique et inde[5] ad nostram memoriam Romani[6] sic habuere: alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria[p] certare.[i] Sed postquam bellum in Numidia confectum,[7] et[8] Jugurtham vinctum adduci Romam nunciatum est; Marius Consul absens[q] factus,[9] et ei decreta provincia Gallia.[10] Isque[11] Kalendis[r] Januariis[12] magna gloria Consul triumphavit. [13] Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ.[14]

[h] *Procedit in locum editiorem, quem facile insidiantes prospicere poterant.*

[i] *Et Romani qui illis temporibus vivebant, et usque ad nostram memoriam, sic animo reputaverunt, alia omnia suæ virtuti prona esse et facilia,* at *cum Gallis pro salute certari, non pro gloria.*

D. N.—14 *obtr. sunt* A. B. M. *sunt obtr.* F.—15 *ad M. ducitur* C.—16 [*deduct. est* Edit. Haverc.] *est* delet B. F.

1 *Per idem t.* Hic desinit Ms. E. *Per id t.* I.—2 *et Scipione* M.—3 *pugn. est* A. B. D. F. G. H. M.—4 *tota* F.—5 [*ind. usque ad* Edit. Haverc.] *Illique et deinde* H. *illaque usque etiam ad n. m.* M.—6 *R. omnis sic se h.* C.—7 *confectum est* A. B. D. F. M.—8 *et* delet G.—9 [*factus est* Edit. Haverc.] *est* delet. C.—10 *Gallia est* A.—11 *isque* delet N.—12 *cum m. gl.* M.—13 [*Ex ea* Edit. Haverc.] delet *ex* B. C.—14 *sitæ sunt* A. B. D. F. G. H. M. N. *sitæ fuere* C.

NOTÆ

[m] *Deductus*] Florus, ex Livio, in carcere necatum Jugurtham fuisse. Alii fame contabuisse volunt.

[n] *Per idem*] Istud ad Jugurthæ historiam non facit; sed additum est, ut cognosceretur quamobrem contra leges, Mario absenti Consulatus mandatus fuisset.

[o] *Gallos*] Alii magis istud Germanis ascribunt: optime vero et verissime noster Auctor qui Gallis, propter Helvetios scilicet, qui tum, cum Cimbris, belli adversus Romanos concitatoribus, ter ipsos profligaverunt.

[p] *Non pro gloria*] Quandoquidem de gloria cum Gallis non ausi sunt contendere, qui orbis terrarum Domini reliquorum populorum honorem proculcaverunt; illa, Deo adjuvante, nunquam peribit.

[q] *Absens*] Contra morem.

[r] *Kalendis*] Quo tempore Consules Magistratum inibant.

CAII CRISPI SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

LIBER I.

Res populi R. M. Lepido,[a] Q. Catulo[b] Coss. ac deinde militiæ et domi gestas composui.[c] *Donatus et Pomp. Messalinus.*

Cato[d] Romani generis disertissimus multa paucis absolvit. *Servius et Acron.*

NOTÆ

[a] *Lepido*] Hic est qui cum Proscriptos a Sylla revocare studeret, bellum civile commovit, quod pæne citius oppressum est quam inciperet.

[b] *Catulo*] Hic incensum Capitolium, anno ab urbe condita 684. restitutum dedicavit.

[c] *Composui*] Donatus sub initium Æneidos hic Historiam Sallustium cœpisse scribit; et Messalinus hanc vocat Sallustianam periodum. Unde conjicere licet Auctorem nostrum, qui se, ab initio belli Catilinarii, res gestas P. Romani carptim scripturum esse dicit, in eo non perstitisse; sed postquam de bello scripsisset quod Catilina aliquot annis a Lepidi et Catuli Consulatu excitavit, atque eo quod multo ante eundem Consulatum Pop. Romanus adversus Jugurtham gesserat, ad Historiam una serie, non interrupte posteris transmittendam, animum adjecisse. Videtur itaque de Sertorio et Pompeio, item de Mithridate, Tigrane et Lucullo præcipue, et iis quæ ab his a Lepidi Consulatu ad bellum Catilinarium usque, acta sunt, mentionem fecisse. Quæ vero ex ejus fragmentis hinc inde dissipata collecta sunt, in tanta caligine, vix quisquam in locum suum et ordinem possit restituere; neque certe tanti esse judicamus.

[d] *Cato*] Censorius est.

Fannius[e] vere. *Victorinus.*

Nos in tanta doctissimorum[f] hominum copia. *Servius.*

Neque me diversa pars in civilibus armis movit a vero. *Arusian.*

Nobis primæ[g] dissensiones vitio humani ingenii evenere: quod inquies atque indomitum,[h] semper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. *Priscianus.*

Nam a primordio urbis ad bellum Persi[k] Macedonicum. *Idem.*

Res Romana plurimum imperio valuit, Ser. Sulpitio et M. Marcello Coss. omni Gallia[l] cis Rhenum,[m] atque inter mare nostrum,[n] atque Oceanum, nisi quæ a paludibus invia fuit, perdomita. Optimis[o] autem moribus et maxima concordia egit populus Rom. inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense. *Victorin. et Augustin.*

At discordia, et avaritia, atque ambitio, et cetera secundis rebus oriri sueta[p] mala, post Carthaginis excidium maxime aucta sunt. Nam injuriæ validiorum, et ob eas discessio plebis a patribus, aliæque dissensiones domi fuere jam inde a principio: neque amplius, quam regibus

NOTÆ

[e] *Fannius*] Duo fuerunt, quorum Cicero meminit in Bruto.

[f] *Doctissimorum*] De Cælio, Rutilio, Pictore, Quadrigario, Antiate, Sisenna, Venonio, præcipuis ante Sallustium Historicis, intelligi volunt: quibus adde Catonem historicum eximium, ex quo multa sumsisse Auctorem nostrum, ei etiam exprobratum est.

[g] *Primæ*] De seditionibus videtur agere, quæ ob fœneratorum impotentiam præcipue, atque potentiorum superbiam, ortæ sunt. Ceterum locutus fuerit de primis omnino Romanorum divisionibus, an non, nostra parum interest: illud est maximum quod nobis verum discordiarum nostrarum fontem ostendit; quem obstruet qui volet et poterit.

[h] *Indomitum*] Id est, *quod domari non potest.*

[k] *Persi*] A nominativo Perseus: alias Perses dicitur, quem regno Macedoniæ Romani spoliaverunt.

[l] *Gallia*] Hinc patet, quod et alii abunde probaverunt, Germaniam veteribus sub Gallia comprehensam fuisse.

[m] *Rhenum*] Rhenus notissimus hodie Germaniæ fluvius.

[n] *Nostrum*] Mediterraneum.

[o] *Optimis*] Hoc illud est quod dixit in Jugurtha, Senatum et P. Romanum placide inter se, modesteque Rempublicam tractasse.

[p] *Sueta*] Ab iis itaque sibi cavendum esse intelligant qui favente utuntur fortuna.

exactis, dum metus a Tarquinio[q] et bellum grave cum Etruria[r] positum est, æquo et modesto jure agitatum:[a] dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo[s] regio more consulere: agro pellere, et, ceteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus sævitiis, et maxime fœnoris onere oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum[t] atque Aventinum insedit. Tumque Tribunos[v] plebis et alia sibi jura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. *Augustin.*

Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt: dum pauci potentes, quorum in gratia[w] plerique concesserant, sub honesto[x] patrum aut plebis nomine, dominationes affectabant, bonique et mali cives appellati, non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus et injuria validior: quia præsentia[y] defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore[z] majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati:[a] adeo juventus luxu atque avaritia corrupta est, uti merito dicatur, genitos esse, qui

[a] *Neque amplius* Romæ *agitatum est æquo et modesto jure, quam dum metus a Tarquinio, et bellum grave positum est cum Etruria, postquam reges pulsi essent.*

NOTÆ

[q] *Tarquinio*] *Superbo*, scilicet, regum Romanorum postremo, qui una cum filiis adversus Romanos bellum movit, eos manu in regnum reducente Etruscorum rege Porsena.

[r] *Etruria*] Italiæ regio ad Urbis Occiduum. Hodie *Toscane.*

[s] *Tergo*] Quia verberibus in damnatos sæviebant.

[t] *Sacrum*] *Capitolium.*

[v] *Tribunos*] Per quos a potentiorum injuria tuti agitarent.

[w] *In gratia*] Arusianus a Sallustio dictum notat *concedere in gratia.* Augustinus, qui fragmentum hoc totum conservavit, *in gratiam concesserunt*, scriptum reliquit.

[x] *Sub honesto*] Patres pro dignitate Senatus, Tribuni pro libertate plebis dum contendere videbantur, quisque pro gloria sua certabat.

[y] *Quia præsentia*] Hinc discere possunt qui Reipublicæ student commoditatibus, quanto cum molimine, quantaque prudentia ex prædonum manibus ea sit retrahenda.

[z] *Ex quo tempore*] Hæc cum præcedentibus una serie non refert Augustinus.

[a] *Præcipitati*] Hunc locum diligenter excussisse non pœnitebit eos, qui ad Reipublicæ sedent gubernacula.

neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati. *Agellius et Augustin.*

Igitur[b] venditis proscriptorum bonis, aut dilargitis. *Agellius.*

Id bellum excitabat metus[c] Pompeii victoris Hiempsalem[d] in regnum restituentis. *Idem.*

Maximeque ferocia regis Mithridatis[e] in tempore bellaturi. *Donatus et Arusianus.*

Quin lenones et vinarii laniique, quorum præterea vulgus in dies usum habet, pretio compositi.[f] *Carisius.*

Genus armis ferox, et servitii insolitum. *Arusianus.*

M. ÆMILII LEPIDI

COS. AD P. R. ORATIO CONTRA SYLLAM.

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maximi et clari estis,[6] plurimum timoris mihi faciunt, adversus tyrannidem[g] L. Syllæ: ne ipsi nefanda quæ æstimatis, ea parum credendo de aliis, circumveniamini (præsertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit; neque[h] se aliter tutum putet, quam si pejor atque intestabilior metu[i] vestro fuerit, quo captivis libertatis curam

[6] *Quibus maximi estis inter ceteras gentes.*

NOTÆ

[b] *Igitur*] De Sylla hoc loco sermonem esse quando non probaret Augustinus, res ipsa satis declararet.

[c] *Metus*] Gellius Pompeii metum explicat, non quod ille metueret, sed quod metueretur.

[d] *Hiempsalem*] Huic Numidiam cum Gætulis Pompeius tradidit, cujus filium Jubam Cæsar profligavit.

[e] *Mithridatis*] Rex fuit Ponti Mithridates, Romanorum acerrimus hostis, usque adeo veneno assuetus, ut eo tandem male tentatum spiritum, ferro coactus sit expellere.

[f] *Compositi*] Nonius exponit *redemti.*

[g] *Tyrannidem*] Dictaturam ante Lepidi Consulatum deposuisse Syllam, non est dubium: adeoque de ejus dominatione hic agitur, quatenus eam per Satellites, posito nomine tantum, exercebat.

[h] *Neque*] Igitur, vel Principiis obstandum; vel semel et mature, cui ea lubet arripere, tradenda sunt Reipublicæ gubernacula.

[i] *Metu*] *Quem vobis incusserit Sylla,* scilicet: ne, si parum tyrannus esset; aut vos aliquid auderetis, ipsum acerbissime puniretis.

miseria eximat[c]) aut si provideritis, in tutandis periculis magis, quam in ulciscendo teneamini.[d] Satellites quidem ejus, homines maximi nominis, non minus[k] optimis majorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis in vos, servitium suum mercedem dant:[l] et utrumque per injuriam malunt, quam optimo jure libere agere: præclara Brutorum,[m] atque Æmiliorum et Lutatiorum[n] proles, geniti ad ea, quæ majores virtute peperere, subvertenda. Nam quid a Pyrrho,[o] Hannibale, Philippoque[p] et Antiocho[q] defensum est aliud, quam libertas, et suæ cuique sedes; neu cui, nisi legibus, pareremus? quæ cuncta sævus iste Romulus,[r] quasi ab externis rapta, tenet: non tot exercituum clade, neque consulis[s] et aliorum principum, quos fortuna belli consumserat, satiatus; sed tum crudelior, cum plerosque secundæ res in miserationem ex ira vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros[t] composuit: quis prius injuria, quam vita certa esset: pravissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus furit; dum vos, metu gravioris servitii, a repetenda libertate terremini. Agendum atque obviam eundum est, Quirites; ne spolia vestra penes illum sint: non prolatandum neque

[c] *Ut miseria adimat* vobis *captivis curam libertatis.*
[d] *Aut, si provideritis, magis attenti sitis ad vos a periculis liberandos, quam ad injurias ulciscendas.*

NOTÆ

[k] *Non minus*] Id est, *qui, præter nomen, exempla insuper optima a suis Majoribus habuerunt.*

[l] *Mercedem dant*] Id est, *Illi, ut vobis imperent, servi fiunt.*

[m] *Brutorum*] Hujus præsertim meminit, quia tyrannorum hostis fuit acerrimus, quique Tarquinium superbum expulit, ejusque filium plane quasi ad inferos usque persecutus est.

[n] *Lutatiorum*] A Lutatio Catulo, ipse Lepidus, bellum civile movens, retro pulsus est.

[o] *Pyrrho*] Id est, *adversus ipsum.* Fuit autem Pyrrhus rex Epirotarum.

[p] *Philippoque*] Rex fuit Macedoniæ.

[q] *Antiocho*] Rex fuit Syriæ, quem luxuria sua debellatum nullo negotio P. Romanus superavit.

[r] *Romulus*] De Sylla invidiose loquitur.

[s] *Consulis*] Videtur de Marii filio loqui.

[t] *Post futuros*] Hoc dicit, quia Proscriptorum liberos Sylla a Republica submovit, eosque petendorum honorum jure privavit.

votis paranda auxilia: nisi forte speratis per tædium jam aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata periculosius[u] dimissurum. At ille eo processit, uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendæ[v] dominationis honesta existimet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quæ multi probi potius, quam laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt. Hac tempestate serviendum, aut imperitandum: habendus metus, aut faciendus, Quirites. Nam quid ultra? quæve humana superant, aut divina impolluta sunt? populus Romanus, paulo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, jure, agitandi inops, despectusque, ne servilia[w] quidem alimenta reliqua habet. Sociorum et Latii magna vis, civitate, pro multis et egregiis factis, a vobis data, per unum prohibentur: et plebis innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes unum, denique necis civium, et vitæ licentia.[x] Simul humanas hostias vidistis, et sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit: neque quisquam extremam[y] necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat. Verum ego seditiosus, uti Sylla ait, qui præmia turbarum queror;[z] et bellum cupiens, quia jura pacis

NOTÆ

[u] *Periculosius*] Nullus itaque injuste dominetur, qui se pessimum fieri metuit.

[v] *Retinendæ*] Id est, *ad retinendum*. Subintelligitur *causa*.

[w] *Servilia*] Quinorum frumenti modiorum fuisse ea, in singulos menses, ex Donato, ad Terentii Phormionem, discimus. Ceterum hinc licet conjicere, aliquid in frumenti distributione a Sylla mutatum fuisse.

[x] *Vitæ licentia*] Nemo enim, illo invito, nec bona, nec Patriam, nec vitam, retinere poterat, ut testatur Cicero.

[y] *Extremam*] *Mortem*.

[z] *Queror*] Gronovius legendum esse putat *quæro*: at pace tanti viri nihil mutandum censeo; quin sensum meliorem, magisque ex Lepidi ingenio, *queror* videtur efficere. Intendit enim Syllæ criminationes eo modo proponere, ut per se diluantur; quod quidem in posteriori perspicuum est, cum dicit, *Et bellum cupiens, quia jura pacis repeto.* Si in priori pro *qui*, legas *quia*, nam sæpe eam vim obtinet, res erit clarissima. Lege modo, et videbis: perinde enim est ac si diceret, *Inepte Sylla me seditiosum vocat, cum in eo sim, ut querar, quod præmia antehac in seditiosos collata fuerint.*

repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba[a] Cornelius aliena bene parata prodegerint: nisi approbaveritis omnes proscriptiones innoxiorum, ob divitias;[b] cruciatus virorum illustrium; vastam urbem fuga et cædibus; bona civium miserorum, quasi Cimbricam[c] prædam, venum aut dono datam. At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me, neque quenquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus.[d] Atque illa quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto: jure[e] dominis tamen restituo; neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta toleravimus, manus conserentes inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Syllam non pœnitet, ut et facta in gloria[f] numeret, et, si liceat, avidius fecerit. Neque jam quid existimetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor: ne, alius alium principem expectantes, ante capiamini; non opibus ejus, quæ futiles et corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam captum ire licet, et quam audeat[g] tam videri felicem. Nam

NOTÆ

[a] *Scriba*] Ita vocati sunt qui in tabulas rationes publicas referrent. Quorum quidem ordo honestus erat, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magistratuum committuntur, ut ait Cicero: at officium mercenarium, nec magni testimonii aut pretii; si Alex. Neapolitano, aliisque, unde et istud colligi potest, fides est adhibenda. Hic vero Cornelius et Vettius ex eo numero fuerunt, qui malo publico creverant, satellites Syllæ tyrannidis et crudelitatis, atque adeo maxime exosi, ut, vel ex hoc loco apparet.

[b] *Ob divitias*] Dicit divitias causam fuisse, ut innoxii quoque proscriberentur.

[c] *Cimbricam*] Cimbri populi fuerunt Germaniæ, supra Saxones, ad Septentrionem, in peninsula ab ipsis Cimbrica dicta, quos ab extremis Galliæ profugos, cum Theutonis et Tigurinis, Marius novissime conciderat.

[d] *Faceremus*] Pro *fecissemus:* ita et Terentius, sæpe.

[e] *Jure*] *Suivant les formes de justice.*

[f] *In gloria*] Videtur ad id respicere quod Plutarchus, palam, in foro Syllam dixisse, testatur, cum publicum præsidium a se dimisisset, *Sese omnium a se gestarum rerum paratum esse rationem reddere.*

[g] *Quam audeat*] Hic aliquid deesse putant, deinde quod libet mutant et addunt. Difficile non est; neque ea res agitur. At sensus nullus est? Nullus sit; nam malim equidem ego

præter satellites commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victoriam? scilicet milites:[h] quorum sanguine, Tarrulæ Scyrroque, pessimis servorum, divitiæ partæ sunt: an, quibus prælatus in magistratibus capiendis Fusidius, ancilla[i] turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera et labores, nihil, præter tyrannum,[k] quæsitum est. Nisi[l] forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam a majoribus suis: utique[m] jura et judicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, cum relegati[n] in paludes et sylvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.[e] Quare igitur tanto agmine atque animis incedit?[o] quia secundæ res mire sunt vitiis obtentui;[p] quibus[q] labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi forte specie[r] concordiæ et pacis, quæ sceleri et parricidio suo nomina indidit. Neque aliter populo Romano esse belli

[e] *Cum intelligerent, postquam relegati essent in paludes et sylvam, contumeliam atque invidiam* tantum *esse pro se, præmia* vero *penes paucos.*

NOTÆ

scire me aliquid perdidisse, quam pro eo aliud per imperitiam sumere, et gestare. At vero videamus, annon sensus aliquis ex istis verbis possit erui. Hac ipsa periodo dixit Lepidus, *Vereor quantum vos audeatis.* Potuerit et dicere, *Vereor quam Sylla audeat*, et *quam audeat videri felicem:* atque istud egregie quadrabit, cum omnes a felicitate sciant Syllam cognominatum fuisse.

[h] *Scilicet milites*] Ironia est.

[i] *Ancilla*] Per maximum contemtum ita loquitur.

[k] *Tyrannum*] *Syllam*, scilicet.

[l] *Nisi*] Ironica dubitatio.

[m] *Utique*] Respondet ironicæ dubitationi: vel si mavis, ejus est continuatio; quod magis probo.

[n] *Relegati*] Ita, per contemtum, loquitur de agris, quos suis militibus Sylla dividebat: quanquam eo divites colonos multos effecerat.

[o] *Incedit*] Id est, *Qui fit igitur, ut tam magnifice per ora nostra Sylla ambulet, cum jam omnes ejus dominationis pigeat?* Peropus vero fuit sibi istud Lepidus a parte Populi objiceret, ut ejus postea timor dissolveretur.

[p] *Obtentui*] Id est, *mire vitia tegunt, faciuntque ut quid splendidum videantur.*

[q] *Quibus*] *Rebus secundis*, scilicet.

[r] *Specie*] Hic corruptam esse scripturam, ut sentit clarissimus Douza, nullus dubito. Correctionem, quam modestissime conjecturam dicit, non possum non amplecti, cum propemodum nihil mutet. Pro *specie* reposuit *spes est:* atque conjecturam, ex loco plane simili, in hac ipsa oratione, confirmat, ubi dixit Lepidus, *Nisi forte speratis per tædium jam aut pudorem tyrannidis, &c.*

finem, ait, nisi maneat expulsa agris plebes, præda civilis acerbissima; jus, judiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quæ, si vobis pax et concordia intelliguntur, maxima turbamenta reipub. atque exitia [s]probate:[f] annuite legibus impositis: accipite otium cum servitio: et tradite exemplum posteris ad populum Romanum suimet sanguinis mercede[t] circumveniendum. Mihi, quanquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini majorum, dignitati, atque etiam præsidio,[g] tamen non fuit consilium privatas[u] opes facere; potiorque visa est periculosa libertas, quieto servitio. Quæ si probatis, adeste Quirites, et bene juvantibus Dis, M. Æmilium Consulem,[v] ducem et auctorem sequimini ad recipiendam libertatem.

Tunc vero et posci,[w] cum ceteri ejusdem causa ducem senatus rati, maximo gaudio bellum irritare. *Nonius, irritare, provocare.*

Curionem[x] quæsivit,[y] uti adolescentior, et populi suffragiis integer,[z] ætati concederet Mamerci.[a] *Priscianus* lib. x.

Philippus, qui ætate et consilio ceteros anteibat. *Servius* l. II.

[f] *Quæ, si pro pace et concordia veniunt apud animum vestrum, probate* igitur *maxima turbamenta atque exitia Reipublicæ.*

[g] *Quamvis satis consulueram per hoc summum imperium, et Consulatum, nomini et gloriæ Majorum meorum, dignitati, atque etiam præsidio.*

NOTÆ

[s] *Probate*] Efficacissima est ista agendi ratio, cum quis adversario, quod ipsum maxime urgeat, concedit.

[t] *Mercede*] *Mercede* pro *cæde* reponendum esse contendit Douza. *Cædes equidem sanguinis*, duriter sonat: sed nolim tamen ex dura oratione eam extrudere.

[u] *Privatas*] Id est, *mihi soli prospicere;* vel, *Me solum tutum et felicem agere.*

[v] *Consulem*] *Illum ipsum*, scilicet.

[w] *Posci*] Videtur deesse nomen proprium ducis, quod ex his reliquiis, licet corruptis, concinnandum est, legendumque: *Tum V..... posci, cum ceteri ejusdem causa ducem se nactos rati, &c.* Verba sunt Ursini.

[x] *Curionem*] Consul fuit, anno, a Lepidi Consulatu, altero.

[y] *Quæsivit*] A verbo *Quæso*, ex quo *Quæso* et *Quæsumus* tantum manserunt.

[z] *Integer*] Id est, *qui neque ad id tempus honores petiverat, neque ambiverat; cuique Populus nondum suffragatus erat.* Atque hinc licet conjicere hunc Lepido sese præpositum studuisse.

[a] *Mamerci*] Lepidus intelligitur; illud enim fuit prænomen Æmiliorum. Sed notandum duos continenter et annis subsequentibus Consules factos fuisse.

ORATIO L. PHILIPPI CONTRA LEPIDUM.

Maxime vellem, P. C. remp. quietam esse, aut in periculis a promtissimo quoque defendi; denique prava incepta consultoribus noxæ esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat: postremo, quæ pessimi et stultissimi decrevere, ea bonis et sapientibus facienda sunt. Nam bellum, atque arma, quanquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt. Nisi forte cui pacem præstare, et bellum pati consilium est.[h] Pro, Di boni, qui[b] hanc urbem omissa cura adhuc regitis; M. Æmilius, omnium flagitiosorum postremus, qui pejor, an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum opprimendæ libertatis habet, et se e contemto metuendum effecit: vos mussantes, et retractantes verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis, quam defenditis:[i] neque intelligitis, mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id jure;[c] quoniam ex rapinis Consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cujus sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet,[d] ii, qui, ad postremum usque, legatos, pacem, concordiam, et alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Immo despecti et indigni rep. habiti, prædæ loco æstimantur: quippe metu[e] pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, cum Etruriam conjurare, proscriptos accersiri,

[h] *Nisi forte alicui mens est pacem dare, et bellum pati.*
[i] *Vos, dum tacetis, vel reluctamini verbis et carminibus vatum, optatis magis pacem, quam eam defenditis.*

NOTÆ

[b] *Qui*] Istud *qui*, non ad Deos refertur, sed ad homines, Senatores scilicet, quos Philippus appellabat. Quasi diceret, *Annon istud stupendum, vos, qui hanc urbem regitis, non providisse, ne Lepidus, &c.*

[c] *Jure*] Id est, *id vobis pro merito accidit.*

[d] *At scilicet*] Amara ironia, qua adversarios seu repugnantes inducit, sibi, quod illos maxime urgeat, objectantes.

[e] *Metu*] Certe eorum mire expressit et irrisit insaniam, qui per socordiam, Rempublicam administrant.

largitionibus rempubl. lacerari[f] videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant,[g] et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant:[k] cum privata[h] arma opprimendæ libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quærendo,[i] consilium publicum corruperunt. Attamen erat Lepidus latro cum calonibus[k] et paucis sicariis;[l] quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit:[m] nunc est pro consule cum imperio, non emto,[n] sed dato a vobis; cum legatis adhuc jure[o] parentibus: et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissimi; flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati; quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt; Saturnini[p] olim, post Sulpicii,[q] dein Marii Damasippique,[r] nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria,

[k] *Ceterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, et* dicebant *magnitudinem P. Romani crevisse ignoscendo, nusquam adhuc videbant Lepidum progressum.*

NOTÆ

[f] *Lacerari*] Id est, *in partes et factiones dividi.*

[g] *Extollebant*] Ut, scilicet, Senatum ad misericordiam erga Lepidum facilius adducerent.

[h] *Privata*] Id est, *sine Senatus auctoritate.*

[i] *Quærendo*] Rem istam Catonis verbis ita proferas, *Sibi quisque consilium capiendo, eo factus est impetus in vacuam Rempublicam.*

[k] *Calonibus*] Servi sunt militum. *Des Goujats.*

[l] *Sicariis*] Gall. dicunt *Des Assassins: Des Coupe-jarrets.*

[m] *Mutaverit*] Hoc dicit per maximum eorum nebulonum contemtum; ut vilissimos fuisse intelligatur, qui vitam suam pro alimentorum pretio condonare non dubitarent.

[n] *Emto*] Prout antea, quamdiu Lepidus pecunia sua conductis sicariis stipatus incedebat.

[o] *Jure*] Scilicet Imperatori suo parere tenentur Legati.

[p] *Saturnini*] Hic Gracchanas leges asserens, seditionem ante aliquod tempus moverat.

[q] *Sulpicii*] Hic Tribunus plebis, annitente Mario, legem tulit, ut exules revocarentur, et ut ipse Marius adversus Mithridatem Dux crearetur: proscriptus deinde a Sylla, a servo proditus, retractus, et occisus est. Servum vero quod attinet, ob indicium manumissus, sed statim, ob scelus erga Dominum, de saxo Tarpeio dejectus, simul ejusdem facti præmium et pœnam consecutus est.

[r] *Damasippique*] Hic Prætor fuit, nulla virtute præditus, qui ex Marii voluntate, Syllani nominis defensores crudelissime mactavit.

atque omnes reliquiæ[s] belli arrectæ: Hispaniæ armis solicitæ: Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin, præter idoneum ducem, nihil abest ad subvertendum imperium. Quod[t] ego vos oro atque obsecro P. C. ut animadvertatis; neu patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros contactu procedere.[l] Nam, ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An expectatis dum, exercitu rursus[o] admoto, ferro atque flamma urbem invadit? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace[u] et concordia ad arma civilia: quæ ille adversum divina et humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat injuria, sed legum ac libertatis subvertendæ. An-

[l] *Neve patiamini licentiam scelerum quasi rabiem procedere contactu ad eos qui non sunt corrupti.*

NOTÆ

[s] *Reliquiæ*] De iis loquitur, qui a Marii parte steterant.

[t] *Quod*] *Propter quod.*

[o] *Rursus*] Istud contra historiæ fidem esse contendit Douza; atque ex eo præsertim, quod nullibi, Lepidum, ante postremam expeditionem, et pugnam cum Catulo commissam, ad Romana mœnia exercitum admovisse; multo minus, urbem ferro et flamma invasisse, legatur. At certe, quod cum tanti viri bona venia dictum sit, non videtur probare Douza quod intendit. Non enim licet quæ Rhetorice a Philippo adversus Lepidum dicta sunt, statim ad historiæ rigorem exigere; quasi revera ille voluerit dicere, Lepidum ferro et flamma Urbem invasisse; vel, si id maxime, non ideo tamen locum hunc corrigere opus fuerit, cum potuerit Orator, quod a nefariis satellitibus antea patratum esset, ipsi Lepido, quanquam novo eorum duci, tribuere. Nihil tamen ea de re historia. Quid inde? Forte res atrox non fuit, vix forte erupit; adeoque ab Historicis neglectam fuisse possumus suspicari. Verum quid opus est rationes congerere, cum ex hac ipsa oratione, cuivis cum aliqua attentione legenti, Lepidum ante aliquid turbasse, quam cum Catulo pugnaret, satis superque probetur?

[u] *Ex pace*] Haud dubie mendosam esse scripturam hanc idem Douza arbitratur, quam juxta cum ignarissimis sese intelligere dicit; adeoque totum locum interpolandum censet: ceteri tacent. Forte sensus aliquis ex hac paraphrasi eruetur; perinde enim mihi videtur, ac si dixisset Philippus, *Non jam prolatare tempus est, ut factum antea, cum Lepidus contemnendus magis quam profligandus videbatur, quamdiu cum paucis sicariis nihil amplius quam civitatem aliquo modo poterat commovere. Nunc ille in eo non versatur; cives ad arma compellere non studet, cum per vos exercitum habeat; et citius eveniet, ut ille ferro et flamma urbem invadat, quam ut cives ad arma capienda solicitet.*

gitur enim, ac laceratur animi cupidine et noxarum[v] metu, expers consilii, inquies; hæc atque illa[w] tentans, metuit[x] otium, odit bellum, luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra secordia. Neque mihi satis consilii, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem: qui videmini intenta mala, quasi fulmen, optare, se quisque ne attingat; sed prohibere, ne conari quidem.[m] Et quæso considerate, quam conversa rerum natura sit. Antea malum[y] publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant: nunc pax, concordia disturbantur palam; defenduntur occulte. Quibus illa[z] placent, in armis sunt: vos in metu. Quid expectatis? nisi forte pudet, aut piget recte facere. An Lepidi mandata[a] animos movent? qui placere ait, sua cuique reddi; et aliena tenet: belli jura rescindi; cum ipse armis cogat: civitatem confirmari, quibus ademtam[b] negat: concordiæ gratia plebei tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensæ. Pessime[c] omnium atque impudentissime, tibine egestas civium, et luctus curæ sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per injuriam? alterum consulatum petis, quasi primum[d] reddideris: bello concordiam quæris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis[e] infidus, hostis om-

[m] *Qui videmini optare quisque, ne objecta mala, quasi fulmen, attingat se, sed nequidem conari prohibere.*

NOTÆ

[v] *Noxarum*] Optime; nam pœnam comitem habet culpa.

[w] *Hæc atque illa*] Id est, *Omnia, etiam diversissima.*

[x] *Metuit*] Lepidum insanum miserumque facit, cum ita fluctuantem et incertum fingit.

[y] *Malum*] Id est, *si quis contra leges et Senatus auctoritatem, aliquid auderet, clam illud parabat, &c.*

[z] *Illa*] *Omnia perturbare.*

[a] *Mandata*] Invidiose de inceptis Lepidi agit, ut eos qui ipsi auscultabant, quasi ejus servi obsequentes fuissent, acerbe vulneret.

[b] *Ademtam*] Confidenter pro *ademtam adeptam* reposuerim: ita enim sensus postulat: mirorque; quomodo alii præterierint.

[c] *Pessime*] Lepidum tanquam præsentem, et quidem ad persuadendum modo maxime efficaci, Philippus alloquitur.

[d] *Quasi primum*] Rhetorico artificio Lepido objicit, quod se adhuc pro Consule gereret; cum, ex Consulatu, exercitui præesset.

[e] *Istis*] *Iis,* scilicet, *qui Lepido fidem habebant.*

nium bonorum. Ut te[f] neque hominum, neque Deorum, pudet, quos per fidem, aut perjurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententia, et retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in solicitudine attineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque Di Penates civem patiuntur. Perge, qua cœpisti, ut quam maturrime merita invenias. Vos autem, P. C. quousque cunctando remp. intutam patiemini, et verbis arma tentabitis?[g] Delectus adversum vos habiti: pecuniæ publice et privatim extortæ; præsidia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur; cum interim vos legatos[h] et decreta paratis. Et quanto, mehercule, avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit; cum intelliget, se metu magis, quam æquo et bono sustentatum. Nam qui turbas et cædem civium odisse ait,[i] et ob id, armato Lepido, vos inermes retinet: quæ victis toleranda sunt, ea, cum facere possitis, patiamini potius censet.[u] Ita illi a vobis pacem, vobis ab

[u] *Nam quicumque dicit se odisse turbas et cædem civium, et ideo retinet vos inermes, dum Lepidus est armatus, ille potius censet ut patiamini ea quæ sunt toleranda victis, cum* ea *possitis* aliis *infligere.*

NOTÆ

[f] *Ut te*] Cum Syllæ acta, multum renitente pleraque nobilitate, Lepidus rescinderet; sacramento, ne Patriæ bellum inferret, cum ipsi concreditus est exercitus, a Senatu adactus est. Jam illi istud objicitur.

[g] *Tentabitis*] Id est, *conabimini verbis armorum vim repellere.* Vix majus aliud malum in Republica, quam cum ejus habenæ in manus infirmas inciderunt; eo enim fit, ut, qui bonum et honestum turpi lucro anteponunt, paucorum sceleratorum dolis et crudelitati objiciantur. Pessimi sunt hac in parte, quos nostri *bonos homines* vocant; quanquam illorum quisque eam laudem salutationibus et prensationibus aucupetur.

[h] *Legatos*] Qui Lepidi ferociam mulceant; cum potius ea re magis augeatur.

[i] *Ait*] Quidam, quem nominare prohibet viri de bonis literis bene meriti, elegantia, lectionem receptam esse fatetur; sed secum et cum Sallustiana elegantia pugnare contendit: numeri rationem in verbis illis tribus, *ait, retinet, censet*, perperam a sciolis inversam, et locum, vel suo periculo, castigandum esse, fidenter pronuntiat: deinde a nato nemine usque adhuc animadversum demiratur illud, sine quo sibi alii quomodo satisfecerint, nescit: denique magnifice sese effert, quod primus, pro *ait, aiunt;* pro *retinet, retinent, &c.* legendum esse intellexerit. Fundamentum istius applausus est, quod ille putavit Pronomen *qui* non posse nisi ad Lepidum referri; quod, quia ridiculum visum est, ideo in aliorum hæret stupiditate, ipsemet stupidus,

illo bellum[a] suadet.[k] Hæc si placent; si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnæ,[l] cujus in urbem reditu, decus ordinis hujus interiit, nihilominus vos, atque conjuges, et liberos, Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quin is et alii boni remp. frustra curant. Agite, uti lubet; parate vobis Cethegi, atque alia proditorum patrocinia,[m] qui rapinas et incendia instaurare cupiunt, et rursus adversum Deos Penates manus armare. Sin libertas et vera magis placent: decernite digna nomine, et augete ingenium[n] viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc, coloniæ[o] veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi; fortuna meliores sequitur: jam illa,[p] quæ collecta sunt secordia nostra, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum privato[q] consilio paratum, cum

[a] *Ita* ille *suadendo inducit pacem Lepido a vobis, vobis* vero *bellum ab illo.*

NOTÆ

scilicet. Ipse ego omnium forte stupidissimus? Ne id quidem mirabor, (quanquam res mihi usque adeo aperta videtur, ut supervacaneum habeam, quicquam addere interpretationi.) Ita enim evenit, ut, vel ea, quæ oculis et manibus attrectamus et comprimimus, cum cura investigemus, nec videamus. Hæc ideo annotavi, quia, ceteris plorare jussis, sibi tam belle assentari; eosque, qui non vident, tametsi oculorum aciem maxime intendunt, vituperare, aut contemnere, injurium visum est.

[k] *Suadet*] De quovis loquitur, qui pro Lepido in Senatu verba faceret.

[l] *Cinnæ*] Hic ab Octavio Roma pulsus, postea, ei abrogato Consulatu, cum exercitu ad Urbem venit, et Romanos commeatu interclusit; deinde cum Romam intrasset, Consule Octavio, plurimisque aliis, ejus jussu, interemtis, multa sævitiæ exempla exhibuit.

[m] *Patrocinia*] Id est, *Homines, qui in Lepidi gratiam, quos vellent, possent adducere.*

[n] *Ingenium*] Ille idem, qui tam graviter superius hallucinatus est, optime pro *ingenium, imperium* videtur reposuisse. Ita vero illud exponit: *Augete Imperium, id est, Rempublicam vestram viris fortibus.* Non probo. Per *Imperium* supremam potestatem intelligo, qua extra ordinem, muniti erant, quibus, more Romano, *Ne quid Respublica detrimenti caperet*, dicebatur. Atque hanc nostram interpretationem in primis confirmat, quod solennibus istis verbis orationem suam Philippus concludit.

[o] *Coloniæ*] Forte de Syllanis militibus intelligit, quos per Hetruriam, pulsis incolis, qui adversus ipsum steterant, Sylla diviserat.

[p] *Illa*] Loquitur de iis omnibus quæ Lepidus contra Rempublicam paraverat.

[q] *Privato*] Ille quidem cum imperio erat, atque eo a Senatu dato, ut supra dixit Philippus; sed privato consilio exercitum auxerat, et ad urbem ducebat.

pessimis, et hostibus reipub. contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit; ut Appius Claudius interrex[r] cum Q. Catulo proconsule, et ceteris, quibus imperium est, urbi præsidio sint: operamque dent, ne quid resp. detrimenti capiat.

Uti Lepidus, et Catulus, decretis exercitibus maturrime proficiscerentur. *Caris.* l. III.

M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior neque minus gravis, sed multiplex cura patres exercebat. *Servius. Marius Victorinus in Ciceronem.*

Obviam ire, et commori hostibus.[s] *Arusianus Messus.*

Lepidus pœnitens consilii. *Caris.* l. III.

Sic vero quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus aut lingua competere. *Nonius:* 'Competere, rei cujusque meminisse, aut constanter valere.'

Prudens omnium, quæ senatus censuerat. *Arusianus.*

Magnis operibus profectus,[t] oppidum cepit, per L. Catilinam legatum. *Festus.*

Domitium proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit. *Prisc.* l. X. 'Arcessivit,' inquit, 'et lacessivit.'

Sanctus aliter, et ingenio validus. *Caris.* l. I. *aliter* pro *alias.*

Gens raro egressa fines suos. *Serv. ad Æn.* XI. *Arusian. Messus.*

Nisi cum ira belli desenuisset. *Prisc.* l. X.

Maturaverunt exercitum Dyrrachium[u] cogere. *Arusian. Messus.*

Illo profectus, vicos castellaque incendere, et fuga culto-

NOTÆ

[r] *Interrex*] Ita vocabatur qui, medius inter duos reges, imperium habebat, donec, priore mortuo, alius sufficeretur. Origo fuit a morte Romuli; munus vero post exactos reges, præcipue comitiorum causa, et ad quinque dies tantum, duravit, idemque quod Consulum.

[s] *Hostibus*] Id est, *cum ipsis.*

[t] *Profectus*] Alii *profectis*, alii *operibus confectis*, legunt. Locus corruptus, ni fallor.

[u] *Dyrrachium*] Urbs est Macedoniæ, ad mare Adriaticum, aliter Epidamnus dicta. Hodie *Durazzo.*

rum deserta igni vastare: neque elato, aut securo esse animo, metu gentis ad furta[v] belli peridoneæ. *Non. Serv. ad Æn.* XI.

Liberis ejus avunculus erat. *Donat. ad Phorm. Terent.*

Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros. *Arus. Mess.*

Insanum aliter sua sententia, atque aliarum mulierum. *Caris.* l. I. *aliter* pro *alias.*

Recens scripsi. *Donat. Phorm.* act. V. sc. 8. *Charis.* II.

Solis viis. *Donat. Phorm.* act. V. sc. 8.

Jussu Metelli cornicines occanuerunt. *Prisc.* l. X. *Serv. Virg. Georg.* II. *Diom.* I. 4.

Nexuit catenæ modo. *Prisc.* l. X.

Doctus militiam. *Arusian. Mess.*

Neque se recipere, aut instruere prælio quivere. *Priscian.* l. X.

Equi sine rectore exterriti, aut saucii consternantur. *Idem* l. IV.

Occupatusque collis editissimus apud Hilerdam[w] et cum multa opera circumdata. *Prisc.* l. V.

At inde nulla munitionis, aut requie mora, processit ad oppidum. *Prisc.* l. XVIII. *requie* pro *requies.*

Agreste. *Caris.* l. I.

Ardebat omnis Hispania citerior. *M. Fabius Victor. de invent. Cic.* l. I.

* et pondere[x] validam urbem multos dies restantem[y] pugnando vicit. *Non.*

Itaque Sertorius,[z] levi præsidio relicto in Mauritania,

NOTÆ

[v] *Furta*] *Les stratagèmes.*

[w] *Hilerdam*] Hilerda, seu Ilerda, ut alii scribere malunt, urbs est Tarraconensis Hispaniæ, hodie *Lerida* dicta.

[x] *Et pondere*] Vulgo *ponere:* et pro his vocibus in quibusdam Nonii manuscript. Digonem se reperisse testantur viri docti; unde Vizonem legendum esse conjecit Putschius, Probo, ut ille ait, duce, qui in voce ZO, se nullum nomen hac syllaba terminatum reperisse testatur, nisi unum barbaræ civitatis, lectum in Sallustio *Vizo, Vizonis.*

[y] *Restantem*] Id est, *resistentem.*

[z] *Sertorius*] Vir fuit summæ, sed calamitosæ virtutis, cui, a Sylla proscripto, cum Hispaniam armasset, Res Romana uno Imperatore resistere non potuit; quique non prius bello quam suorum scelere extinctus est.

nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtivaque celeritate vitare prælium in transgressu conatus est. *Gell.* x. 26. *Non. Marcell.*

Trangressos omnes, recipit mons Ballera, præceptus a Lusitanis. *Idem ibidem.*

Earum aliæ paululum progressæ, nimio simul et incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. *Idem.*

Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit. *Serv. Æn.* VIII. *Arusian. Mess.*

Et mox Fufidius[a] adveniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis opportuniora videt. *Non.*

Cum Sertorius neque erumperet, tam levi copia, navibus fugam maturabat. *Serv. Fuld. Mess.*

Itineris eorum Metellus per literas gnarus. *Arusian.*

Itaque Servilius ægrotum[b] Tarenti[c] collegam prior transgressus, iter vertit ad Corycum urbem inclytam: pastusque nemore, in quo crocum gignitur. *Prisc. Non.*

Ad Olympum atque Phaselida.[d] *Prisc.*

Apud Corycum.[e] *Idem.*

Apud Lethe[f] oppidum, cui nomen oblivionis condiderant. *Idem Serv. ad Æn.* I.

Repulsus a Lethe oppido. *Idem Prisc.*

Apud Mutinam.[g] *Idem.*

Apud Præneste[h] locatus. *Idem.*

NOTÆ

[a] *Fufidius*] Lipsius *Aufidius*, et de bello Sertoriano accipit, ex Plutarcho.

[b] *Ægrotum*] Potius est ut Sallustium scripsisse credam, *ægroto collega*, idque de Lipsiana sententia, inquit Douza.

[c] *Tarenti*] Taréntus urbs est Calabriæ, a Phalanto Lacone condita.

[d] *Olympum atque Phaselida*] Urbes fuerunt Lyciæ maritimæ et validissimæ, quas, deturbatis latronibus qui illuc prædas suas piraticas comportabant, P. Servilius evertit.

[e] *Corycum*] Plinio mons est, et antrum, et oppidum Ciliciæ. Mons seu promontorium ab aliis, Strabone puta, propter optimum crocum celebratur; ab aliis oppidum. Est item Corycus Cretæ promontorium.

[f] *Lethe*] Urbs est Macedoniæ non longe a Thermaico sinu, ad Septentrionem.

[g] *Mutinam*] Galliæ togatæ oppidum; hodie Italiæ ascribitur, vocaturque *Modene*.

[h] *Præneste*] Urbs Latii, non longe a Roma.

Medio diei. *Messus.*

Quietam a bellis civitatem. *Idem.*

Militiæ peritus. *Idem.*

Sertorius portis turbam morantibus, et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora, ad medium[i] quasi deinsuper astantium, manibus in murum attollitur. *Non. Serv.*

Neque detrusus aliquotiens terretur. *Prisc.* l. XV.

Dubitavit acie pars. *Idem.*

Quos inter maxime. *Caris.*

Rumore primo. *Caris.*

Idem fecere Octavius et Q. Cæpio sine gravi cujusquam expectatione, neque sane ambiti publice. *Serv. ad Æn.* IV. 'Ambire significat et rogare. Sallust. in Jugurth. 'Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos.' Dicebatur et ambio illum, pro rogo. Sallust. in I. 'Idem fecere,'' etc.

Cum aræ et alia Diis sacrata, supplicium sanguine fœdarentur. *Idem.*

Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare. *Idem ad illud Æn.* X.

' ——— per eversæ genitor fumantia Trojæ
Excidia obtestor.'

Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus. *Idem.*

Perpenna[k] tam paucis profectus, vera est æstimanda. *Idem ad Æn.* XII. vs. 694.

NOTÆ

[i] *Ad medium*] Quid hic sibi velit Auctor, difficile non est conjicere, Sertorium, scilicet, calonum humeris sublatum, in muros ab iis, qui super stabant, receptum fuisse; cum olim alti non amplius essent, quam ad arcendum impetum.

[k] *Perpenna*] Non crediderim hoc loco de illo sermonem esse qui Aristonicum vicit; sed de eo de quo postea, qui Sertorium in convivio trucidavit.

CAII CRISPI SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

LIBER II.

Sardinia[a] in Africo mari facie vestigii humani, in orientem, quam in occidentem latior prominet. *Gell.* XIII. 18. *Non.* ‘ Faciem totius corporis formam, *πρόσωπον*, id est, os, posuit antiquitas prudens; ut ab aspectu species, et a fingendo figura, ita a factura corporis facies.’ Sallust. l. II. ‘ Sardinia,’ &c. *Isidor.*

Inde Ichnusa[b] appellata. *Solin.*

Dubium an insula sit, quod Euri[c] atque Austri[d] superjactis fluctibus circumlavit. *Nonius*, ‘ *lavit* pro *lavat*.’

Nam Syllam consulem de reditu ejus legem ferentem ex composito trib. pl. C. Herennius prohibuerat. Notat *Gell.* X. 20. ‘ Sallustium proprietatis in verbis retinentissimum

NOTÆ

[a] *Sardinia*] Mediterranei maris insula. Douza hoc fragmentum ex Isidoro augere conatur.

[b] *Ichnusa*] Id est, *Sardinia;* a vestigii similitudine Græca etymologia sic nuncupata.

[c] *Euri*] Eurus ventus est spirans ab ortu æquinoctiali. Subsolanus quoque dicitur.

[d] *Austri*] Ventus a meridie, qui et Notus, nomine a Græcis mutuato, vocatur.

consuetudini concessisse, et privilegium, quod de Cn. Pompeii Magni patris reditu ferebatur, legem appellasse.'

Nam procul, et diversis ex regionibus. *Caris. Asper,* '*procul,* inquit, *est e loco.*'

Obviam fuere. *Charis. ibidem. Asper,* ait, 'vetuste *obviam fuere,* adverbio quam nomine uti maluit.'

Urbe, patriaque extorres. *Messus.*

Genus militum suetum a pueritia latrociniis. *Idem.*

Inter læva mœnium, et dextrum flumen Turiam,[e] quod Valentiam[f] parvo intervallo præterfluit. *Prisc.* l. v. et vi. 'Turiam dixit, qui accusativus generis masculini est, non neutri.'

In fiducia, quam argumentis, purgatiores dimittuntur. *Donat. Phorm.* act. i. sc. 3. et *Heçyr.* act. iv. sc. 4. *Nonius.* 'Fiducia est audacia.' *Serv.*

Antequam regressus Sertorius instrueret pugnæ suos. *Arusianus.*

Ipse animi atrox. *Idem.*

Copiis integra. *Idem.*

Eodem anno in Macedonia C. Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam,[g] quibus potuit modis, dictas pecunias coëgit. *Nonius,* '*dicere,* est *promittere.*'

Post, ubi in fiducia nimius. *Arusian.*

Sed ipsi ferunt tantum ex grege, quem prope littora regebat Corsa[h] nomine Ligus mulier. *Prisc.* l. vi.

Nam[i] quædam Corsa nomine Ligus mulier cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum, atque per intervalla, corpore aucto,[k] remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris degredientem

NOTÆ

[e] *Turiam*] Turia rivus est Hispaniæ Tarraconensis, qui non est cum Durio flumine confundendus, cum ille in mare Mediterraneum, hoc vero in Oceanum devolvatur.

[f] *Valentiam*] Urbs est Hispaniæ Tarraconensis.

[g] *Dardaniam*] Regio est supra Macedoniam, ad Septentrionem.

[h] *Corsa*] De Corsicæ insulæ exordio agitur.

[i] *Nam*] Et istud fragmentum ex eódem Isidoro studet augere Douza. Sed nihil certi video.

[k] *Aucto*] Quia, scilicet, luxuriante herba egregie pastus erat.

usque ad insulam navigio prosecuta est. Cujus regressu insulæ fertilitatem cognoscentes Ligures, ratibus eo profecti, eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt. *Isidor.* XIV. 6.

Ne illa tauro parata sint. *Donat.* act. IV. sc. 2. *Andriæ.*

Dædalum[l] ex Sicilia profectum, cum Minonis[m] fugeret iram, atque opes. *Prisc.* l. VI. *Serv.*

Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat. *Prisc.* l. I.

Quos adversum multi ex Bithynia[n] volentes occurrere, falsum[o] filium arguituri. *Prisc.* l. X.

Ut actione desisteret. *Messus.*

Vespera. *Carisius,* l. II.

Argentum mutuum arcessivit. *Prisc.* l. X.

Eam deditionem senatus, per nuncios Orestis cognitam, approbat. *Prisc.* l. VI.

Nisi qua flumen Lurda Tauro[p] monte defluens. *Idem ibidem.*

Frugum, pabulique lætus ager. *Arusian. Serv. Æn.* I.

Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsæ belli promtissimos delegebant. *Messus.*

Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. *Donat. Phorm.* act. I. sc. 2.

Noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Carisius,* l. II.

At Lucullum[q] regis cura machinata fames brevi fatigabat.

NOTÆ

[l] *Dædalum*] Faber fuit Atheniensis ingeniosissimus, idemque insignis Mathematicus, qui omnium primus vela et antennas navi aptasse dicitur; unde ejus alarum nata est fabula. De Labyrintho vero, quem Minoi in Creta insula construxit, nihil opus est loqui, cum ejus irremeabiles vias fama apud omnes vulgaverit.

[m] *Minonis*] Minos rex fuit Cretæ, quem ob insignem justitiam, judicem apud inferos Poëtæ fabulati sunt.

[n] *Bithynia*] Asiæ minoris regio, ad Septentrionem.

[o] *Falsum*] Optime de Nusa Nicomedis filio hic agi, suspicatus est Douza. Vide ea de re epistolam Mithridatis ad Arsacem.

[p] *Tauro*] Mons est Taurus omnium nobilissimus et maximus, qui universam Asiam in duas partes dividit, quarum altera, quæ ad Septentrionem spectat, Asia intra Taurum; altera, quæ ad meridiem, Asia extra Taurum, dicitur.

[q] *Lucullum*] Consul fuit Lucullus,

Multique commeatus interierant insidiis latronum. *Prisc.* l. VII. et *Nonius.*

Namque primum Jasonem[r] novo itinere maris Æetæ[s] hospitis domum violasse. *Prisc.* l. VIII.

Tartessum[t] Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii, mutato nomine Gadir,[u] habent. *Prisc.* l. V.

Neque subsidiis, uti soluerat, compositis. *Prisc.* l. X. '*Soluerat* autem est *solitus fuerat.*'

Neque inermes ex prælio viros quenquam agniturum. *Idem ibid.*

Ea continentia vir gravis, et nulla arte cuiquam inferior. *Arusian. Non. in Gravis.*

Omnes qui circum sunt, præminent[v] altitudine millium passuum duorum. *Arusian.*

* et Pœni serunt adversus A. N. C. M. *Donat.*

Quia corpore et lingua percitum, et inquietem, nomine histrionis vix sani, Barbuleium appellabant. *Prisc.* l. VI.

Audaciter. *Idem* XV.

Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis, et maxime odium Syllæ, graves, carique erant. *Nonius:* 'Obsequium neut. genere, obsequela fem.'

Mœnibus deturbat. *Non. Deturbare.*

E muris canes sportis demittebant. *Idem.*

Ad hoc rumoribus, adversa in pravitatem; secunda in casum; fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant. *Idem.*

At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regres-

NOTÆ

vir clarissimus et ditissimus, qui bellum adversus Mithridatem feliciter gessit; deinde privatus factus, in ædificiis, convictibus, et apparatibus, profusæ adeo fuit luxuriæ, ut Xerxes togatus vocaretur.

r *Jasonem*] Dux fuit Argonautarum, nulli Poëtarum non decantatus.

s *Æetæ*] Æetes vel Æeta rex fuit Colchorum, Medeæ pater.

t *Tartessum*] Tartessus opulentissima fuit civitas inter duo Bætis, vel, prout hodie dicitur, *Guadalquivir* ostia.

u *Gadir*] Per errorem Tartessi nomen Gadibus, et Gadium seu *Gadir* Tartesso tributum esse docet in Geographia sacra vir incomparabilis Bochartus.

v *Præminent*] Lipsius legit *præminet*, ut de monte quopiam reliquis editiore, intelligatur.

sus; magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus,[w] per vias ac tecta omnium visebatur. Cum quæstor C. Urbinus aliique, cognita voluntate, eum ad cœnam invitaverant; ultra Romanorum, et mortalium etiam morem curabant: exornatis ædibus per aulæa[x] et insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis: simul croco[y] sparsa humus, et alia, in modum templi celeberrimi. Præterea cum sedenti transenna[z] demissum victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat: tum venienti thure quasi Deo supplicabatur. Toga picta[a] plerumque amiculo[b] erat ei accumbenti: epulæ quæsitissimæ: neque per omnem modo provinciam, sed trans maria, ex Mauritania volucrum et ferarum incognita antea plura genera: quibus rebus aliquantam partem gloriæ demiserat, maxime apud veteres et sanctos viros, superba illa, gravia, indigna R. imperio existimantes. *Macrob. Satur.* l. III. c. 13. *Nonius. Sosipater.* l. I.

Ruuntque pars magna suismet, aut proximorum telis, ceteri vice pecorum obtruncabantur. *Nonius.*

Occurrere duci, et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum,[c] Hirtuleio in brachium tela venirent. *Idem.*

Avidisque[d] ita, promtisque ducibus, uti Metellus ictu tragulæ[e] sauciaretur. *Idem.*

NOTÆ

[w] *Secus*] Id est, *sexus:* atque ita veteres locutos esse multis et bene persequitur Carrio.

[x] *Aulæa*] Gall. *Des tapisseries.*

[y] *Croco*] Eum in odoribus habebant, et ideo aqua diluebant; unde ab Apuleio *odorus*, a Seneca *odoratus imber* dicitur. Optimus ex Cilicia mittebatur; hinc Martialis,

Et Cilices nimbis hic maduere suis.

[z] *Transenna*] Servius extensum funem, Nonius fenestram interpretatur.

[a] *Picta*] Intelligendum vel de palmata, quam merebantur ii, qui de hostibus palmas reportabant, quod victorias cum palmis intextas haberet, ut placet Isidoro: vel potius de toga ab Etruscis sumta, purpurei coloris, auro distincta, a triumphantibus geri solita.

[b] *Amiculo*] Id est, *loco simplicis togæ;* nam ea quoque amiculi nomine intelligitur.

[c] *Sagum*] Vestimentum erat militare a Gallis mutuatum.

[d] *Avidisque*] Douza hic de pugna agi credit, in Saguntinis campis a Sertorio commissa, in qua Metellus a Sertorio sauciatus est.

[e] *Tragulæ*] Genus est teli, similitudine hastæ.

Sed Metellus in vulnere. *Don.* act. v. sc. 2. *And.*

Primo incidit forte per noctem in renunculo[f] piscantis. *Non.*

Ad hoc pauca piraticæ adjungit actuaria[g] navigia. *Idem in Piraticæ naviculæ.*

Omnia sacrata[h] corpora in ratem imposuisse. *Arusian.*

Suos equites hortatus vado transmittit. *Idem.*

Ictu eorum qui in flumine ruebant, necabantur. *Donat. Adelph.* act. III. sc. 2.

Circumventi dextra, unde ferrum erat, saxa, aut quid tale capiti affligebant. *Arusian.*

Sed Metellus in ulteriore provincia. *Donat. ad Phorm.* act. I. sc. 4.

Immane quantum animi exarsere. *Non.* 'nomen positum pro adverbio.'

At illi[i] quibus res incognita erat, ivere cuncti ad portas incognita tendere. *Serv. F. Ursini.*

Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit. *Serv. Fuldan.*

NOTÆ

[f] *Renunculo*] Carrio hanc vocem pro navigio piscatorio Gellium accipere dicit; sed, in Gellii codicibus, *remunculus* scribitur, et pro eo *lenunculum* reponi volunt. Lenunculus certe navigii genus est; at sine manuscriptorum auctoritate non ausim vocem aliquam extra Latinam linguam eliminare.

[g] *Actuaria*] Naves erant veloces, ad impetus, et recursus, flexusque capiendos aptæ.

[h] *Sacrata*] *Morti et Diis Manibus devota.*

[i] *At illi*] In Servio Danielis, qui Fuldano præstantior est, hoc fragmentum ita legitur: *At illi quibus aderant, ruere cuncti ad portas, incondita tenere:* ex quo corrupte in illo altero *ivere* pro *ruere* positum esse, mihi quidem, clarum videtur.

CAII CRISPI SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

LIBER III.

EXAUDIRIQUE sonus Bacchanaliorum.[a] *Macr.* l. I. c. 4. *Saturn.* *Non.*

Diversa, uti solet rebus perditis, capessunt: namque alii fiducia *gnaritatis* locorum in occultam fugam sparsi; alii globis[b] eruptionem tentavere. *Prisc.* l. X. *Nonius.*

Unus constitit in agro Lucano,[c] gnarus loci, nomine Publipor.[d] *Id.* l. VI. *Probus Catholicis.*

Male jam assuetum ad omnes vis[e] controversiarum *Prisc.* l. VI.

Conjuratione claudit. *Idem* l. X.

Quali par in oppido festinatio, et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore[f] infirmarentur: nam mœnia

NOTÆ

[a] *Bacchanaliorum*] *Bacchi Festorum.*

[b] *Globis*] Vide supra.

[c] *Lucano*] Lucani populi fuerunt Italiæ ad mare Tyrrhenum, Picentinis et Bruttiis contermini, in extrema propemodum Italia, ab Ortu.

[d] *Publipor*] Id est, *Publii puer, seu servus.* Mirum ni hoc in loco, de quopiam ex Spartaci commilitonibus sermo est.

[e] *Vis*] Numero plurali; ita quoque extulisse veteres auctor est Priscianus: atque ita locutus est Lucretius.

[f] *Madore*] Id est, *humiditate.*

oppidi stagnabant, redundantibus cloacis adverso æstu maris. *Non. in Mador.*

Equis et armis decoribus cultus. *Priscianus* l. VI.

Dedecores, inultique terga[g] ab hostibus cædebantur. *Idem.*

Contra ille calvi[h] ratus quærebat, num somnio thesaurus portenderetur. *Idem* l. VIII. *Non. in Calvitur.*

Parte[i] consumta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem usu sallerent. *Priscianus* l. X.

EPISTOLA CN. POMPEII AD SENATUM.

Si[j] adversus vos patriamque et Deos Penates,[k] tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, et vobis salus quæsita est: nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, P. C. quem contra ætatem[l] projectum ad bellum sævissimum, cum exercitu optime merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hac in spe populus R. liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro vulneribus; et totiens ob remp. fuso sanguine? Fessus scribendo, mittendoque legatos, omnes opes et spes privatas meas consumsi: cum interim a vobis per triennium vix annuus sumtus datus est. Per Deos immortales, utrum censetis me vicem ærarii[m] præstare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad

NOTÆ

g *Terga*] Græcismus; id est, *secundum terga*, vel *per terga.*

h *Calvi*] Id est, *Decipi.*

i *Parte*] Douza de Calaguritanis a Pompeio obsessis intelligit, qui cibi inopia uxores natosque ad usum nefariæ dapis verterunt, et cadaverum reliquias sallierunt, ut testatur Valer. Max. Unde idem Douza concludit male hoc fragmentum ante Pompeii epistolam collocatum esse; quod quidem nullus credo non confitebitur.

j *Si*] Scripta fuit hæc epistola pro habendo stipendio. Fiduciæ plena est; unde Pompeium juvenem magnifico et incorrupto animo fuisse, concludere licet.

k *Penates*] Dii sunt domestici, maxime nostri, et quasi penes nos nati.

l *Contra ætatem*] Quia nequidem, eo tempore, 30. annos natus erat.

m *Vicem ærarii*] Id est, *Me debere belli sumtus ex proprio censu tolerare:* sed acrius expressit.

hoc bellum majore studio, quam consilio, profectum: quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostesque in cervicibus[n] jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. Recepi Galliam, Pyrenæum,[o] Laletaniam,[p] Indigetes:[q] et primum impetum Sertorii victoris, novis militibus, et multo paucioribus, sustinui: hyememque in castris inter sævissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione[r] mea, egi. Quid dein prælia, aut expeditiones hybernas, oppida excisa, aut recepta enumerem? quando res plus valet, quam verba. Castra hostium apud Sucronem[s] capta, et prælium apud flumen Durium,[t] et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti, satis clara vobis sunt: pro quis, o grati patres, egestatem et famam redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est. Namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo, quæsoque ut animadvertatis; neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus; præter maritimas civitates, quæ ultro[u] nobis sumtui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: et nunc malis[v] fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem[w] consumsi. Reliqui vos estis: qui nisi

NOTÆ

[n] *In cervicibus*] Id est, *qui non longe ab Italia erant, eamque urgebant.*

[o] *Pyrenæum*] Pyrenæi vocantur montes qui Hispaniam a Gallia dividunt.

[p] *Laletaniam*] Regio est Hispaniæ, quæ postea Gotholania, hodie *Catalogne* dicitur.

[q] *Indigetes*] Alii legunt *Ilergetum:* suntque, cum iis, quos Livius *Ilercaones* vocat, Tarraconensis Hispaniæ populi.

[r] *Ex ambitione*] Id est, *ad serviendum ambitioni et commoditatibus meis.*

[s] *Sucronem*] Sucro Hispaniæ Tarraconensis urbs est et fluvius.

[t] *Durium*] Durius fluvius est Hispaniæ, qui Lusitaniam terminat a Meridie.

[u] *Ultro*] Id est, *quæ, dum in nostros usus servandas judicamus, nobis sunt oneri.*

[v] *Malis*] Propter anni et tempestatis infœcunditatem. Gall. dicimus, *La mauvaise année; La mauvaise saison.*

[w] *Fidem*] Indicat, se undiquaque ab amicis, a quibus jam non amplius

subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hinc, et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredientur.

Namque his, præter solita vitiosis magistratibus, cum per omnem provinciam infœcunditate biennii proximi grave pretium fructibus esset. *Non.* ‘Grave multum.’

Hi saltibus occupatis, tum externorum[x] agros invasere: frumentique ex inopia gravi *satias* facta. *Idem,* ‘*Satias* pro *satietas*.’

Neque jam sustineri poterat immensum aucto mari, et vento gliscenti. *Idem,* ‘Gliscit est congelascit, colligitur, ignescit, crescit.’

Ac tum maxime, uti solet extremis in rebus, sibi quisque carissimum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi. *Idem,* ‘Munia, officia.’

Et forte in navigando cohors una, grandi *faselo*[o] vecta a ceteris deerravit, marique placido a duobus prædonum *myoparonibus*[y] circumventa. *Idem, in voce Faselus, et Myoparo.*

Eum, atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas,[z] quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserant. *Idem,* et *Charis.* lib. I.

Duos quam maximos utres levi tabulæ subjecit: qua super omni corpore quietus invicem tractu pedis quasi gubernator existeret: ea inter molem, atque insulam mari vitabundus classem hostium ad oppidum[a] pervenit. *Idem.*

Nam qui enare conati fuerant,[a] icti sæpe ferramentis

[a] *Qui tentaverant natando aqua evadere.*

NOTÆ

ausit petere, mutuam pecuniam pro Republica sumsisse.

[x] *Tum externorum*] Lipsius ingeniose pro *tum externorum, Termestinorum* reposuit. Sunt enim illi citerioris Hispaniæ populi.

[o] *Faselo*] Navigii genus est, quod velis et remis agi potest.

[y] *Myoparonibus*] Myoparo navis est piratica, ex duabus dissimilibus formata.

[z] *Scaphas*] Scaphæ sunt naviculæ quæ onerariis imponuntur, aut iis alligantur, ut per eas nautæ loca vadosa subeant. Gall. *Un esquif.*

[a] *Oppidum*] Cyzicum scilicet. Videtur enim de Luculli strategemate hic agi, qui utre suspensum nuntium

navium, aut vulnerati a suis, aut afflicti alveos,[b] undarum vi, mulcato[c] fœde corpore, postremo tamen periere. *Idem*, et *Arusian. Messus.*

Nam tertia tunc erat, et *sublima* nebula cœlum obscurabat. *Non.*

Illum nautis forum.[d] *Idem.*

ORATIO MACRI LICINII[e]

TRIBUNI PLEBIS AD PLEBEM.

Si, Quirites, parum existimaretis, quod inter jus a majoribus relictum vobis, et hoc a Sylla paratum servitium[f] interesset: multis mihi disserendum fuit, docendumque, quas ob injurias, et quotiens a patribus armata plebes secessisset; utique vindices paravisset omnis juris sui, tribunos plebis. Nunc hortari modo reliquum est, et ire primum[g] via, qua capessendam arbitror libertatem. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis solus, impotens, inani[h] specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui, certaminis adversa pro libertate potiora esse forti viro,

NOTÆ

ad Cyzicenos misit, qui adventare se eos doceret: qua de re vide sis Florum III. 5.

[b] *Alveos*] Id est, *Carinas, aut imas navium partes.*

[c] *Mulcato*] Vulgo *multato*, vel *mulctato*. Gall. *Froissé.*

[d] *Forum*] Antique; usitatus est enim numerus pluralis *fori* pro navium tabulatis, per quæ nautæ feruntur. Gall. *Le Tillac.*

[e] *Macri Licinii*] Secutus sum eorum correctionem, qui pro Lepido Licinium posuerunt; eo præsertim inductus quod *Lepidi* Æmiliæ gentis cognomen fuerit, quæ Patricia, cuique aditus ad Tribunatum non fuit. Oratio difficilis est, utpote incitata, concisa, ex pectore denique veri et maxime politici Romani extorta.

[f] *Servitium*] Hoc dicit quia Tribunatus jura et potestatem imminuerat, et tantum non penitus sustulerat Sylla.

[g] *Ire primum*] Necessarium est omnino, ut qui aliis viam ostendit, ipse eam primus calcet: neque aliud magis ineptum videtur quam aliis onus imponere, quod tute digitulo attingere nolis.

[h] *Inani*] Dixi antea Tribunis a Sylla inane nomen relictum esse.

quam omnino non certavisse.[b] Quanquam omnes alii creati pro jure vestro vim[i] cunctam et imperia sua gratia, aut spe, aut præmiis in vos convertere; meliusque habent, mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem, qui per militare nomen,[j] ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent[k] ex spoliis vestris: cum interim, more pecorum, vos multitudo[l] singulis habendos,[m] fruendosque præbetis, exuti omnibus quæ majores reliquere: nisi[n] quia vobismet ipsi per suffragia, uti præsides olim, nunc dominos[o] destinatis. Itaque concessere illic[p] omnes: et mox, si vestra receperitis, ad vos plerique: (raris enim animus est ad ea, quæ placent, defendenda:) cetera validiorum[q] sunt.[c] An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos secordesque pertimuere?[d] nisi forte[r] C. Cotta ex factione[s] media consul, aliter, quam

[b] *Sed præter spem bonam* quam concepi *ex vobis, quæ metum meum superavit, in animum meum induxi, ea quæ possunt esse adversa in certamine quod pro libertate incipitur, esse potiora forti viro, quam omnino non certasse.*

[c] *Paucis enim* ex vobis *animus est ad ea defendenda et tuenda quæ* vobis *placent: ceteri stant a partibus validiorum.*

[d] *An veremini ne aliquid possit vobis nocere, quando uno animo idem optabitis et efficietis,* vobis inquam *quos languidos et secordes* pauci nobiles *maxime reformidaverunt?*

NOTÆ

[i] *Vim*] De Tribunitia potestate loquitur, qua non ad populi subsidium, sed ad potentiorum gratiam promerendam, plerumque Tribuni abutebantur.

[j] *Per militare nomen*] Id est, *quia dicuntur Imperatores;* specie enim obeundi muneris quodlibet efficiunt.

[k] *Arcem habent*] Id est, *tuti sunt quia vos spoliaverunt.*

[l] *Vos multitudo*] Appositio est, quam vocant: id est, *vos qui multi estis.*

[m] *Habendos*] Vim vocis, et quicquid in ea invidiosum est tum demum intelliges, quando cogitabis quomodo brutis, quæ in nostra sunt potestate, utamur et abutamur. Nihil magis, ad commovendos animos, efficax esse potuit.

[n] *Nisi*] Excipit ironice quod ipsos maxime mordeat et percellat.

[o] *Dominos*] Dominus respectum habet ad servum; adeoque quod gravissimum erat Romanis hic Tribunus noster objicit; quod scilicet sibi ipsi catenas necterent.

[p] *Illic*] *In paucorum partes.*

[q] *Validiorum*] *Paucorum nobilium.*

[r] *Nisi forte*] Ea ironice internectit, quibus quod intendit maxime conficiatur.

[s] *Factione*] Postquam, scilicet, Respublica per Syllam ejusque satellites, tota in paucorum manus devenisset.

metu jura quædam[t] tribunis pl. restituit. Et[v] quanquam[w] L. Sicinius[x] primus de potestate trib. loqui ausus, mussantibus[y] vobis, circumventus erat: tamen prius illi invidiam metuere, quam vos injuriæ pertæsum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sylla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe sævior Catulus. Tumultus[z] intercessit Bruto et Æmilio Mamerco Coss. dein C.

NOTÆ

[t] *Quædam*] Legum ferendarum, concionis habendæ jure Tribunos Sylla privaverat; prohibuerat ne ad eos provocaretur; sanxerat insuper ut ne Tribuno aditus pateret ad alium Magistratum. Posterius istud, altero a Syllæ obitu anno, C. Aurelius Cotta Consul abrogavit: reliqua Pompeius post aliquot annos, in primo Consulatu restituit; quod etiam Sallust. supra admonuit.

[v] *Et quanquam*] Locus maxime difficilis, mihi quidem, nam alii prætericrunt. In eo autem posita videtur difficultas, quod eo quo cœperat modo sententiam suam Macer non absolvit. Interrogative initio proposuerat cum dixit, *An dubium habetis, &c.* Jam simpliciter rem ipsam concludit. Semotis itaque omnibus figuris, et iis quibus vir acer vibrantem orationem munivit, paucis sensum istius periodi, et scopum Auctoris ita comprehende, quasi Populum hoc modo allocutus esset: *Nemo poterit vobis nocere, quando omnes in unum conspirabitis, cum vos paucos nobiles pertimuerint, factorumque et tyrannidis suæ invidiam reformidaverint, vel eo ipso tempore quo unicum hominem pro vobis loqui ausum, perdiderant, et prius quam vos eorum injuriæ, et vestri servitii tæduisset.* Ut vero istius hominis mentem propius assequaris, et aculeos quibus ille Populum perstrinxit, non sentias modo, sed videas; hæreas, si placet, in iis quæ postea leviter attingam.

[w] *Quanquam*] Argumentum est quod vocant a minore ad majus: quasi dicat, *Nobiles vos timuerunt, etiam cum ille unicus vester defensor oppressus esset, qui, utpote in maxima servitute, loqui ausus erat: ergo maxime metuent, quando vos omnes jura vestra repetere videbunt.*

[x] *Sicinius*] Ita legendum ex vet. codice, et Asconio, &c. Fuit hic Tribunus plebis.

[y] *Mussantibus*] Non potuit alio verbo melius eorum hominum exprimi socordia, qui cum Reipublicæ damna et sentiunt et vident, alios tempestati objiciunt, ipsi latitant; itaque suum commodum vel in ipsa peste quærunt. Nebulones profecto in solas terras deportandi; cum sibi tantum, in commune nolint consulere. Verum ad rem. Ideo addidit vocem istam Auctor noster, ut obviam iret Populi tacitæ objectioni; diceret enim, *Oppressi sunt antehac qui nobis consuluerunt; unum Tribunum nostrum nequidem audire nobiles sustinuerunt: frustra itaque nos aliquid audebimus.* Respondet Macer, *Mussantibus, tacentibus, et latitantibus vobis oppressus est vester ille Tribunus; quod in posterum ne fiat, in manu vestra est.*

[z] *Tumultus*] De quo vidimus; cujus auctor Lepidus.

Curio[a] ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium,[b] vidistis: quantæ denique nunc[c] mihi turbæ concitantur! quæ profecto[d] incassum agerentur, si, prius[e] quam vos serviendi finem, illi dominationis facturi erant: præsertim cum his civilibus armis dicta alia,[f] sed certatum utrimque[g] de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia,[h] aut odio, aut avaritia in tempus[e] arsere:[i] permansit[j] una res modo, quæ utrimque quæsita[k] est, et erepta in posterum: vis tribunicia, telum a majoribus libertati[l] paratum. Quod ego vos moneo, quæsoque, ut animadvertatis: neu nomina rerum ad ignaviam[m] mutantes, otium pro servitio appelletis.

[e] *Itaque cetera maximo cum affectu quæsita sunt, secundum licentiam, aut odium, aut avaritiam, pro aliquo tempore.*

NOTÆ

[a] *Curio*] Hic consul fuit post Lepidum, anno altero.

[b] *Quinctium*] Hic quoque Syllæ acta rescindere aggressus est.

[c] *Nunc*] Hinc clarissime tempus, quo habita est hæc concio, cognoscitur; Lucullo, scilicet, et Varo Consulibus: quo anno Spartacus Gladiator plusquam servile, sed grave bellum, adversus Romanos movit; decennio ante Catilinæ conjurationem.

[d] *Quæ profecto*] De turbis loquitur, et omni molimine, quo pauci plebem opprimere festinabant.

[e] *Si prius*] Sensus est, si verba ex orationis textura abstrahas, *Frustra speratis nobiles vobis quicquam de servitio vestro remissuros, nisi vosmet ipsi jugum excusseritis; quandoquidem illi in eo sunt toti, ut vobis majus onus imponant, quantumvis illis usque et usque obsequentes fueritis.*

[f] *Dicta alia*] Id est, *aliud prætexuerunt.*

[g] *Utrimque*] Cave ita intelligas, quasi hinc pauci nobiles, illinc steterint Tribuni, aut quicumque jura populi reposcebant: sed intelligendum est, omnes qui Rempublicam agitaverunt, quicumque tandem illi fuerint, id unum quæsivisse, ut Populo servitium imponerent, et ipsi dominarentur.

[h] *Ex licentia*] Deploratus est Reipublicæ status, quando cuivis, quia et alii impune faciunt, male facere licet.

[i] *Arsere*] Id est, *quanquam durissima, tamen præterierunt.*

[j] *Permansit*] Id est, *unum remansit semper, quod rixæ perpetuæ ansam dedit.*

[k] *Quæsita*] Hoc dicit, Syllam, Catulum, Curionem, Lucullum, singulos denique, per ea tempora, pacis et boni publici specie, civiles discordias movisse; cum illud modo quæsivissent, qua ratione, Plebi ademta Tribunitia potestate, et Tribunis defensoribus, ea placida ad arbitrium uterentur. Jocus est itaque verborum, in re maxime seria cum dicit, *remansisse et quæsitum esse* idipsum quod *ereptum est.*

[l] *Libertati*] Antea vidimus, quod a Patribus opprimeretur, secessisse plebem; eoque defensores sibi parasse Tribunos.

Quo[n] jam ipso frui, si vera[o] et honesta flagitium[p] superaverit, non est conditio :[q] fuisset ;[r] si omnino quiessetis. Nunc animum advertite: et nisi viceritis, quoniam omnis injuria gravitate[s] tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vestrum subjecerit. Primum omnium omittendum morem hunc quem agitis, impigræ[t] linguæ, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Dein[u] (ne vos ad virilia[v] illa vocem, quo tribunos plebi, modo patricium magistratum, libera[w] ab auctoribus patriciis suffragia majores vestri paravere[f]) cum vis[x] omnis, Quirites, in vobis

[f] *Dein*, postquam de inepta vestra ratione in mentem venit, vosque admonui ut immutato more, tardi sitis ad loquendum, promti ad agendum, *ne*, nolite ut, *vocem et impellam vos ad illa virilia, quo*, qua re, *majores vestri paraverunt sibi*

NOTÆ

[m] *Ad ignaviam*] Id est, *ut socordiæ vestræ honestis nominibus patrocinemini.*

[n] *Quo*] Hic est sensus: *Si per maximum flagitium, eum quo nunc agitis statum, cum durum sit servitium, otium appellare libet, ne eo quidem jam frui licebit, cum vestros Dominos, paucos nobiles scilicet, eorum detrectando imperium, per Tribunos jugum quod imposuerant excutere conati, in vos irritaveritis.*

[o] *Si vera*] Id est, *si per flagitium, omnino servitio vestro otii nomen imponere vultis.*

[p] *Flagitium*] Flagitium dicit, nomina rerum commutare, et servitium otium appellare. Maximum est certe, quandoquidem per nomina res quoque quoad nos, mutantur. Unde Cato, in sua illa adversus Catilinam admirabili oratione, *Quia, bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur ; eo respublica in extremo sita est.* Quam pestiferum, quamque penetrabile adolescentium præsertim animis, illo scelere, vocabulorum dico permutatione, virus instilletur, dici non potest.

[q] *Conditio*] Terminus est juris : hic vero idem valet quod *status, locus,* aut aliquid simile. *Non est conditio*, id est, *Non licet.*

[r] *Fuisset*] Conditio scilicet.

[s] *Gravitate*] Omnino : nosque illud maxime, ut principiis obstemus admonet; neque cuiquam malum intentemus, neque a quoquam, quando licet, intentatum admittamus. Rixa enim rixam, dolus dolum trahit; neque finis ullus esse potest certaminum, donec dissidentium alter, aut sapienter, quod rarum est, litibus desistat, aut per vim ab altero frangatur et opprimatur.

[t] *Impigræ*] Populus sic est, Gerro, Iners, &c. Sed ab earum rerum, quas tractamus, cognitione, omnis nostra actio initium sumit; atque in ea fundamentum habet sapientia politica. Ideo dico ne quis, quod pronum est, ex ingenio suo ceteros metiatur.

[u] *Dein*] Opus fuit, ut sensus apertus esset, paulo fusius interpretationem instituere.

[v] *Virilia*] Loquitur de populi a patribus secessione.

[w] *Libera*] Antea vidimus frustra fuisse patres, qui Metello Provinciam Numidiam decreverant, cum postea eandem populus Mario jusserit.

[x] *Cum vis*] Plerumque legitur *quam-*

sit, uti, quæ jussa[y] nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere, aut non agere certe possitis. Jovem[z] aut alium quem Deum consultorem expectatis: magna illa consulum imperia et patrum decreta, vos[a] exequendo rata efficitis, Quirites: ultroque licentiam in vos auctum atque adjutum properatis. Neque ego[b] vos ultum injurias hortor; magis uti requiem cupiatis: neque discordias, ut illi[c] criminantur, sed earum finem volens, jure gentium, res[d] repeto: et, si pertinaciter retinebunt, non arma, neque secessionem, tantummodo[e] ne amplius sanguinem vestrum præbeatis, censeo. Gerant, habeantque suo modo imperia; quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium, et reliquias exulum persequantur cum imaginibus[f] suis; absit periculum et labor, quibus nulla pars fructus est. Nisi forte[g] repentina ista frumentaria

suffragia libera ab auctoribus patriciis, mandando eo ipso tempore quo decretis suis commiserunt *Tribunis plebis Magistratum Patricium.*

NOTÆ

vis. Id unum studet hic noster Tribunus, ut plebem commoveat; at perplexa sua oratione, quod cupit magis divinandum relinquit, quam aperte exponit. Prohibet, ut quid sit agendum indicet; fugam simulat, ut pugnæ locum inveniat.

y *Quæ jussa*] Bellum intellige, sanguinem suum profundere, &c. ad quæ populus adigebatur. Sensus vero totius periodi hic esse videtur: *Nolo vos ad arma impellere; quanquam vobis liberum est videre, an vos, qui pro aliorum tyrannide tantos labores toleratis, eosdem pro vobis, et vestra libertate sumere velitis.*

z *Jovem*] Satis superque plebem arrexerat; adeoque nunc ipsam agitat. Nam ideo istud paratum est; quasi dicat, *Me indignabundi, tanquam in re desperata, quid ego sentiam, interrogatis, atque Jovis oraculo opus habere videmini! Ridiculi, annon res ipsa clarissima est, et cuique nota?*

a *Vos*] Populum dicit, per militare obsequium, Imperatores suos magnos facere, sine quo inane nomen tantum obtinerent.

b *Neque ego*] Immo id unum revera studebat.

c *Illi*] *Pauci nobiles.*

d *Res*] Potestatem Tribunitiam, et jura; ut postea per suffragia sua, quem vellet Populus rebus præficeret.

e *Tantummodo*] At illud *tantummodo* omnia secum trahit, et potentioribus sanguinem vimque omnem adimit.

f *Imaginibus*] Utinam vero hodie Macer aliquis exoreretur, qui inerti et impudenti nobilitati non istud modo ingereret, sed eo, vanissimos homines, de quibus tantum verba facio, ad Parentum virtutes compelleret.

g *Nisi forte*] Jam sæpius ejusmodi, quibus isti gaudent, vidimus ironias. Populum vero, nisi libertatem suam vindicet, pro vilibus mancipiis habet, quibus, demensum suum si præbeatur, quivis facile ad nutum uti possit.

lege[h] munia vestra pensantur: qua tamen quinis modiis libertatem omnium[i] æstimavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris.[g] Namque ut illis exiguitate mors prohibetur;[k] senescunt vires: sic neque absolvit cura familiari tam parva res:[l] et ignavus quisque tenuissima spe frustrantur.[m] Quæ tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium[n] ostentaretur, cujus torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro injuria[o] gratiam debere? Namque[p] alio modo, neque valent in universos, neque conabuntur. Cavendus[q] dolus est. Itaque[r] simul comparant delenimenta,[s]

[g] *Qua tamen lege æstimaverunt libertatem omnium quinis modiis, qui profecto non amplius possunt prodesse quam alimenta carceris.*

NOTÆ

[h] *Lege*] Hinc, latam fuisse aliquam, pro frumento in populum distribuendo, clarum est.

[i] *Libertatem omnium*] Nihil fingi poterat magis invidiosum; quinque enim modios, singulis mensibus pro demenso servis metiebantur. Neque vero res ipsa modo, sed voces ipsæ invidiam faciunt; dixit enim *omnium* libertatem *carceris* alimentis æstimatam.

[k] *Prohibetur*] Intellige *tantum:* id est, *non amplius possunt hæc alimenta quam mortem prohibere.*

[l] *Tam parva res*] Dicit quinque modios familiæ alendæ non satis esse.

[m] *Frustrantur*] *Decipiuntur.* Istud vero maximo artificio intextum est. Non enim modo Plebem lege frumentaria, a patribus in fraudem illectam esse dicit; sed assentando, etiam per vocem maxime contumeliosam, quando dicit *ignavissimos frustrari,* quasi scilicet arbitraretur paucissimos in eum dolum incidisse, Plebem eandem ex illo Patrum laqueo retrahit. Non est certe minimi momenti, ad impellendum homines ad virtutem, illis ingenitam esse simulare: eo modo impune licet ea vitia, quæ illi defenderent, insectari.

[n] *Servitii pretium*] De quinque modiis agit; atque indicat, libertatem qua a nobilibus plebeii intercludebantur, nullo posse pretio compensari.

[o] *Injuria*] Perinde est ac si diceret, *Frumentum quod vobis isti pollicentur, vestrum est; illud in vos pro servitio vestro, quasi mancipia essetis, distribuunt. An usque adeo ignavi eritis, ut sponte contumeliam tantam pro gratia insuper accipiatis?*

[p] *Namque*] Rationem reddit, quamobrem, per maximam socordiam, frumentum, servitutis pretium, non oporteat a Patribus accipere; quia, scilicet, illi, per id tantum Plebi jugum imponere conentur.

[q] *Cavendus*] Nobiles dixit aliter quam per populi socordiam imperium retinere nequidem conari. De eo nunc quodammodo aliquid excipit; Populumque ut caveat dolos, admonet.

[r] *Itaque*] Sensus pendet; hic tamen, ut neque alibi, nihil muto, prout fecerunt alii ad libitum per totam hanc Orationem; quia, scilicet, me nescire malim dicere, quam quidlibet somniare. Quis igitur sensus? Dicam quod videtur. Id unum studuit hic Tribunus noster, ut populum erigeret, atque eo impelleret, ut Tribu-

et differunt vos in adventum Cn. Pompeii; quem ipsum, ubi pertimuere sublatum[t] in cervices suas, mox demto metu lacerant. Neque eos pudet vindices, uti se ferunt,[u] libertatis, tot viros sine uno,[v] aut remittere injuriam[w] non audere, aut jus non posse defendere.[x] Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantæ gloriæ adolescentem, malle principem volentibus[y] vobis esse, quam illis dominationis socium; auctoremque[z] in primis fore tribuniciæ potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia[a] habebatis: neque mortalium quisquam dare, aut eripere, talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est. Neque enim ignorantia res claudit.[h] Verum occupavit nescio quæ vos torpedo, qua non gloria[b] movemini, neque flagitio:[c] cunctaque præsenti ignavia mutastis: abunde libertatem rati, quia tergis[d] abstinetur, et huc ire licet,

[h] *Neque enim res frustrat* vos *ignaros.*

NOTÆ

nitiæ potestatis omnia jura revocaret. Durum vero videbatur quod Pompeium omnes metuerent; neque metum augere opus fuit. Ille igitur arte tractat Populum, (quod postmodum magis patebit,) et obiter illud in quo hærere posset attingit: immo de isto Pompeii metu, quasi in eo Patrum dolus positus esset, agit. Dico igitur, ex hominis ingenio, cujus mens est involvere et obscurare, vocem *itaque* esse exponendam, ejusque vim, per respectum ad scopum magis quam ad orationem, esse intelligendam. Puta, si voles, transitionem esse, vel proxime ad hanc sententiam referri, *Patres vobis parant dolos; itaque,* &c. hæc enim propositio in illa altera includitur, *Cavendus tamen dolus est.*

[s] *Delenimenta*] Illud est quod proprie dicunt *des adoucissemens;* sed magis politice, *des biais, des ménagemens.*

[t] *Sublatum*] *Ferunt* supple, aut aliquid simile. Impetum vero auget orationis hæc ellipsis: atque adeo metuentium, sed maxime dissimulantium applausus audire videor.

[u] *Uti se ferunt*] Id est, *prout volunt haberi.*

[v] *Uno*] Pompeio.

[w] *Remittere injuriam*] Id est, *Plebi jus suum, et Tribunitiæ potestati suam auctoritatem reddere.*

[x] *Jus non posse defendere*] Id est, *non posse Plebi cordate resistere; vel, eidem, omnem auctoritatem penes Senatum esse, non posse aperte declarare.*

[y] *Volentibus*] Quando, scilicet, liberis omnium suffragiis, vobis licebit, per Tribunos vestros, ipsum Pompeium rebus præficere.

[z] *Auctoremque*] Ipse Pompeius Tribunitiam potestatem postea restituit; eundemque restitutæ pœnituit.

[a] *Præsidia*] Innuit regiam dignitatem, aut tyrannidem induci.

[b] *Gloria*] Vestra, scil.

[c] *Flagitio*] Inimicorum nobilium.

[d] *Tergis*] Id est, *quia Domini vestri in vos, ut in domestica mancipia, verberibus non sæviunt.*

et illuc, munera[e] ditium dominorum. Atque[f] hæc eadem non sunt agrestibus; sed cæduntur[g] inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur, et vincitur paucis: plebes, quodcumque accidit, pro victis est, et in dies magis erit: si quidem majore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

Postquam egressus angustias. *Messus.*

Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. *Ex eodem.*

Ut sustinere corpora plerique nequeuntes, fessi,[h] arma sua quisque stantes incumberent. *Idem* et *Servius.*

Ac statim fugitivi, contra præceptum ducis, rapere ad stuprum virgines matronasque. *Nonius.*

Quibus a Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant: prima,[i] quæ fonte venientes exciperet. *Serv.*

Ingens ipse virium, atque animi. *Arusianus.*

Locum nullum, nisi in quo armati institissent. *Idem.*

At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta Vulcioque impeditur. *Nonius.* 'Pugio est brevis gladius.'

Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *Idem.*

Sed Pompeius a prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quidem æmulus erat. *Nonius.*

Dubius consilii. *Arusianus.*

NOTÆ

[e] *Munera*] Munus hoc maxime est invidiosum; supponit enim, penes eosdem esse Dominos istas ambulationes prohibere: atque etiam invidiam auget vox *ditium*, qua dominorum felicitatem ob oculos ponit.

[f] *Atque*] Arbitror istud sibi objecisse Tribunum nostrum, ex parte eorum, qui cum extra urbem agerent, jus tamen habebant suffragii.

[g] *Cæduntur*] Responsio est, quæ maxime illos exasperare possit, ad quos dirigitur oratio, quasi cum stomacho diceret, *Suntne illi multo feliciores qui cæduntur? &c.*

[h] *Fessi*] Hanc vocem ex interpretamento additam fuisse Douza contendit; totumque fragmentum ex Frontone ita constituit: *Ut sustinere corpora nequeuntes, arma sua quisque instans incumberet.*

[i] *Prima*] Nunc insidiæ usurpantur tantum numero plurali.

Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat. *Idem.*

Quod ubi frustra tentatum est, secordius ire milites occœpere, non aptis[k] armis, ut in principio, et laxiore agmine. *Nonius.*

Atque eum Curio laudatum, accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet. *Idem.*

Eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defendens, postquam ex sarcinis paludamenta[l] astare, et delectæ cohortes intelligi cœpere. *Idem.*

Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam. *Priscianus* l. XIV.

Fine inguinum ingrediuntur mare. *Arusianus.*

M. Antonius[m] perdendæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus. *Idem.*

Muros successerant. *Idem.*

Saxaque ingentia, et axe[n] vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum *ericii*[o] militaris *veruta*[p] binum pedum. *Non. Servius.*

Octavium mitem, et captum pedibus. *Arusianus.*

Igitur[q] discubuere Sertorius inferior in medio, super eum

NOTÆ

[k] *Aptis*] Id est, *aptatis et ad usum expeditis.*

[l] *Paludamenta*] Paludamentum vestis est militaris et Imperatoria, plerumque coccinea: quanquam etiam militibus tribuitur.

[m] *Antonius*] Hic Pater fuit Triumviri, qui re adversus Cretenses male gesta, morbo interiit. Homo fuit nullius virtutis; qui Cottæ Consulis et Cethegi gratia, oræ maritimæ curationem nactus, Siciliam et Provincias omnes depopulatus est.

[n] *Axe*] Turnebus legit, *Axe vincti orbes.*

[o] *Ericii*] Ericius machina est bellica, verutis seu majoribus clavis undique horrida.

[p] *Veruta*] Verutum spiculi seu jaculi species est; vel etiam quod vulgo ensis laminam vocant. *La lame d' une épée.*

[q] *Igitur*] Ut fragmentum istud intelligatur, sciendum est, quod optime enarrat doctissimus Salmasius, tres fuisse lectulos quibus accumbebant veteres, cum cibum sumerent, summus, scilicet, medius, et imus. Dominus convivii in primo loco tertii seu imi lecti accubabat: locus honestissimus ultimus erat secundi, sive medii lecti, quod convivii Dominum contingeret, ut docet Plutarchus. His bene intellectis nulla superest in hoc fragmento difficultas. Sertorius honoratissimum locum occupaverit; cui proximus erat in eodem lecto, medio scilicet, Fabius Hispaniensis.

L. Fabius[r] Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius, et infra, scriba Sertorii Versius: alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium, et dominum Perpennam. *Nonius Servius.*

Quarum unam epistolam forte cum servo nacti prædatores Valeriani scorpione[s] in castra misere. *Nonius.*

NOTÆ

In summo lecto erant Antonius et Versius, duo tantum, sicut et in medio lecto. In tertio vero et imo, superior erat Dominus convivii Perpenna, scriba Mæcenas deinde, et Tarquitius ultimus.

[r] *Fabius*] Hujus plurimam mentionem esse in numismatibus, quanquam nulla sit in libris veteribus, testatur Carrio.

[s] *Scorpione*] Scorpio species erat ballistæ, sed minor, quam Vegetius *Manuballistam* dicit vocari.

CAII CRISPI SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

LIBER IV.

AT Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sylla emtoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit. *Agell.* XVIII. 4.

Omnes, quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat. *Priscian.* lib. IX. et X.

Dein lenita jam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt. *Idem* l. IX.

Implicitæ rates ministeria prohibebant. *Idem ibidem.*

Igitur legiones pridie in monte positas arcessivit. *Idem* l. X.

Anxius animi, atque incertus. *Arusian.*

Magnam exorsus orationem. *Idem.*

Impotens, et nimius animi est. *Idem.*

Amisumque[a] assideri[b] sine præliis audiebat. *Priscian.* l. VIII. '*Obsideo* et *assideo* activa sunt; faciunt enim *assideor* et *obsideor*.'

NOTÆ

[a] *Amisumque*] Amisus Galatiæ oppidum.

[b] *Assideri*] Pro *Obsideri*.

Qui quidem mos, uti tabes, in urbem conjectus. *Festus.*

Castella, custodias[c] thesaurorum in deditionem acciperentur. *Serv. Charis.* l. 1.

Reliqua cadavera salita. *Diomed.* 1. 4.

EPISTOLA REGIS MITHRIDATIS

SCRIPTA AD REGEM ARSACEN.

REX MITHRIDATES REGI ARSACI[d] S.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere. Dein quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi, si perpetua pace frui licet; nisi hostes opportuni,[e] et sceleratissimi; egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est: neque[f] petere audeam societatem; et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira[g] in Tigranem recentis belli, et meæ res parum prosperæ, si vera existimare voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem, accipiet: mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi: et, quod florentibus optabile est, ego non validissimus[h] præbeo exemplum, quo rectius tua componas.

NOTÆ

[c] *Custodias*] Pro *custodiæ;* Genitivus antiquus.

[d] *Arsaci*] Arsaces rex fuit Persarum, aut Parthorum, nam confunduntur apud antiquos Auctores.

[e] *Opportuni*] Hic aliquid deesse arbitratur Douza; neque orationem cohærere. Eo vero recurrere ego non necesse habeo; quanquam enim non ita statim sensus videatur apertus, bonus est tamen: nam Arsaci rationem reddit Mithridates, quamobrem ille bellum adversus Romanos movere debeat; quia, scilicet, hostes habeat opportunos, quosque cum liceat, debeat profligare.

[f] *Neque*] Hic obscurior videtur sententia; neque tamen ideo quicquam mutare ausim: nam voculam *frustra* si ex posteriore periodi membro huc retrahas, optime hæc omnia cohærebunt. *Nollem*, inquit, *frustra, et nullo tuo commodo, per societatem quam a te peto, bello pacem tuam minuere.*

[g] *Ira*] Hinc Arsacem cum Tigrane bellum gessisse conjicias.

[h] *Non validissimus*] Quo spectet hæc oratio, prima fronte non apparet, patebit postea: vult enim, per avaritiam et invidiam, bellum potentissimis indicere Romanos, ut eorum divitias expilent, &c.

Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii, et divitiarum: qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumsere. Dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam similantes ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere; ac mox, tracto Philippo,[i] Antiochus omni cis Taurum agro et decem[k] millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas[l] Deos acceptum in fidem, callidi, et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis[m] occidere. Eumenem,[n] cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post Attalum[o] custodem agri captivi sumtibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere: similatoque impio testamento, filium[p] ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more, per triumphum duxere. Asia ab ipsis obsessa est: postremo totam Bithyniam, Nicomede[q] mortuo, diripuere; cum filius Nusa, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis et tetrarchiis[r] ab imperio eorum, quia fama erat, divitem, neque

NOTÆ

[i] *Tracto Philippo*] Vulgo *a Philippo:* sed cave ita intelligas, quasi annitentibus Romanis, Antiochum Philippus spoliaverit; nam hæc oratio ambigua est: verum id puta, quod historia testatur, Antiochum post Philippum a Romanis debellatum, regni parte etiam multatum fuisse.

[k] *Decem*] Livius et Appianus quindecim dicunt.

[l] *Samothracas*] Samos, vel Samothrace insula est maris Ægæi, ad prospectum Thraciæ, versus Orientem. Hunc vero locum explicabit Florus, cujus verba refero. *Absens ergo* (de Perse loquitur) *victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione, quasi templa et aræ possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent.*

[m] *Insomniis*] Probatur istud ex Diodoro, qui eum somno, a custodibus, quos offenderat, cum in carcere, Romæ detineretur, prohibitum fuisse refert.

[n] *Eumenem*] Rex fuit Pergami in Asia.

[o] *Attalum*] Hic Pergami rex fuit ultimus.

[p] *Filium*] Alii aliter: Florus regii sanguinis ferocem juvenem dicit. Justinus filium Eumenis.

[q] *Nicomede*] Populum Romanum fecerat hæredem.

[r] *Tetrarchiis*] Tetrarchia quarta est pars regni, aut cujuspiam Provinciæ.

serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt; sceleris eorum haud ignarum, et ea, quæ accidere, testatum antea, Cretenses[s] solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum.[t] Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spolium[u] regis Antiochi recepi, et Græciæ demsi grave servitium.[x] Incepta mea postremus servorum Archelaus,[z] exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas,[a] uti meis laboribus[b] tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvunt:[m] Ptolemæus pretio [dies] bellum prolatans;[n] Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi[c] excidio, habituri. Equidem cum mihi ob ipsorum[d] interna mala dilata prælia magis, quam pacem datam intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis,[e] rursus tamen bellum cepi: Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona[f] terra fudi: mari exui

[m] *Et illi quos ignavia, aut prava calliditas avertit ab armis, ut tuti essent meis laboribus, solvunt pœnas acerbissimas.*

[n] *Ptolemæus profert diem belli argento.*

NOTÆ

[s] *Cretenses*] Creta, hodie *Candie*, Mediterranei insula notissima; unde Cretenses.

[t] *Ptolemæum*] Rex fuit Ægypti.

[u] *Spolium*] Id est, eam Asiæ partem qua Antiochus a Romanis spoliatus fuerat.

[x] *Servitium*] Quo premebatur a Romanis.

[z] *Archelaus*] Unus fuit ex Mithridatis ducibus, quem ingenti instructum exercitu, parva manu Sylla apud Chæroneam cecidit.

[a] *Prava calliditas*] De iis loquitur qui ipsum, quamdiu opes suas adversus Romanos contereret, quieti cernerent, aut eo etiam augerentur. Prava est profecto ea calliditas; nam ille qui potentior est, postquam hunc aut illum bello minorem oppressit, victoria utens, alios, majore etiam impetu, invadit.

[b] *Uti meis laboribus*] Aliis regibus a Romanis nihil fuisse metuendum innuit, ipsum si levissimis auxiliis adjuvissent.

[c] *Nisi*] Isthuc confirmat Florus; Romanos enim fatetur, sola nobilem insulam vincendi cupiditate, bellum Creticum fecisse.

[d] *Ipsorum*] *Romanorum:* nam bellum Mithridaticum illis temporibus gestum est, quibus Respublica civilibus armis, maxime per Marium, Syllam, Sertorium, aliosque conflictabatur.

[e] *Aliis obnoxiis*] Id est, *sese Romanorum imperio submittentibus.*

[f] *Chalcedona*] Chalcedon, vel ut alii scribunt Calchedon, urbs est Asiatica ad Bosphorum Thraciæ.

classe pulcherrima. Apud Cyzicum[g] magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum annitente:[o] simul hyems mari prohibebat. Ita, sine vi[h] hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Parium,[i] et Heracleam,[k] militum optimos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira[l] exercitu, et variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis[m] bello intactum: ego vastis circum omnibus locis, in Armeniam[n] concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertendi, quia multitudinem, artis locis, pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis, utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum, et auri esse: et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro,[o] meis militibus [belli prudentibus,] procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere: quomodo neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus[p] fecit, arma huc convertisse? neque quicquam a principio[q] nisi raptum habere, domum,

[o] *Frumentum* mihi *defuit, cum nullus circum me adjuvaret, dum ego commorarer magno cum exercitu in obsidione apud Cyzicum.*

NOTÆ

[g] *Cyzicum*] Cyzicus urbs est et insula, vel, ut aliis placet, peninsula ad Propontidem.

[h] *Sine vi*] Non istud dicunt Romanæ historiæ scriptores: immo Plutarchus Lucullum testatur, non sine Mithridatis magna clade, Cyzico eum depulisse.

[i] *Parium*] Locus maritimus circa Hellespontum, aut Euxinum mare.

[k] *Heracleam*] Urbs est Bithyniæ ad Pontum Euxinum.

[l] *Cabira*] Inferioris Asiæ oppidum Stephano. Plutarchus alicubi circa Mysiam collocat.

[m] *Ariobarzanis*] Rex fuit Cappadociæ.

[n] *Armeniam*] Armenia notissima est Asiæ regio, inter Cappadociam et mare Caspium; cujus pars hodie dicitur *Turcomanie.*

[o] *Regno*] Intelligo de regno Arsacis.

[p] *Oceanus*] De Atlantico intellige, quo terminatur Hispania.

[q] *A principio*] Romam primo latronum receptaculum magis quam urbem fuisse neminem latet.

conjuges,[r] agros, imperium? convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant; omniaque non serva[s] et maxime regna hostilia ducant. Namque[t] pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt: nos suspecti sumus æmuli, et in tempore vindices affuturi. Tu vero, cui Seleucia[u] maxima urbium, regnumque Persidis inclytis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, et postea bellum expectas? Romani arma in omnes habent, acerrima in eos, quibus victis spolia maxima sunt; audendo et fallendo, et bella ex bellis serendo, magni facti. Per hunc morem extinguent omnia, aut occident:[v] quod haud difficile[w] est, si tu Mesopotamia,[x] nos Armenia, circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis: fortuna,[y] aut nostris vitiis, adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hortorque; neu malis pernicie nostra tuam[z] prolatare, quam societate victor fieri.

Curio Vulcanaliorum[a] die ibidem moratus. *Nonius de mutata declinatione. Charis.* l. I.

NOTÆ

[r] *Conjuges*] Illi enim per dolum, simulatis ludis equestribus, Sabinas rapuerunt.

[s] *Non serva*] Id est, *quæ ab ipsis servitute non essent oppressa.*

[t] *Namque*] Aliter et magis ex nostro stylo ita scribas: *Cum enim pauci inter homines statu populari gaudeant, sed regiam dominationem quærant, nos suspecti sumus æmuli, &c.*

[u] *Seleucia*] Hæc est, procul dubio, quæ non semel apud scriptores antiquos cum Babylone confunditur, quod ejus opes exhauserit, in proximo sita, ad ripam Tigridis.

[v] *Occident*] *Ipsi peribunt.*

[w] *Quod difficile*] De Romæ excidio loquitur; quod semper quæsivit Mithridates.

[x] *Mesopotamia*] Asiæ regio inter Tigrim et Euphratem. Hodie *Diarbech.*

[y] *Fortuna*] Istud parenthesi includendum, quod per dolorem effert Mithridates, qui sæpius Romanorum ruinam animo præsumserat.

[z] *Tuam*] Vulgo legitur *pernicie nostra unum imperium prolatare.* Alii legunt, *tuum imperium;* alii *tua;* vetus vero editio optime, ut videtur, *tuam* (*ruinam*, scilicet, aut *perniciem*) *prolatare*, id est *differre*. Si tamen *unum imperium* retineas, *prolatare* pro *ampliare*, positum erit.

[a] *Vulcanaliorum*] Vulcanalia, dies erant Vulcano festi.

Scalas pares mœnium altitudine. *Arusian.*

Dissidere inter se cœpere, neque in medium[b] consultare. *Idem.*

Multis que suspicionibus volentia plebi facturus videbatur. *Nonius,* 'Volentia, quæ plebs vellet.'

Suspectusque fuit, incertum vero an per negligentiam, societatem prædarum cum latronibus composuisse. *Idem,* 'Componere, conjungere.'

Collegam minorem, et sui cultorem expectans. *Arusian.*

Quam maximis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit, ad flumen Euphratem;[c] qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. Et quanquam ad id naves codicariæ[d] occulto per hyemem fabricatæ aderant. *Non.* 'Codicariæ naves, quæ in flumine usui esse possunt.'

Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea[e] omni specie. *Idem.*

Cum interim, lumine, etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres conventum vitantes ad menstrua[f] solvenda montem ascendunt. *Idem.*

Pluteosque[g] rescindit ac munitiones demolitur, locoque summo potitur. *Idem,* 'Demoliri est diruere.'

Exercitum dimisit, ut primum Alpes degressus est. *Arusian.*

Tetrarchas, regesque territos animi firmavit. *Idem.*

Simul eos, et cunctos jam inclinatos laxitate loci, plures cohortes, atque omnes, ut in secunda re pariter acre invadunt. *Nonius.*

Hi locorum perignari, et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam ar-

NOTÆ

[b] *In medium*] Id est, *in commune.*

[c] *Euphratem*] Euphrates fluvius est Asiæ nobilissimus.

[d] *Codicariæ*] Id est, secundum Festum, *ex tabulis crassioribus factæ.*

[e] *Ferrea*] Equi enim et ipsi ferreis laminis muniti erant.

[f] *Menstrua*] Id est, *Sacra quæ quoque mense peragerentur*: idque prolixe, et Lipsii sententia, et Plutarchi auctoritate Douza confirmat.

[g] *Pluteosque*] Plutei machinæ erant bellicæ, corio intectæ, quorum usus idem prope qui vinearum, ad muros suffodiendos.

tem se quisque in formam parmæ equestris armabat. *Nonius,* ' Parma est scutum breve.'

De pecore coria recens detracta, quasi glutino adolescebant. *Charis.* l. I. *Serv.*

Avidior modo properandi factus. *Arusian.*

Consilii æger. *Idem.*

Reversi postero die, multa, quæ properantes deseruerant in castris, nacti, cum se ibi cibo vinoque læti invitarent. *Nonius,* ' invitare est repleri.'

Atque hiavit humus multa, vasta et profunda. *Idem.* ' Hiare, aperire.'

Rursus jumenta nacti ad oppidum ire contendunt. *Nonius.*

Ubi se laniata navigia fundo emergunt. *Arusianus.*

Tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium.[h] *Idem.*

Eos[i] qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparaverunt. *Nonius.*

In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore, improbo patibulo eminens affigebatur. *Idem, Patibulum est crux.*

Ad Siciliam vergens faucibus non amplius patet millibus v. et xxx. *Messus.*

Clausi lateribus pedem.[j] *Idem.*

Naphtas. *Probus Catholicis.*

NOTÆ

[h] *Tartanium*] In Bithynia.

[i] *Eos*] Fragmentum istud, non Sallustii, sed Sisennæ esse arbitratur Putschius; ideo quod in Nonii vetustioribus manuscriptis illi ascribatur.

[j] *Pedem*] Quandoquidem Sallustii auctoritate confirmare studeat Fronto, probe oppido ac Latine dici *Altus pedes tot*, et quidem hunc locum citans; optime, ut videtur, vocem *altis* Sallustio Douza redonavit; legitque *clausi lateribus pedem altis.*

CAII CRISPI SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

LIBER V.

At Lucullus, audito Q. Marcium Regem[a] pro consule per Lycaoniam[b] cum tribus legionibus in Ciliciam[c] tendere. *Priscianus* l. XVIII.

Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia[d] Bithyniam, et Pontum consuli datam, missos[e] esse. *Idem ibidem.*

Regem aversabatur. *Arusianus.*

NOTÆ

[a] *Marcium Regem*] Hic, mortuo collega Metello, et eo qui in ejus locum suffectus fuerat, solus Consulatum gessit.

[b] *Lycaoniam*] Minoris Asiæ regio, in Cappadocia.

[c] *Ciliciam*] Minoris Asiæ regio ad Mediterraneum.

[d] *Lege Gabinia*] Gabinius Tribunus fuit plebis, quo tempore Lucullus adversus Mithridatem bellum gerebat.

[e] *Missos*] Quidam, in manuscriptis probe et plane exaratum esse, *Consuli datam esse, missos esse*, testatur; unde pro priori *esse, sese* rescribendum esse putat; deinde ut sensus absolvatur, *prætendentes* supplet, aut *caussantes;* ut ita legendum sit, *Sese missos esse caussantes.* Atque de Legionibus accipit quas Clodius per iram et invidiam solicitavit, ut ne amplius Lucullum adversus Mithridatem sequerentur: quibus ille persuasit ipsos missos, et a Sacramento liberos esse, cum alium Imperatorem, Glabrionem Consulem, ad Mithridaticum bellum, Senatus mitteret. Cui opinioni non possum plane non assentiri; nisi quod, non Glabrioni, sed Pompeio Mithridaticum bellum mandatum invenio.

Ceteri negotia sequebantur[f] familiaria legatorum, aut tribunorum; et pars sua commeatibus[g] mercatis. *Nonius.*

Et uxori ejus frater erat. *Arusianus.*

Sæpe celebritatem nominis intelligo timentem. *Priscianus* l. XVIII.

Video ingentia dona quæsitum ire properantem. *Idem ibidem.*

Nam si Pompeio quid humani[h] evenisset. *Arusianus.*

Quibus de causis[i] Syllam in victoria dictatorem, equo descendere, sibi uni adurgere de sella, caput aperire solitum. *Non. Arusianus. Serv.*

NOTÆ

[f] *Sequebantur*] Eidem Anonymo, ex quo priorem conjecturam decerpsimus, legendum videtur *Exsequebantur.*

[g] *Commeatibus*] Id est, *Abeundi licentia pretio emta.*

[h] *Quid humani*] Mortem intellige. De Pompeio autem videtur hic agi, quem Catulus, cum præclarum quidem, sed nimium liberæ Reipublicæ crederet, nolletque omnia ut in eo uno reponerentur, hæc verba in concione, legem dissuadens, adjecit, *Si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis?* ut habet Paterculus.

[i] *Quibus de causis*] Hic iterum de Pompeio sermo est, cui uni Syllam assurgere solitum Appianus tradidit. Quatuor vero fuerunt, auctore Servio, quæ apud Romanos ad honorem pertinerent, Equo desilire, Caput aperire, Via decedere, Assurgere.

CAII CRISPI SALLUSTII

FRAGMENTA

INCERTORUM LIBRORUM.

LIBER VI.

NE irrumiendi[a] po - - - sublicibus[b] cavata - - - sent. *Festus.*

Cujus duas insulas[c] propinquas inter se, et decem stadium[d] procul a Gadibus sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. *Nonius.*

Serum[e] bellum in angustiis futurum. *Jun. Philarg. ad Georg. Virg.*

Illi tertio mense pervenere in pontum[f] multo celerius spe Mithridatis. *Arusian.*

NOTÆ

[a] *Irrumiendi*] Id est, *lactandi;* quanquam omnes, quos quidem inspicere licuit, Excerptores, *Irrumare* habent tantum, non *Irrumire.* Vox vero ista, execranda libidine, ad obscœna traducta est.

[b] *Sublicibus*] Sublicæ trabes sunt longæ, quibus pons innititur. Sed pro iis, Festus habet *sublices*, nomine, secundum aliquos, a Volscis mutuato.

[c] *Duas insulas*] Quæ sint istæ nescire se fatetur Ortelius, nisi ex Plutarchi Sertorio, qui eas Atlantidum nomine describit. Intelligit autem de duabus ex Asoris, S. Michaëlis scilicet, et D. Mariæ.

[d] *Decem stadium*] Idem Ortelius *decem millibus stadiorum* ex Plutarcho rescribit.

[e] *Serum*] Grammatici *crudele* atque *sævum* interpretantur; eodemque sensu apud Virgilium, et Valerium Flaccum, legitur.

[f] *Pontum*] Pontus Asiæ minoris provincia ad mare Euxinum.

Ergo senati decreto serviendumne sit. *Donat.* act. II. sc. 2.

Pompeius oris improbi,[g] animoque inverecundo. *Suet. de claris Gram.* c. 14.

Similans sibi[h] alvum purgari. *Isidor.* l. XI. *in voce Alvus, ad Æn.* III.

Fecit ut nunciis confestim lugubribus. *Charis.* l. XI.

Communem habitum transgressus. *Prisc.* l. XIV.

Inter arma civilia æqui boni famas petit. *Seneca Epist.* CXIV.

Haud impigre, neque inultus occiditur. *Donat. ad Andr. Terentii* act. I. sc. 2.

Festinantibus in summa inopia patribus. *Idem ad Eunuch.* act. IV. sc. 3.

Hostes oppressi, aut delapsi forent. *Isidor.* l. XVIII.

Exercitum argento fecit. *Seneca Epist.* CXIV.

Togam paludamento[i] mutavit. *Isidor.* l. XIX. *Serv.*

Hiero rex Syracusanorum bellum fecit. *Seneca.*

Ibi triennio frustra trito. *Serv. ad Æn.* IV.

ORATIO C. COTTÆ[j] CONSULIS

AD POPULUM.

Quirites, multa mihi pericula domi, militiæ; multa adversa fuere: quorum alia toleravi, partim repuli Deorum auxiliis, et virtute mea: in quis omnibus, neque animus negotio defuit, neque decretis labor. Malæ, secundæque

NOTÆ

g *Improbi*] Multis contendit Douza *probi* legendum esse; præsertim quod illud alterum sit contra omnium librorum auctoritatem, et a Sallustii scribendi ratione alienum: arbitratur enim fieri non posse ut aliquis ore sit improbo, qui non pariter animo inverecundo fuerit; adeoque Sallustium bis idem dixisse, si *improbi* scripserit. Prima ratio valet.

h *Sibi*] Servius habet, *Similans alvum purgare;* quod magis est ex adstricta Sallustii oratione.

i *Togam palud.*] Id est, *Pacem bello.*

j *C. Cottæ*] In quibusdam libris scriptum inveni *Cn. Cotta,* quod forte pro M. Cotta, scripturæ similitudine positum est. Uterque enim C. et M. ille quidem prior, hic anno sequenti Consul fuit: sed Marcum, non Caium, a Mithridate magna clade apud Chalcedonem cæsum fuisse constat; quod quidem huic orationi occasionem dedit.

res, opes, non ingenium, mihi mutabant.[a] At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Præterea senectus, per se gravis, curam duplicat: cui misero, acta jam ætate, ne mortem quidem honestam[k] sperare licet. Nam, si parricida vestri sum et bis genitus[l] hic Deos Penates meos, patriamque, et summum imperium vilia habeo:[m] quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo? cum omnia memorata[n] apud inferos supplicia scelere meo vici.[o] A prima adolescentia in ore vestro privatus, et in magistratibus egi: qui lingua,[p] qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum, exercui: avidissimus privatæ gratiæ maximas inimicitias pro republica suscepi:[b] qui victus cum illa simul, cum egens alienæ opis, plura mala expectarem; vos, Quirites, rursus mihi patriam, Deos Penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim.[c] Nam vita et mors jura naturæ sunt: uti sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi[q] bellique impeditissima rep. Namque Imperatores[r] Hispaniæ sti-

[a] *Malæ secundæque res mutabant mihi opes, non mutabant ingenium.*
[b] *Cum essem avidissimus privatæ gratiæ, suscepi multas inimicitias pro Republica.*
[c] *Si dederim animam pro singulis*, quam *pro singulis* nequeo dare.

NOTÆ.

[k] *Honestam*] Ille equidem post casum suum in civitatem receptus, etiam Consulatum suum peregit; attamen ne sibi per inimicorum dolum fraudi esset, quod fortunæ iniquitate evenerat, vir prudens reformidabat.

[l] *Bis genitus*] Hic ideo dicit, quia, victus, in civitatem receptus erat.

[m] *Vilia habeo*] Id est, *parum istis omnibus consulo.* Sed terminis usus est causæ suæ faventibus; minus enim fit verisimile, ut quis summum imperium, quo gaudet, contemnat, quam, ut parum ex officio Reipublicæ invigilet.

[n] *Memorata*] De his plurima apud Poëtas.

[o] *Vici*] Id est, *majus est scelus quam ut atrocissimis inferorum pœnis satis possit puniri.*

[p] *Lingua*] Arbitror hunc esse Cottam, quem Cicero disertissimum prædicat, contra quem etiam mulierem quandam defendit.

[q] *Domi*] Bellis civilibus, per Marium, Syllam, aliosque exhaustæ fuerant vires Imperii.

[r] *Imperatores*] Vidimus ea de re

pendium, milites, arma, frumentum poscunt; et id res cogit; quoniam defectione sociorum et Sertorii per montes fuga neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiæ maritima, et provinciarum: cum interim vectigalia parva, et bellis[s] incerta, vix partem sumtuum sustinent: ita classe, quæ commeatus tuebatur, minore quam ante navigamus.[d] Hæc[t] si dolo aut secordia nostra contracta sunt, uti monet ira, supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est; quare indigna vobis, nobisque, et rep. incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur; neque mox ingenui[v] corporis honestius, quam pro vestra salute, finem vitæ fecerim. Adsum en C. Cotta consul, facio, quod sæpe majores asperis bellis fecere; voveo, dedoque me pro rep. quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem[z] honorem bonus nemo volet, cum fortunæ, et maris, et belli ab aliis acti, ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus, aut avaritiam cæsum, sed volentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam majorum, tolerate adversa, et consulite reip. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores: quos nequicquam abnuitis, et pacis opulentiam

[d] *Ita navigamus classe minore quam ea, qua commeatus vehebatur antea.*

NOTÆ

Pompeii epistolam; quocum Metellus, adversus Sertorium, Imperator creatus fuerat.

[s] *Bellis*] Piratæ enim, Mithridatici belli oblata occasione, maria bello, quasi tempestate præcluserant; alii rebellabant; Sertorius in Hispania multa intercipiebat, &c.

[t] *Hæc*] *Casus Reipublicæ varii.*

[v] *Ingenui*] In aliis est, *ingenio corporis*, quod non placet; quanquam illud quomodo explicem non satis video: nisi forte Consul noster, qui jam supra de inferis verba quædam injecit, philosophice, sese noluerit virum ingenuum, sed corpus tantum morti tradere: quod quidem ad persuadendum et commovendum aptum quoque fuerit.

[z] *Nam talem*] Tacite innuit, se adhuc utilem fore Reipublicæ, nec tam culpa sua exercitum a Mithridate cæsum fuisse.

quæritis:[e] cum omnes provinciæ, regna, maria, terræque aspera, aut fessa bellis sint.

Germani intectum[a] renonibus[b] corpus tegunt. *Isidor.*

Unde pons in oppidum pertinens explicatur. *Arusian.*

Et ei voce magna vehementer gratulabantur. *Donat.*

Et Marius victus duplicaverat bellum. *Serv.*

Atque eos a tergo incurrerunt. *Rufinian.*

In hunc modum disseruit. *Priscian.*

Inde ortus sermo percunctantibus utrimque, Satin salve; quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur? *Donat.*

Fugam nostris fecere. *Seneca.*

Quæ audita Panormitanos[c] dedere Romanis fecere. *Idem.*

Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum, et strenuum ostentantes. *Isidor. Serv.* x.

Ventis per cava terræ citatis, rupti aliquot montes, tumulique sedere. *Isidor. Serv.*

Ubi multi nefande casu super ausi, atque passi. *Prisc.*

Saguntium.[d] *Charis.*

Tota autem insula modica, et cultoribus inanis est. *Martian.*

Immodicus animi. *Arusian.*

Pugnam illam pro omine belli futuram. *Serv.*

Tantum antiquitatis,[e] curæque majoribus pro Italica gente fuit. *Idem.*

Opprobrii gratia. *Agrœtius.*

[e] *Quos frustra refugitis, dum pacis copiam quæritis.*

NOTÆ

[a] *Intectum*] Magna corporis parte nudos agitare solitos esse Germanos ex Tacito discimus, aliisque. Colerus mallet *Intecti.*

[b] *Renonibus*] Alii scribunt *Rhenonibus.* Sunt autem Rhenones Gallorum et Germanorum tegumenta pellicea, ab humeris ad umbilicum usque dependentia.

[c] *Panormitanos*] Panormus insignis Siciliæ civitas. Hodie *Palerme.*

[d] *Saguntium*] Pro Saguntinorum, ut placet Carisio.

[e] *Antiquitatis*] Gronovius cum Servio *antiquitatis* retinet: Douza *anxietatis* reponit; cui ego quidem assentior.

Maximis ducibus, fortibus strenuisque ministris. *Diomed.* l. II.

Non repugnantibus modo, sed ne deditis quidem. A. B. C. M. *Donat.*

In sylva Sila[f] fuerunt. *Serv.*

In nuda injecta corpora. *Diomed.*

Apollinis filia et Cyrenes. *Prob.*

Ne simplici quidem morte moriebantur. *Serv.*

Cum prædixero positum insulæ. *Donat.*

Cujus adversa[g] voluntate, colloquio militibus permisso, corruptio[h] facta paucorum, et exercitus Syllæ datus est. *Idem.*

A Graccho seditiones graves ortæ. *Augustin.*

M. Atilius Palicanus humili loco, Picens, loquax magis, quam facundus. *Quintil.* IV. 2. *Hieron. adv. Helvid.* et *Gell.* IV. 15.

Insolens[i] vera accipiendi. *Donat.*

Quæ pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat. *Idem.*

Curubis.[k] *Prob.*

Tharros.[l] *Idem.*

Camisos.[m] *Idem.*

Luces.[n] *Sergius.*

Primum modo Japidiam[o] ingressus. *Serv.*

NOTÆ

[f] *Sila*] Sita erat in Bruttiis.

[g] *Adversa*] *Cognita.*

[h] *Corruptio*] De Sylla intelligendum, qui, ut docet Plutarchus, viribus impar, Scipionem alterum Consulem dolo ad fœdera invitavit; deinde inter congressuum moras, et colloquiorum, pecunia et promissis ejus exercitum per milites corrupit.

[i] *Insolens*] Forte de Tigrane loquitur, qui fortuna sua ebrius, nil, nisi quod ad voluntatem fictum esset, audire poterat. Cujus stultitiam non pœnitebit vidisse apud Appianum.

[k] *Curubis*] Ptolemæo urbs est Africæ propriæ.

[l] *Tharros*] Ortelius eam urbem ponit in Africa.

[m] *Camisos*] Urbs Camisanæ regionis, in Parthia, ut eidem placet Ortelio.

[n] *Luces*] Volunt esse a *Lux*, singulari.

[o] *Japidiam*] Japidia, quæ et Histria dicta, in extrema est Italia, versus Dalmatiam.

Carbo[p] turpi formidine Italiam, atque exercitum deseruit. *Idem.*

Quæ pacta in conventione non præstitissent. *Donat.*

Crebritate fluctuum ut Aquilo solet. *Serv.*

Mithridates corpore ingenti perinde armatus. *Quintil.* VIII. 3.

Tyrannumque, et Cinnam appellantes. *Victorin. Serv.*

Nomenque Danubium[q] habet. *Acron.*

Cui nisi pariter obviam iretur. *Donat.*

Septimium, neque animo, neque lingua satis compotem. Vulgus amat fieri. *Quintil.* IX. 3.

Non pœniturum.[r] *Quintil.*

Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites frequentibus exercitiis præparavisset ad prælia. *Veget.* I. 9. *Joh. Saresb.*

Cicero caninam facundiam, ut Appius inquit, exercuit. *Lactant.*

Primus Græcorum Achilles. *Serv.*

Cupientissimus legis. *Diomed.*

Magna gloria tribunus[s] militum in Hispania T. Didio[t] imperante, magno usu bello Marsico, paratu militum, et armorum fuit. Multaque tum ductu ejus curata, primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celebrata sunt. Comminus faciem suam ostentabat, aliquot adversis cicatricibus, et effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur: neque illis anxius, quia reliqua gloriosus retinebat. *Gell.* II. 27.

Curetes[u] quia principes intelligendi divina fuerunt, vetus-

NOTÆ

[p] *Carbo*] Prolixe de eo Appianus.

[q] *Danubium*] Observavit Acro, vel alius aliquis, ad Horatium, Danubium in genere neutro a Sallustio positum, ut Rhenum ab Horatio. Danubius vero dicitur usitatius, maximus ille et notissimus Europæ fluvius, cui et nomen *Ister* datum est.

[r] *Pœniturum*] Pro *pœnitentiam acturum.*

[s] *Tribunus*] De Sertorio agitur.

[t] *Didio*] Legatus fuit Pompeii in Hispania, adversus Sertorium.

[u] *Curetes*] Totam hanc opinionem, quasi a Poëtis fictam Sallustius respuit, voluitque ingeniose interpre-

tatem uti cetera in majus componentem altores Jovis celebravisse. *Lactant.*

Italiam conjunctam Siciliæ[v] constat fuisse: sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut propter angustiam scissum. Inde Rhegium nominatum. *Isidor.*

Pompeius devictis Hispanis tropæa in Pyrenæis jugis constituit. *Serv.*

Atque edita undique tribus tamen cum muris, et magnis turribus. *Donat.*

Et in præliis actu promtus. *Idem.*

Pactione amisso Publico legato. *Idem.*

Ipsum Mare Ponticum dulcius quam cetera. *Serv. Macrob. Priscian.*

Equis paria operimenta erant: quæ linea ferreis laminis in modum plumæ annexuerant. *Serv.*

Rebus supra votum fluentibus. *Idem.*

Ænum,[w] et Maroneam,[x] et viam Militarem. *Idem.*

Impediebant jussa nautarum. *Idem.*

Nihil secordia claudebat. *Donat.*

Ut tanta[z] repente mutatio non sine Deo videretur. *Idem.*

In ore[a] gentibus agens, populo, civitati. *Idem.*

Pressi undique multitudine. *Idem.*

Hunc igitur redarguit Tarquinius. *Idem.*

Dein campi Themyscirii:[b] quos habuere Amazones,[c] a

NOTÆ

tari, cur Jovis cultores dicantur Curetes fuisse. *Lactantius.*

[v] *Siciliæ*] In hac sententia fuerunt plurimi auctores, contra quam facit Cluverius, qui, cum Hesiodo, aggeribus, versus Pelorum promontorium, auctam fuisse insulam arbitratur: nedum abscissa fuerit.

[w] *Ænum*] Ænus urbs Thraciæ maritima, ab Ænea condita.

[x] *Maroneam*] Non longe ab Æno, ad occasum.

[z] *Ut tanta*] Videtur hoc de inexpectata intelligendum conversione, quæ Romæ accidit, foro omnium rerum venalium copia superfluente, postquam Piratas annonam intercipientes Pompeius profligavit.

[a] *In ore*] De Pompeio intelligit Douza.

[b] *Themyscirii*] Sunt illi in Ponto.

[c] *Amazones*] Fuerunt mulieres, quæ regnum, viris omnibus interfectis, obtinuerunt; rem postea habentes cum peregrinis. De his mentio fit apud plurimos; interim fuerint, nec ne, quidam affirmant, quidam negant. Crediderim multa fabulosa esse; non tamen omnia.

Tanai[d] flumine incertum quamobrem digressæ. *Serv.*

Ubi eum tota concione ab exercitu cogit discedere, dicit se ejus opera non usurum; eumque ab armis dimittit. *Idem.*

Et Metello procul agente longa[e] spes auxiliorum. *Idem.*

More equestris prælii sumtis tergis atque redditis, et egressi ad faciliores ictus loco cedebant. *Idem.*

Castra sine vulnere introitum. *Idem.*

Multos tamen ab adolescentia bonos insultavit. *Idem* et *Donat.*

Cosa.[f] *Serv.*

Equis, atque armis insignibus. *Idem.*

Fessus[g] in Pamphyliam se receperat. *Idem.*

Profectus quidam Ligus ad requisita naturæ. *Quintil.*

Apud latera certos[h] collocaverat. *Serv.*

Apertæ portæ, repleta arva cultoribus. *Idem.*

Hispaniam[i] sibi antiquam patriam esse. *Idem.*

Lyciæ,[k] Pisidiæque[l] agros despectantem. *Idem.*

Sorte ductos fusti necat. *Idem.*

Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria,[m] Bruttium,[n] et Salentinum.[o] *Idem.*

Italia plana ac mollis. *Idem.*

Qua tempestate ex Ponto vis Piscium erupit. *Idem* et *Scholiastes Juvenalis.*

Introrsus[p] prima Asiæ Bithynia est, multis antea nomini-

NOTÆ

[d] *Tanai*] Tanais fluvius est qui Europam ab Asia dividit. Hodie *Don* dicitur.

[e] *Longa*] Id est, *longe posita*, Auctore Servio.

[f] *Cosa*] Civitas Etruriæ.

[g] *Fessus*] Id est, *egens consilii*, Servio interprete: nam corpore fatigatum dicimus, animo fessum.

[h] *Certos*] Certus aut velocem significat, aut fidelem, aliquando etiam firmum, at ait Sallustius, *Apud latera certos collocat.* Servius.

[i] *Hispaniam*] Annotant Grammatici, Provinciam pro Patria positam, cum civitas proprie sit Patria.

[k] *Lyciæ*] Minoris Asiæ regio, ad Mediterraneum.

[l] *Pisidiæ*] Ciliciæ regio, in minore Asia.

[m] *Promontoria*] Sunt montes, qui in mare incurrunt. *Gall. Cap.*

[n] *Bruttium*] Inferius est, ad meridiem, juxta Siciliam.

[o] *Salentinum*] Superius est, ad Septentrionem.

[p] *Introrsus*] Hæc Crispi cum citet Servius, ut doceat Bithyniam dictam quoque esse Bebriciam, nullaque ejus rei, in fragmento hoc, extet mentio,

bus appellata. Ipsa enim est et major Phrygia. *Serv.*

Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre veneno interfecta. *Idem.*

Exercitum vertere.[q] *Idem.*

Creta altior est, qua parte spectat Orientem. *Idem.*

Se regibus devovent, et post eos vitam refutant: adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis. *Idem,* et *Philarg.*

Dum inferior omni via grassaretur. *Johannes Grammat.*

Narbone[r] consilia Gallorum. *Pomp. in artem Donati.*

Post defectionem sociorum et Latii. *Donatus, Adelph.* III. 4.

Ad Jovis[s] mandem nostra. *Idem* IV. 2.

Morbi graves ob inediam insolita vescentibus. *Idem, Hecyr.* III. 2.

Atque ea cogentes non coactos scelestos magis quam miseros distringi. *Idem Ibid.* IV. I.

Graviori bello, quo prohibituri venerant socii, frigere. *Idem* V. I.

Nam quidem Pyrrho, Hannibali, æquor et terra. *Idem Phorm.* I. 1.

Nam Syllæ dominationem audebat. *Idem* II. 3.

Neque est[t] defensus dominationem Syllæ. *Idem ibid.*

Neu quis miles, neve pro milite. *Serv.*

Ex insolentia avidus malefaciendi. *Idem.*

Tergis vinciebant. *Idem.*

Charybdis[v] quæ forte illata naufragia[w] sorbens gurgitibus occultis millia sexaginta Tauromenitana[x] ad littora trahit. *Idem.*

NOTÆ

non dubitat Sallustium ex Isidoro augere Putschius, post *Phrygia,* hoc modo, *prius Bebricia dicta, mox a Bithynio rege Bithynia.*

[q] *Vertere*] Servius interpretatur, *Considerare.*

[r] *Narbone*] Narbo Galliæ Narbonensis urbs est maritima.

[s] *Ad Jovis*] Douza corrigit, *Id Jovi mandem nostro:* id est, *Jupiter ista viderit.*

[t] *Neque est*] Alii habent, *dominationum.* Colerus legit, *Neque est defesus dominationum Sylla.*

[v] *Charybdis*] Poëtis decantatissimus gurges, inter Siciliam et Italiam, circa Messanam.

[w] *Naufragia*] Hic naufragium, pro ipsis rebus quassatis et fractis, positum est.

[x] *Tauromenitana*] Tauromenia, vel Tauromenium, urbs Siciliæ maritima, ad fretum.

Saguntini fide atque ærumnis inclyti per mortalium studium majores quam opibus, quippe quis etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ, parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant. *Hieron. in Habacuc.* c. 2.

Apud Corduennos[y] amomum[z] et alii leves odores gignuntur. *Philarg. in* IV. *Georg. Virg.*

Quem trans stagnum omnis usque ad flumen. *Idem.*

Repente incautos agros invasit. *Idem.*

Belli sani sciens. *Acron.*

Namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achæi[a] atque Tauri[b] sunt, quod, quantum conjicio, locorum egestate rapto vivere coacti. *Glossæ Juven.*

Atque ipse cultus rei. *Acron.*

Triplici[c] fluctu. *Serv. Fuldanus.*

Charybdi mare vorticosum. *Idem.*

Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est. *Idem.*

Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem. *Idem.*

Simul immanis hominum vis ex locis invasere patentes, cum et pacis modo effusas. *Idem.*

Genua patrum advolvuntur. *Idem.*

Perrexere in Hispaniam et Sardiniam. *Idem.*

Quæ mapalia sunt circumjecta civitati, suburbana ædificia. *Idem.*

Et onere turrium incertis navibus. *Idem.*

Traditur fugam in longinqua Oceani agitavisse. *Idem.*

Ad mutandum modo in melius servitium. *Serv. ad Æn.* I.

Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate ejecta. *Idem ibid.*

Cum murum hostium successisset, pœnas dederat. *Idem ad Ecl.* V.

NOTÆ

[y] *Corduennos*] Corduenni, gens circa mare Hyrcanum.

[z] *Amomum*] Aliud alii esse commiscuntur: multumque de eo rixantur Medici.

[a] *Achæi*] Sunt populi circa Pontum Euxinum, in Sarmatia Asiatica; nam de his hoc in loco agitur, non de illis qui Thessaliam incoluerunt.

[b] *Tauri*] Fuerunt isti in Sarmatia Europæa.

[c] *Triplici*] Id est, *magno*.

Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus. *Idem.*

Hi sunt qui secundum pocula et alias res aureas Diis sacrata instrumenta convivio mereantur. * *Idem ad Æn.* VIII.

In secunda festinas cohortes composuerat. *Idem ad* IX.

Jam repente visus sævire Taguns. *Idem ad* X.

Exuant armis equisque. *Idem.*

Solas festinare. *Idem.*

Lusitaniæ gravem civitatem. *Idem.*

Ex parte cohortium præcipere instructa, et stationes locatæ pro castris. *Idem.*

Bellum quibus posset conditionibus desineret. *Idem.*

In quis longissimo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit. *Idem.*

Cultu corporis ornata egregio. *Idem.*

At Sertorius vacuus hyeme augere copias. *Acro in Horat.*

Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros. *Serv.*

Consedit in valle virgulta nemorosaque. *Idem.*

Paululum requietis militibus. *Idem.*

Qui nullo certo exilio vagabantur. *Idem.*

Nubes fœdavere lumen. *Idem.*

Sanctus alia. *Idem.*

Geronis. *Idem.*

Quæ causa fuerat novandis rebus. *Idem.*

Radicem montis excessit. *Statii interpres.*

Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant. *Idem.*

Incerta est fortitudo dum pendet. *Idem.*

In quibus plaustra sedes sunt. *Acro ad Horat.*

Luxo pede. *Probus.*

Maurique vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodas ultra Æthiopiam cultu Persarum justos et egregios agere. *Prisc.*

Et Perpennam forte cognoscit mulio redemtoris. *Acro in Horat.*

Omnium fluminum quæ in maria, quæ imperium Romanum est, fluunt, quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν appellant,

maximum esse Nilum consentitur; proxima magnitudine esse Istrum scripsit Sallustius. *Gell.* x. 7.

Ex omnibus[d] quæ tractavimus, Æbuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius,* cum cura dicendum, quam quod in manibus est. *Seneca Benef.* IV. 1.

Turbinum motus vagus est, et disjectus, et uti Sallustii verbis utar, vorticosus; cometarum autem compositus, et certum iter carpens. *Idem. Nat. Qu.* VII. 8.

Sallustius, auctor certissimus, asserit Tigrim, et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur, spatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. *Idem* et *Isidor.* XIII. *Vib. Sequest.* et *Hieron. de loc. Heb.*

Pelorum promontorium Siciliæ respiciens Aquilonem juxta Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per ignorantiam regis, cum se ejus dolo crederet esse deceptum. *Serv.* et *Isidor.*

Aristæus,[e] ut Sallustius docet, post laniatum a canibus Actæonem[f] filium matris instinctu Thebas reliquit, et Ceam[g] insulam tenuit, primo adhuc hominibus vacuam: postea, ea relicta, cum Dædalo in Sardiniam transivit, post delatus est Cumas.[h] *Serv.*

Sallustius duces laudat, qui victoriam** incruento exercitu deportarunt. *Idem.*

Cares[i] Insulani populi fuerunt, piraticam exercentes,

NOTÆ

[d] *Ex omnibus*] Nullus non ea facile dignoscet quæ sunt Sallustii, in his et sequentibus fragmentis.

[e] *Aristæus*] Apollinis et Cyrenes filius, ut plurimis placet, olei et mellis inventor.

[f] *Actæonem*] Hic, ira Dianæ, quam inscius sine veste viderat, in cervum mutatus, a suis canibus laceratus est.

[g] *Ceam*] Cea, vel ut alii scribunt, Ceos, insula est maris Ægei, juxta Eubœam.

[h] *Cumas*] Cumæ, Urbs Campaniæ maritima.

[i] *Cares*] Cos insula est maris Ægæi non longe a Caria, quæ et ipsa hoc nomine dicta est, auctore Stephano. Probus in Miltiade, Cares in Lemno consedisse testatur: adeoque hi fue-

famosi, victi a Minoë,[k] uti Sallustius et Thucydides tradunt. *Idem.*

A Troja Capys[l] Campaniam, Helenus[m] Macedoniam, alii Sardiniam, secundum Sallustium, tenuerunt. *Idem.*

Dardania[n] a Dardano Jovis et Electræ filio, aut secundum Sallustium, a Mida Dardanorum rege, qui Phrygiam tenuit. *Idem.*

Sallustius Scyllam[o] saxum esse dicit, simile formæ celebratæ[p] procul visentibus. *Idem.*

In Sicilia est Enceladus,[q] Othus[r] in Creta, secundum Sallustium. *Idem.*

Sallustius ait, Hispanorum morem fuisse, ut in*** bella euntibus juvenibus parentum facta memorentur a matribus. *Idem.*

Orion,[s] juxta Sallustium, oritur juxta solis æstivi pulsum. *Idem.*

In Flaminia[t] est civitas quæ Cale[x] dicitur, et in Gallia hoc nomine, quam Sallustius a Perpenna captam commemorat. *Idem.*

NOTÆ

runt Piratæ errones habitationem suam mutantes.

k *Minoë*] Minos rex fuit Cretæ, Jovis ex Europa filius, apud inferos, ob insignem justitiam, judex a Poëtis constitutus.

l *Capys*] Unus fuit ex Æneæ comitibus, qui in Italiam venit.

m *Helenus*] Priami filius. Epiri vero partem habuisse Virgilius auctor est.

n *Dardania*] Pars est Illyriæ, supra Macedoniam. Sed hic de Troja agitur.

o *Scyllam*] Scylla scopulus est in freto Siculo, non longe a Charybdi.

p *Celebratæ*] A Poëtis scilicet, apud quos passim monstrum fœmineo vultu, cetera canum latrantium, quibusdam lupi, ac serpentis specie, descriptum invenies.

q *Enceladus*] Unus ex gigantibus, quem Jupiter, fulmine ictum, Ætnæ monti supposuit.

r *Othus*] Hic fuit Neptuni filius ex Iphimedia Alœi uxore, quem, cum Ephialte ipsius Othi fratre, Alœus auxilio misit Gigantibus adversus Deos.

s *Orion*] Ex trium Deorum, Jovis, scilicet, Neptuni, et Mercurii urina, vel semine natus, et a Diana interfectus, ut quibusdam placet, in sidus mutatus fuit; cujus ortu tempestates maximæ excitantur: si tamen verum est quodcumque vulgo hominum ore teritur.

t *Flaminia*] Regio Italiæ ad mare superum, ubi Ravenna.

x *Cale*] Calem Gallicam non longe ab urbe Parisiorum ponunt; haud procul a Matrona.

Getæ sunt Mysii,[z] quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos. *Idem.*

Trojanorum tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, uti Sallustius meminit. *Idem.*

Curribus falcatis usos esse antiquos, Livius et Sallustius docent. *Idem.*

Vices significant pugnam, quia* per vicissitudinem pugnabatur, ut inquit Sallustius. *Idem.*

Creta medio jacet insula ponto, id est, secundum Sallustium, procul a continenti. *Idem.*

Primo mense veris dicitur novum ver, secundo ver adultum, tertio præceps; sicut etiam Sallustius dicit ubique, nova æstas, adulta, præceps. *Idem.*

Sallustius in Historiis tradit, Sertorium victum voluisse fugere ad insulas fortunatas.[a] *Acron.*

Insulas fortunatas Sallustius inclytas esse ait Homeri Carminibus. *Serv.*

Proximum dicebant veteres, non solum adhærens, et adjunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium[b] extitisset. *Virg. Æn.* l. v.

‘ Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius.’

Ita et Sallustius in Situ Ponti, de promontoriis Paphlagonum,[c] et quod Κριοῦ[d] μέτωπον, appellavit, posuit. *Nonius.*

‘ Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier,
Non abnuebam.’ *Festus Avienus.*

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum. In arcus simi-

NOTÆ

[z] *Mysii*] Mysia in Asia est: sed hic Mœsia est intelligenda, quæ olim Mysia dicta. Europæ regio est ad Danubium.

[a] *Fortunatas*] Sunt illæ in mari Atlantico. Hodie, *Les Canaries.*

[b] *Nihil medium*] *Ejusdem naturæ,* scilicet.

[c] *Paphlagonum*] Paphlagonia Asiæ minoris regio, ad Pontum Euxinum.

[d] Κριοῦ] *Arietis hanc rupem simulantem vertice frontem Pro merito Graii κριοῦ dixere μέτωπον.* Priscian.

litudinem. Sic de Ponto Sallustius, unde hic tulit colorem. Nam speciem efficit Scythici arcus. *Serv. ad Æn.* III.

'—— Freta lata relucent.'

Lata autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant, uti dicit Sallustius. *Serv.*

Teia autem dicta est a Teio Anacreontis Poëtæ Lyrici oppido, quod in Paphlagonia esse Sallustius indicat, cum de situ Pontico loquitur. *Comment. in Horat.*

Porro Sallustius auctor certissimus asserit, tam Tigris, quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. *Hieron. de locis Heb.*

Cum multi evaserint Trojanum periculum,[e] uti Capys, qui Campaniam tenuit; ut Helenus, qui ut alii,[f] Sardiniam, secundum Sallustium. *Serv.*

Sallustianus Calpurnius. *Hieron. ad Ruf.*

Calpurniani discipuli. *Idem ibidem.*

Tamen[g] vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt. Sallustius vanos Mauros, et feroces Dalmatas pulsat.[h] *Tertull. de anima.*

Sarcasmus Chlevasmo proxima est, et similis figura, qua adversariorum facta, cum exacerbatione admissi lacessimus. Ut apud Sallustium de Syllæ crudelitate. Ut in M. Mario cum fracta prius crura per artus expiraret. *Jul. Rufinianus de schematis lexeos.*

Mesopotameni homines effrænatæ lubidinis sunt, ut Sallustius meminit in utroque sexu. *Glossæ in Juvenalem.*

Antonius[i] ille trium Antoniorum corruptor, ille Sallustius, qui oræ maximæ qua Romanum esset imperium contrarius piratis. Si omnes socios et maxime Græcos Asiaticos ac Siculos fortunis omnibus spoliaverunt. *Eædem Glossæ.*

Σαλλουστίου δὲ θαυμάζω, τότε πρῶτον ὤφθαι Ῥωμαίοις καμήλους,

NOTÆ

[e] *Periculum*] Quando Troja a Græcis eversa est.

[f] *Ut alii*] Quod hic deesse clarum est, ex loco superiori qui de hac ipsa re agit, facile cognosces.

[g] *Tamen*] Id est, *omnes sciunt quomodo invicem sibi quædam innata vitia populi exprobrent.*

[h] *Pulsat*] *Arguit, Notat.*

[i] *Antonius*] Pessime depravatum est istud fragmentum.

λέγοντος, εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκιπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο, μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ καὶ περὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους, ἐγνωκέναι κάμηλον. *Id est:* Sallustium demiror, qui autumat, tum primum visos Romanis camelos, quod neque olim illos qui duce Scipione Antiochum devicerunt, neque hos qui ad Orchomenum[k] et Chæroneiam certaverunt cum Archelao, nosse putaverit camelum. *Plutarchus.*

Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι, χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ, καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας. *Id est:* At Sallustius quidem fuisse milites jam inde a principio male ait in eum (Lucullum) animatos, quod ad Cyzicum, et iterum ad Amisum duas hyemes eos in castris continuisset. *Idem.*

LECTORI.

Hactenus Fragmenta florentissimi Rerum Romanarum scriptoris, quæ extare putamus. Cetera quæ sequuntur, in Ms. Servio legi auctor est V. Cl. Andreas Schottus: in optima tamen illa Honorati Editione a Petro Daniele IC. procurata non comparent.

* m or Trequii præter s r ciem necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius, dum hæc aguntur a fugitivis, ægra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, cum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, et qui reliqui erant per summa flagitia detrectantibus militiam, Quæstorem suum C. Thoranium ex quo præsente vera facilime noscerent. *** commiserant, et tamen interim quum volentibus numero quatuor.

NOTÆ

[k] *Orchomenum*] Orchomenus et Chæronea duæ sunt Bœotiæ urbes ad amnem Cephisum; quanquam priorem Sophianus magis ad meridiem collocat.

* ingre, tante setui debacrlttur, nefandum in modum perverso vulnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes, alii in tecta jaciebant ignes, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto, neque sanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum, et servili ingenio: quæ Spartacus[a] nequiens prohibere, multis precibus cum oraret, celeritate **** nuntios.

Aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris cœpit, et promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites, ducit tamen ad castra fugitivorum. Presso gradu silentes jam, neque tam magnifice sumentes prælium, quam postulaverant. Atque illi certamini conscii inter se juxta seditionem erant. Crixo et gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus contra Spartacum.

NOTÆ

[a] *Spartacus*] Hic est qui una cum Crixo et Œnomao, effracto Lentuli ludo, cum triginta aut amplius ejusdem fortunæ viris, Capua erupit; servisque ad vexillum et ad auxilium vocatis, Romanis grave, idemque probrosum bellum intulit.

INCERTI AUCTORIS

EPISTOLÆ[a] DUÆ

AD

C. CÆSAREM

DE REPUBLICA ORDINANDA,

SALLUSTIO ASCRIPTÆ.

EPISTOLA I.

PRO vero[b] antea obtinebat, regna, atque imperia, fortunam dono dare,[a] item alia, quæ per mortales avide cupiuntur: quia et apud indignos sæpe erant quasi per lubidinem data: neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit id[c] verum esse, quod in carminibus Appius[d] ait, fabrum

[a] *Antea vulgo credebatur fortunam dare dono regna atque imperia.*

NOTÆ

[a] *Epistolæ*] Alii *orationes:* at multis probat Douza, esse epistolas; quod etiam postea ex ipso Sallustio cognoscetur. Nam ejus esse eas idem, ut et ipse arbitror, contendit.

[b] *Pro vero*] Vulgo, *Pop. Romanus.* Ab imperitis, quibus vox *obtinebat* perspecta non esset, additas esse has duas voces *Pop. Romanus,* Casaubonus contendit; qui illustrissimam sententiam ea additione tenebris involutam dicit. Tanto viro non possum non suffragari.

[c] *Id*] Refertur ad sequentem sententiam.

[d] *Appius*] Hic est, ut videtur, quem Cicero sapientem vocat Poëtam.

esse quemque fortunæ: atque in te maxime, qui tantum alios prægressus[e] es, uti prius defessi sunt homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciendo. Ceterum uti fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberi decet; ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit: et quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest; tamen, quia malo esse licet, formidatur.[b] Id[f] evenit, quia plerique rerum potentes perverse consulunt; et eo se munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores[g] fuere. At contra id eniti decet; cum ipse bonus, atque strenuus sit, uti quam optimis imperites. Nam pessimus quisque asperrime rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quam ante te omnibus, armis parta componere. Bellum aliorum pace mollius[h] gessisti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum[i] est tibi; atque in posterum firmanda resp. non armis modo, neque adversum hostes, sed, quod multo majus, multoque asperius est, bonis pacis artibus.[j] Ergo omnes magna mediocrique[k] sapientia res huc vocat: quæ quisque optima potest, uti dicant. Ac mihi sic videtur: qualicumque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura.

Sed jam, quo melius faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator,

[b] *Et quamvis qui potentior est sit bonus atque clemens, tamen reformidatur, quia licet illi esse malo.*

NOTÆ

[e] *Prægressus*] Omnes libri habent *prægressus*. Carrio. Non *prætergressus*, ut vulgo editur.

[f] *Id*] *Quod, scilicet, qui plus potest formidatur.*

[g] *Nequiores*] Id est, *homines nihili, quia nulla sunt virtute; qui nihil nec possunt, nec audent.*

[h] *Mollius*] Cæsari assentatur.

[i] *Evadendum*] Id est, *Reipublicæ ita, ut et tibi consulas, providendum.*

[j] *Artibus*] *Legum optimarum, quas tu sanxeris, observatione, et vindicatione.*

[k] *Mediocrique*] Sibi ipsi viam sternit, ne impudenter fecisse videatur, qui Principi consulere satagat. Atque optimo fundamento nititur: non enim minimam præstant aliquando Reipublicæ operam qui tardiores sunt, et minus perspicaces; quippe qui graviori passu progredientes, ea advertunt quæ fervidiores præterierant.

cum homine claro,[l] magnis opibus, avido potentiæ, majore fortuna, quam sapientia: quem secuti sunt pauci, per suam injuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia necessitudo, traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam; neque, si pati[m] potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo vulgi, more magis, quam judicio, post alius alium, quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus maledictis[n] iniquorum occupandæ reip. in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: et aperte quietis[o] mortem, rapinas, postremo omnia, quæ corrupto animo lubebat, minitari. Ex quis magna pars, ubi neque creditum condonare,[c] neque te civibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere: pauci restitere; quibus majus otium in castris, quam Romæ, futurum erat, tanta vis[p] creditorum impendebat. Sed ob easdem causas immane dictu est, quanti, et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli quasi sacro, atque inspoliato[q] fano debitores usi.

Igitur, quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est: hoc uti civiliter deponas,[r] illa ut quam justissima,

[c] *Ex quibus magna pars, ubi vident te neque pecuniam creditam condonare, aut novas tabulas proponere.*

NOTÆ

[l] *Homine claro*] *Pompeio*, scilicet.

[m] *Si pati*] Testatur Florus, neque parem Pompeium, neque superiorem Cæsarem ferre potuisse.

[n] *Maledictis*] Hoc dicit, Multos eo ad Cæsaris partes adductos fuisse, quod malevolis quibusdam, qui eum Rempublicam occupaturum prædicabant, fidem haberent; et per ejus gratiam se potentes evasuros sperarent.

[o] *Quietis*] *Iis qui nullis partibus erant addicti.*

[p] *Tanta vis*] Id est, *quia fœneratorum impotentiam experti essent.*

[q] *Inspoliato*] Id est, *ex quo abstulisse quicquam, nefas fuerit.* Vult plurimos ad Pompeium, tanquam ad asylum concurrisse.

[r] *Civiliter deponas*] Duabus hisce vocibus, quæ proponit propemodum conficit vir summe politicus. Curandum est enim ut bello tu, non alius, finem imponas, idque revera et bona fide præstes: curandum ut id civiliter; hoc est, quam maxime popularibus et civibus tuis parcendo. Atque ex ejusmodi exemplis discere debent blaterones quomodo loquendum, immo et legendum sit.

et diuturna sit: de te ipso primum, qui ea[s] compositurus es, quod optimum factu est, existima. Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna, arbitror; neque quenquam multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam[t] vitam bellum æternum atque anceps gerere: quoniam[v] neque adversus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis? semper in periculo, aut metu agites. Contra qui benignitate et clementia imperium temperavere, his læta et candida omnia visa; etiam hostes æquiores, quam aliis[w] cives. An qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimisque in victos bona voluntate prædicent?[d] Scilicet[x] quod ea, quæ externis nationibus, natura nobis hostibus, nosque majoresque nostri sæpe tribuere, ea civibus danda arbitror; neque barbarico ritu cæde cædem, et sanguine sanguinem expianda.

An illa, quæ paulo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Syllanam increpabantur, oblivio intercepit? Domitium,[e z] Carbonem, Brutum, alios item non armatos,[a] neque in prælio belli jure, sed postea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in villa[b] publica, pecoris modo, conscissam. Heu quam illa occulta

[d] *An aliqui prædicent me corruptorem esse victoriæ tuæ, his dictis.*
[e] An oblivio abstulit, *Domitium, &c.*

NOTÆ

[s] *Qui ea*] Alii, *Quia.*

[t] *Eam*] Arbitratur Sallustius, ejus vitam, qui se aliis metuendum præbet, bellum æternum esse. Optime, ut sunt ejus, propemodum, omnia.

[v] *Quoniam*] Intelligit eum, de quo loquitur, nihil sperare posse in futurum, omnia timere ex præterito, et in præsenti turbatum esse.

[w] *Aliis*] Illis nempe, qui per sævitiam imperium obtinent.

[x] *Scilicet*] Ironice sibi ex parte adversariorum illud affingit, quod ipsos maxime refellit.

[z] *Domitium*] Hos tres Pompeius, primum quidem in Africa, alterum in Sicilia, tertium circa Lilybæum mori coëgit. Ceterum tantorum virorum ludibrio fata habita Auctor Cæsaris ob oculos ponit, ut ipsum ad misericordiam, in quam pronus erat, magis inclinet; generosissimumque Imperatorem, qua facile capiebatur, uti par est, tentet.

[a] *Non armatos*] Animadversum in eos qui se sponte dediderant, inquit Florus.

[b] *Villa*] Ea fuit in Campo Martio, ubi quatuor, et secundum aliquos, octo et novem millia deditorum inermium civium Sylla interfici jussit.

civium funera et repentinæ cædes; in parentum, aut liberorum sinum fuga mulierum, et puerorum; vastatio domuum, ante partam a te victoriam, sæva atque crudelia erant! Ad quæ te illi iidem hortantur: et scilicet[c] id certatum esse, utrius vestrum arbitrio, injuriæ fierent:[f] neque receptam, sed captam a te remp. et ea causa exercitus stipendiis confectis optimos, et veterrimos omnium adversum fratres, parentesque, alii liberos armis contendere;[g] ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profundæ lubidini sumtus quærerent: atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum more, aut modestia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit; quoque modo in belli administratione scorta, aut convivia,[d] exercuerint nonnulli; quorum ætas ne per otium quidem talis voluptatis sine dedecore attigerit.

De bello satis dictum. De pace firmanda quoniam tuque et omnes tui agitatis: primum id, quæso, considera, quale id sit, de quo consultas: ita, bonis malisque dimotis,[e] patenti via ad verum perges. Ego sic existimo; quoniam orta omnia intereunt,[f] qua tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos; ita defessos et exsangues Regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt et concordiæ bona, et discordiæ mala expellenda.

[f] *Et scilicet* illi volunt *certatum esse*, ut sciretur *utrius vestrum arbitrio injuriæ fierent.*

[g] *Neque* volunt *receptam et liberatam, sed captam esse a te Rempublicam, et ea causa exercitus optimos, et veterrimos omnium stipendiis confectis, contendere armis adversum fratres et parentes, alii* adversus *liberos.*

NOTÆ

[c] *Et scilicet*] Adversariis rationes ascribit ridiculas, ut et eorum institutum ridiculum videatur.

[d] *Convivia*] De hoc omni castrorum Pompeii dedecore Plutarchus, et ipse Cæsar loquitur.

[e] *Dimotis*] Id est, *seorsum positis, et accurate pensiculatis.* Ita vero, cuicumque decipi metuit, facto opus est.

[f] *Intereunt*] Quam apposite, et ad ingenium Cæsaris accommodate, isthuc injecit.

Id ita eveniet, si sumtuum et rapinarum licentiam demseris; non ad vetera instituta[g] revocans, quæ jam pridem, corruptis moribus, ludibrio sunt; sed si suam cuique rem familiarem finem sumtuum statueris:[h] quoniam is incessit mos, ut homines adolescentuli,[i] sua atque aliena consumere, nihil lubidini, atque aliis rogantibus, denegare, pulcherrimum putent: eam[j] virtutem, et magnitudinem animi; pudorem atque modestiam pro secordia æstiment. Ergo animus ferox, prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in cives:[*h*] movet composita, et res novas veteribus[k] acquirit. Quare tollendus[l] fœnerator in posterum, uti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo, non creditori, gerere; et magnitudinem animi in addendo, non demendo[m] reip. ostendere.

Atque ego scio, quam aspera hæc res in principio futura sit, præsertim iis, qui se in victoria licentius liberiusque, quam artius, futuros credebant. Quorum si saluti potius, quam lubidini consules; illosque nosque et socios in pace

h *Ob has causas animus ferox ingressus prava via, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus, modo in socios, &c.*

NOTÆ

g *Instituta*] De sumtuariis legibus loquitur, quas adversus grassantem corruptionem satis firmas non credit.

h *Statueris*] Discordiæ vires maximas subtraxerit, qui hoc Auctoris monito uti didicerit. Ut enim optime Florus, *Magnificus apparatus conviviorum, et sumtuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam Patriæ suæ impegit.*

i *Adolescentuli*] Utinam aliquando apud Viros Principes ea rerum humanarum cura exoriatur, ut post futuris consulant, dum venientium institutioni prospicient.

j *Eam*] Id est, *in eo positam.*

k *Veteribus*] Hoc est, *Aliena consumendo, nihil lubidini denegando.* Ceterum vide mihi, quæso, quomodo sententiam suam expresserit. Petita res est ex ipsis naturæ visceribus, ubi omnia iisdem conservantur principiis quibus generata sunt. Verum jocus est ex rerum veterum et novarum oppositione; quæ eo minus bene composita videntur, quod ex veteribus nova non soleant emergere.

l *Tollendus*] Istud certe maximæ est disquisitionis: multa enim incommoda ex fœnore tangit Sallustius, in eo abusus plurimus; attamen, quomodo in totum tolli possit, non video.

m *Non demendo*] Magis istud rhetorice quam politice dictum; nisi Sallustius nimiæ fœneratorum licentiæ obviam ire conatus est. Quamvis enim aliquid videaris debitori per fœnus detrahere, per idem illi sæpe

firma constitues. Sin eadem[n] studia, artesque juventuti erunt: næ ista egregia tua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem[o] spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci, an vicisse, quid retulit? Quare capesse, per Deos, remp. et omnia aspera,[p] uti soles, pervade. Namque[q] aut tu mederi potes; aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam[r] te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia, invocat, quibus civitas vastatur magis, quam corrigitur; sed uti pravas artes, malasque lubidines, ab juventute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse, ne immerito cives patria expellerentur;[s] retinuisse ab stultitia et falsis voluptatibus, pacem, concordiam stabilivisse: non,[t] si, flagitiis obsecutus, delicta perpessus, præsens gaudium cum mox futuro malo concesseris.

Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxime fretus[u] est, negotii magnitudine[i] et quia tibi terræ[v] et maria simul omnia componenda sunt. Quippe res parvas tantum[w] ingenium attingere nequit: magnæ curæ magna merces est. Igitur[x] provideas oportet, uti plebes, largitionibus, et publico frumento, corrupta,[y] habeat negotia sua, quibus ab ma-

[i] *Ac animus meus maxime nititur iis rebus quas alii timent, negotii, scilicet, magnitudine.*

NOTÆ

multum addideris.

[n] *Eadem*] De quibus supra, *sua*, scilicet, *et aliena consumere, &c.*

[o] *Laborem*] Militarem præsertim intellige.

[p] *Aspera*] Quæ videlicet in ordinanda Republica occurrent.

[q] *Namque*] Cæsari assentatur.

[r] *Quisquam*] *Bonus* scilicet. Verum ideo non addidit, quia rem ipsam terminis usque adeo invidiosis proposuit, ut, qui maxime cupiant, eam non ausint, defendere.

[s] *Expellerentur*] Ciacconius mallet *expellantur*.

[t] *Non*] Supple, *Clementia fuerit.*

[u] *Fretus*] Bene de Cæsare se ideo sperare innuit, quod ille res soleat exequi difficillimas: viris enim cordatis difficultas animum auget.

[v] *Terræ*] Potius est ut Sallustium, *Terra et mari*, scripsisse credamus. *Douza.*

[w] *Tantum*] Cæsari iterum assentatur. Ceterum maxima laus est, minima etiam cum maximis procurare.

[x] *Igitur*] Non poterunt ad suum usum satis hanc periodum excutere Politici.

[y] *Corrupta*] Supple, *uti quidem nunc est:* neque vero intendit Sallustius, Populus ut in eo permaneat.

lo[z] publico detineatur: juventus[a] probitati, et industriæ, non sumtibus, neque divitiis, studeat. Id ita eveniet, si pecuniæ, quæ maxima omnium pernicies est, usum[b] atque decus[c] demseris. Nam sæpe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clari[d] viri magnitudinem invenissent; quæ res populos nationesve magnis auctoribus[e] auxissent; ac deinde quibus causis amplissima regna, et imperia, corruissent: eadem semper bona, atque mala reperiebam, omnesque victores divitias contemsisse, et victos[f] cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese, et divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecuniæ et corporis gaudiis, animo indulgens, non assentando, neque concupita præbendo, perversam[g] gratiam gratificans; sed in labore, patientia, bonisque præceptis, et factis fortibus exercitando.

Nam domum, aut villam extruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, et omnia potius, quam semet, visendum efficere; id est[h] non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est; ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, ne-

NOTÆ

[z] *Ab malo*] Homines vero pravo otio perditi, lues sunt et pestis Reipublicæ.

[a] *Juventus*] Optime Auctor, qui rerum caput attingit. Atque equidem haud istud dico per impudentiam, quasi in viro summe politico aliquid ausim alibi reprehendere; verum quia quantum in juventutem peccetur, pœnitet.

[b] *Usum*] Non in totum, sed illum quem ante habuit.

[c] *Decus*] Cum, non homines modo, sed omne quod est, esse porro, et bene esse per naturam quærat, pronum est ut id illi ante omnia suum faciant, per quod reliqua comparantur. Ex quo perspicuum est, quam pessime et flagitiose Reipublicæ consulant, qui Virtutem, Honores, omnia denique argento subjiciunt.

[d] *Clari*] In omnibus libris *clari* legi Auctor est Carrio: non *clarissimi*.

[e] *Auctoribus*] In quibusdam scriptum est *auctionibus*, pro quo Ciacconius reponit *auctibus*, phrasi Livio et Tacito usitata.

[f] *Victos*] Scilicet in iis progressus facimus, quibus incumbimus: neque fieri potest ut, qui maximo cum labore accumulandis divitiis studuit, sine eo virtutem nactus fuerit.

[g] *Perversam*] Id est, Quæ plus doloris et mali afferat, quam voluptatis.

[h] *Id est*] Utinam istud aliquando illi animo reputarent, qui se, per divitiarum abusum, non modo illustres fieri arbitrantur; sed, spretis insuper quibus gloriari velle videntur titulis, et Christi nomine, ejus membra, sanguinemque, pro libitu, pedibus proculcant.

quaquam eo postea hebeti atque claudo, pro exercito uti volunt. Nam imprudentia pleraque et se præcipitant. Verum hæc et omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum est, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores sint: id quod factu haud obscurum est. Nam iidem omnia vastant, suas deserendo domos, et per injuriam alienas occupando. Item ne, ut adhuc, militia injusta aut inæqualis sit: cum alii triginta, pars nullum stipendium faciet: et frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit, per municipia et colonias illis dare conveniet, cum stipendiis emeritis[i] domos reverterint. Quæ reipublicæ necessaria, tibique gloriosa ratus sum, quam paucissimis absolvi. Non pejus videtur, pauca nunc de facto meo disserere. Plerique mortales ad judicandum satis ingenii habent, aut simulant: verum enim ad reprehendenda[j] aliena facta, aut dicta, ardet omnibus animus; vix satis apertum os, aut lingua promta videtur, quæ meditata pectore evolvat: quibus me subjectum haud pœnitet, magis reticuisse[k] pigeret. Nam sive hac, seu meliore alia via perges; a me quidem pro virili parte dictum et adjutum fuerit. Reliquum est optare, uti, quæ tibi placuerint, ea Dii immortales approbent, beneque evenire sinant.

NOTÆ

[i] *Emeritis*] Id est, *postquam legibus destinatum tempus militiæ dedissent.*

[j] *Reprehendenda*] Illos carpit qui suum studium et scripturam reprehendebant.

[k] *Reticuisse*] Id est, *de iis non monuisse Cæsarem quæ optima esse credebat.*

EPISTOLA II.[a]

AD C. CÆSAREM.

Scio ego, quam difficile, atque asperum factu sit, consilium dare regi, aut imperatori; postremo cuiquam mortali, cujus opes in excelso sunt: quippe cum et illis consultorum copiæ[b] adsint; neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens sit. Quin etiam sæpe prava magis, quam bona consilia prospere eveniunt: quia[c] plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adolescentulo rempublicam capessere: atque in ea cognoscenda multam, magnamque curam habui: non ita, uti magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant: sed etiam, uti rempublicam domi militiæque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitam haberem.[α] Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit, famam modestiamque[d] meam post tuam dignitatem habere, et cujus rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ acciderit. Idque non temere, aut ex fortuna tua decrevi; sed quia in te, præ-

[α] *Sed etiam uti haberem Rempublicam* cognitam, *et cognitum haberem quantum* Respublica *posset domi et militiæ, armis, viris, opulentia.*

NOTÆ

[a] *II*] Nemini, qui utramque orationem, seu epistolam legerit, dubium esse potest, quin hæc prior sit.

[b] *Copiæ*] Maximam facit consulendi difficultatem consultorum numerus, dum ignarissimi loquacitate, aut pravo studio, bonorum consulta depravatum eunt.

[c] *Quia*] Hinc fit ut imperiti perversa sua consilia veris anteponant, bonosque agitent.

[d] *Modestiamque*] Iniqua plerumque hominum judicia et perversam voluntatem experiuntur qui aliis consulere satagunt: adeoque viam sibi munit Sallustius, ne per imprudentiam aut impudentiam Cæsari consilium dedisse videatur.

ter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi majorem in adversis, quam in secundis rebus animum esse. Sed per ceteros mortales[e] illa res clarior est, quod et prius defessi sint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quæ gloria digna essent.

Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promtu sit. Neque ego, quæ visa sunt, de rep. tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius æquo[f] probaretur: sed inter labores militiæ, interque prælia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id[g] modo in pectore consilii est, uti te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra adversum consulem[h] beneficia populi retineas: indigna virtute tua cogites. Sin in te ille animus est, qui jam a principio nobilitatis factionem disturbavit, plebem Rom. ex gravi servitute in libertatem restituit, in prætura inimicorum arma inermis disjecit; domi militiæque tanta et tam præclara facinora fecit, uti ne inimici quidem fari quicquam audeant, nisi de magnitudine tua: quin accipe tu ea, quæ dicam de summa[i] republica. Quæ profecto aut tu vera invenies, aut certe haud procul a vero.

Sed quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod sibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus jaceret: quibus ille rebus remp. conturbavit, eisdem tibi restituendum[k] est. Primum omnium summam[l] potestatem moderandi de vectigalibus, sumtibus,

NOTÆ

e *Per ceteros mortales*] Alii habent *per Deos immortales.*

f *Amplius æquo*] Qui alteri consilium dat, superior esse videtur. Illud excusat Sallustius.

g *Si id*] Tacite innuit injurias vindicandas, et supremam potestatem invadendam.

h *Adversum consulem*] Marcellum intelligo, cum Æmilium, alterum Consulem pecunia Cæsar suum fecisset: his enim, non, ut quidam existimavit, Marcello et Lentulo Consulibus, scriptam fuisse hanc epistolam crediderim.

i *De summa*] Omnes libros *de summa Republica*, quomodo fere prisci locuti sunt, scriptum habere, testatur Carrio.

k *Restituendum*] In omnibus libris *restituendum* legi testatur Carrio; phrasi antiqua.

l *Summam*] Si vera loquitur Sallustius, hinc, ideo tantum Tribunitiam potestatem restituisse Pompei-

judiciis, senatoribus paucis tradidit; plebem Romanam, cujus antea summa potestas erat, nosque[m] his quidem legibus in servitute reliquit. Judicia tametsi, sicut antea,[n] tribus ordinibus tradita sunt; tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quæ lubet: innocentes circumveniunt; suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum, aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant: quod commodum est, trahunt, rapiunt: postremo tanquam urbe capta,[o] lubidine ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam, more suo, per servitium[p] exercerent. Sed homines inertissimi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte, atque alterius[q] secordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam, quæ seditio ac dissensio civilis tot unquam illustres familias ab stirpe evertit? aut quorum unquam victoria animus tam præceps tamque immoderatus fuit?

L. Sylla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio[r] hostium partes suas muniri intelligebat: tamen, paucis interfectis,[s] ceteros beneficio, quam metu, retinere

NOTÆ

um intelligimus, quod eum antea fecisse vidimus, ut auram popularem captaret, volentibusque servitium imponeret.

[m] *Nosque*] Ordinem equestrem intellige.

[n] *Sicut antea*] Lege Plautia Plebi communicata judicia, ordini Senatorio a Sylla translata fuerant. Lege vero Aurelia, quam tulit L. Aurelius Cotta Prætor, inter Senatores, Equites, et Tribunos ærarios, judicia eadem, ex Pompeii voluntate divisa sunt.

[o] *Urbe capta*] *Ab hostibus*, scilicet, qui omnia pro libidine agunt.

[p] *Per servitium*] Id est, *cum civibus, veluti cum servis agendo.*

[q] *Alterius*] Id est, *aliorum:* neque hic quenquam singulatim designat.

[r] *Supplicio*] Carrio veteribus libris, ut ille ait, manuductus, pro *Sulpitio, supplicio* reposuit; idque auream correctionem vocat, quam quidem cuivis, qui sensum communem habeat, probatum iri non dubitat. Me vero minime puduerit cum paucis, quibus sensus bonus fuerit, a communi recedere; eo præsertim inductus, quod nisi, Sulpitii mentione, sententiam suam Sallustius, tanquam metis quibusdam coarctaverit, falsissima ejus oratio fuerit. Ceterum, ad plenam hujus loci intelligentiam omnino videndus est Paterculus. Histor. lib. II.

[s] *Tamen, paucis interfectis*] Assumit Auctor quod commodum, et pro tempore verum fuit, antequam Sylla in Asiam adversus Mithridatem proficisceretur. Illi vero in laudem vertit quod tunc temporis, coactus fecit: alioqui post ultimam et firmam victoriam, non alius unquam in cives

maluit. At hercule nunc cum Catone,[t] L. Domitio, ceterisque ejusdem factionis, quadraginta senatores, multi præterea cum spe bona adolescentes, sicuti hostiæ, mactati sunt; cum interea importunissima genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequivere; non orbi liberi, non parentes exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum immanem eorum animum inflexit: quin, acerbius in dies malefaciendo, ac dicendo, dignitate alios, alios civitate eversum irent. Nam, quid ego de te dicam, cujus[u] contumeliam homines ignavissimi vita sua commutare volunt? scilicet neque illis tantæ voluptati est (tametsi[v] insperantibus accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te populi R. imperium maximum ex magno fieri.[b] Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciendum est, quonam modo rem stabilias communiasque. Mihi quidem quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera atque utilia factu putes.

In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut a majoribus accepi, in patres et plebem. Antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaque sæpius in civitate secessio[w] fuit: semperque nobilitatis opes diminutæ sunt, et jus populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat; quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis, aut superbia, sed bona fama, factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humillimus quisque in armis,[x] aut militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi, satisque patriæ

[b] *Qui magis optant libertatem suam in discrimen adducere, ex calamitate tua, quam Romanum Imperium, ex magno, per te fieri maximum.*

NOTÆ

Sylla crudelior fuit.

[t] *Cum Catone*] Intellige Senatores a Catone, Domitio, aliisque ex factione Cæsari adversa, interfectos fuisse; dummodo ne quid ex ira et dolore, Senatu motus Sallustius admisceat. Nota vero phrasim, qua facile, nec aliter quam in re notissima utaris.

[u] *Cujus*] Id est, *Qui neque vitam perdere dubitant, modo tibi aliquam faciant contumeliam.*

[v] *Tametsi*] Major est autem ea voluptas quæ insperanti accidit.

[w] *Secessio*] De iis jam sæpius vidimus.

[x] *Armis*] Ingeniose, ad vitandam tautologiam, Sallustio indignam, Douza pro *armis*, unius litteræ levi muta-

erat. Sed ubi eos paulatim expulsos agris, inertia atque inopia incertas domos habere subegit: cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum republica venalem habere. Ita paulatim populus, qui dominus erat, et cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est: et pro communi imperio, privatim sibi quisque servitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes, vitasque varias dispalata,[y] nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rempubl. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet, fore, ut omnes expergiscantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his servitutis amittendæ cura orietur. Hos, ego censeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis constituas: ita et res militaris opulentior erit, et plebes bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet.

Sed non inscius, neque imprudens sum cum ea res agetur, quæ sævitia, quæque tempestates hominum nobilium futuræ sint, cum indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem[z] imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo: malum facinus in se committere, qui incommodo reip. gratiam sibi conciliet; ubi bonum[a] publicum etiam privatim usui est: id vero dubitare aggredi, secordiæ atque ignaviæ duco. M. Livio Druso[b] semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent. Sed homines factiosi,[c] quibus dolus, atque malitia, fide cariora erant, ubi intellexerunt, per unum hominem maxi-

NOTÆ

tione *arvis* reposuit,

[y] *Dispalata*] Id est, *dispersa;* cum aliud alii genus vitæ sequerentur.

[z] *Hanc servitutem*] Id est, *hæc omnia in civitatem induci, ut veteribus civibus servitium imponeretur.*

[a] *Ubi bonum*] Directe dixisset, *Ubi bonum privatum etiam publice usui est;* verum honestius expressit, cum primo publici boni rationem habuit.

[b] *Druso*] Politicum virum de isto Velleium adivisse nequaquam pigebit.

[c] *Factiosi*] De nobilibus loquitur, itemque Senatu, qui Drusum Senatui ipsi faventem per invidiam oppresserunt.

mum[d] beneficium multis mortalibus dari: videlicet et sibi quisque conscius, malo atque infido animo esse, de M. Livio Druso juxta, ac de se, existimaverunt.[c] Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum[e] nisi, sua et ipsius[f] consilia disturbaverunt. Quo tibi, Imperator, majore cura fideque amici, et multa præsidia paranda sunt.

Hostem adversum opprimere, strenuo homini haud difficile est: occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promtu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris; quoniam quidem revocata plebes erit, in ea re maxime animum exercitato, uti colantur boni mores; concordia inter veteres et novos coalescat. Sed multo maximum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, postremo humanæ genti pepereris, si studium pecuniæ aut sustuleris, aut, quod res feret, minueris. Aliter, neque privata res, neque publica, neque domi, neque militiæ, regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit; neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet: quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit. Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civitates, et nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant: id adeo haud mirandum est. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum, magisque acceptum videt, primo æstuat, multaque in pectore volvit: sed ubi gloria[g] honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatem a vero deficit. Quippe gloria[h] industria alitur; ubi[i] eam demseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremo ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides,

[c] *Et scilicet quisque conscius sibi se esse animo malo atque infido, existimaverunt de Druso juxta ac de se.*

NOTÆ

[d] *Maximum*] Civitatem, scilicet.

[e] *Contra eum*] Adeoque Reipublicæ qui benefacit, illud quoque dissimulare debet, ne ipsius beneficii invidia, etiam ab iis quibus benefacit, opprimatur.

[f] *Sua et ipsius*] Alii, *Sua ipsius;* Gronovius mallet *Sua ipsorum.* Ceterum locus Politicorum, si alius uspiam, meditatione dignus.

[g] *Gloria*] Inanis illa, scilicet, cujus fundamentum non est virtus.

[h] *Gloria*] Hic vero gloriam veram, aut quamlibet intellige.

[i] *Ubi*] Jam diu usque adeo istud comprobatum est, ut omnium sæcu-

probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una[k] et ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur:[d] et malis et bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite,[l] neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus judicaverit; si neque prætor, neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de[m] magistratu facile populi judicium fit. Judices a paucis probari, regnum est; ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnes primæ classis[n] judicare[o] placet, sed numero[p] plures, quam judicant. Neque Rhodios,[q] neque alias civitates unquam suorum judiciorum pœnituit: ubi promiscue dives, et pauper, ut cuique[r] sors tulit, de maximis rebus juxta, ac de minimis disceptat.

Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat; ut ex confusis quinque classibus sorti centuriæ[s] vocarentur.

[d] Quisque *nititur ad pecuniam* via *qua cuique lubet.*

NOTÆ

lorum, et totius orbis oraculum videatur; interim, eo spreto, hodieque propemodum omnes pereunt.

[k] *Una*] Et istud consideratione dignum; simplex est siquidem et simplicissima virtus, atque in angustum ita coarctata, ut neque in hanc, neque in illam partem deflectere queat.

[l] *Neque de capite*] Id est, *nullus dignitatem vel existimationem auxerit vel minuerit, quod divitiis auctus vel destitutus fuerit.*

[m] *Sed de*] Id est, *populus cognoscat quinam ad judicandum idonei fuerint.*

[n] *Classis*] Classis pars est civium, ex censu in ordinem relata. In quinque vero classes, cum capite censorum centuria, universum populum Romanum Servius Tullius distribuit; quarum classium prima, ut opulentissima, ita et potentissima erat.

[o] *Judicare*] Id est, *Dignos reputari quibus judicandi munus conferatur.*

[p] *Numero*] Id est, plures ex prima classe constituendos, qui reipsa Populo jus dicerent.

[q] *Rhodios*] Rhodus nobilis est insula maris Mediterranei, inter Cyprum et Cretam.

[r] *Ut cuique*] *Cuique* facilius toleraret Gronovius, si sequeretur *cecidit*, non *tulit*: itaque illi potius placet, *utcumque fors tulit.* Nihil tamen necesse habeo mutare.

[s] *Centuriæ*] Non modo in classes Populum Romanum Servius divisit, sed et classes in centurias. Ut vero divitibus maximam faceret potestatem, primæ classi dedit prærogativam; ut prima suffragium ferret: ex quo plerumque eveniebat, cum ea reliquis omnibus præpolleret, ut raro ab aliis classibus suffragium peteretur. Gracchus, ut plebi primum et antiquum suum jus restitueret, volebat ut sorte centuriæ ad suffragia vocarentur. Verum de his omnibus omnino adire

Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit. Nec ego magna remedia contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, ut earum rerum usus est: malitia præmiis exercetur. Ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est.[e] Ceterum avaritia, bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos, vastat: divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat. Verum, si pecuniæ decus ademeris, magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere, tametsi omnes æqui atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est; cujus si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt.[f] Nam hi, si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi, essent. Quia desidia, et inertia, et stupor eos, atque torpedo, invasit; strepunt, obtrectant, alienam famam bonam suum dedecus æstimant.

Sed, quid ego plura, quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo,[h] atque animi vis, in consulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui consulatus, maximum imperium, maximo dedecori fuit? An L. Domitii[i] magna vis est, cujus nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeste nominari nequeant, inhonestissima. Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc disciplina Græcorum.[j] Sed virtus, vigilantia, labos, apud Græcos nulla sunt. Quippe, cum domi libertatem suam per inertiam amiserint;

[e] *Nemo omnium est malus pro nihilo.*
[f] *Alia omnia erunt facilia.*

NOTÆ

opus est eos, qui ea ex professo tractaverunt.

[h] *Fortitudo*] Ironia est.

[i] *Domitii*] Ænobarbi nomine, qui Consul ante aliquot annos fuerat.

[j] *Græcorum*] Certe non ita de Sallustio merita erat Græcia.

censesne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles: in quibus, sicut in statua, præter nomen, nihil est additamenti. L. Postumius, et M. Favonius, mihi videntur quasi magnæ navis supervacua onera esse, ubi salvi pervenere, usui sunt;[k] si quid adversi coortum est, de illis potissimum jactura fit,[l] quia pretii minimi sunt.

Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda corrigendaque disserui: de senatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in literis agitavi, quod natura firmius erat, id in laboribus habui. Atque ego in ea vita, multa legendo atque audiendo, ita comperii, omnia regna, item civitates, nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere; post paulo imminutæ opes, deinde ademtum imperium, postremo servitus imposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo: cuicumque in sua civitate amplior illustriorque locus, quam aliis est, ei magnam curam esse reip. Nam ceteris, salva urbe, tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem, pepererunt, ubi paulum inclinata resp. agitari cœpit, multipliciter animus curis, atque laboribus fatigatur, aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem, defensat: omnibus locis adest, festinat: quanto in secundis rebus florentior fuit, tanta in adversis asperius magisque anxie agitat. Igitur ubi plebes senatui, sicuti corpus animo, obedit, ejusque consulta exequitur: patres consilio valere decet, populo supervacanea est calliditas. Itaque majores nostri, cum bellis asperrimis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare. Non inopia ærarii, non vis hos-

NOTÆ

[k] *Usui sunt*] Vulgo *visi sunt:* sed vetus editio, ut testatur Carrio, habet, *usi sunt*, pro quo de Vaticano corrigit *usui sunt:* Lipsius ingeniosa sane conjectura reponit *viri sunt*.

[l] *Jactura fit*] Id est, *in profundum abjiciuntur*.

tium, non adversa res, ingentem eorum animum subegit, quin, quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis, quam bonis præliis, patrata sunt. Quippe apud illos una[m] resp. erat, ei consulebant; factio contra hostes parabatur: corpus atque ingenium, patriæ, non suæ quisque potentiæ, exercitabat. At hoc tempore contra ea homines nobiles, quorum animos secordia atque ignavia invasit, ignari laboris, hostium, militiæ, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur.

Itaque patres, quorum consilio antea dubia resp. stabiliebatur, oppressi, ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia, decernunt, ut eorum, qui dominantur, simultas, ac arrogantia fert: ita bonum malumque publicum existimant. Quod si aut libertas æqua omnium, aut sententia obscurior[n] esset; majoribus opibus resp. et minus potens nobilitas esset. Sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est; quippe cum illis[o] majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas; cetera multitudo, pleraque insititia sit, sententias eorum a metu libera: ita occulte sibi quisque alterius potentia carior[p] erit. Libertas juxta bonis et malis, strenuis et ignavis, optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt, stultissimi mortales. Quod[q] in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si nu-

NOTÆ

[m] *Una*] Id est, *quæ in factiones non erat divisa*. Salus est profecto omnium membrorum societas et communicatio; pestis discordia et abalienatio.

[n] *Obscurior*] Obscurior est ipse Sallustius, dum minus obscuram queritur aliorum sententiam. Badius intelligit de obsequio, quo omnes fere erga paucos tenebantur, quodque illis minus cognitum fuisse Auctor desiderasset. Ego vero hic agi crediderim de suffragiis, quæ per tabellas, de quibus etiam postea Sallustius loquitur, ferebantur, ne cujusquam sententia ab ullo cognosci posset.

[o] *Illis*] Nobilibus, scilicet.

[p] *Carior*] Id est, *cum singulis per tabellam, nemine conscio, sententiam suam dicere licuerit, omnes sibi et Reipublicæ magis quam paucorum superbiæ, suffragio suo consulent*.

[q] *Quod*] Servitutem intelligit, quæ, quam in partem cadat, quamdiu pro libertate certatur, nullus scire potest.

mero auctus per tabellam sententiam feret. Tabella[r] obtentui[s] erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine,[t] et præsidii plus, et usus amplior est. Nam fere, his tempestatibus, alii judiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane reip. consiliis[u] affuerunt: neque eos magis occupatio, quam superba[v] imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta[w] factionis habent, quæcumque libuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti lubido tulit, facere. Verum ubi, numero senatorum aucto, per tabellam sententiæ dicentur; næ illi superbiam suam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudelissime imperitabant.

Forsitan, imperator, perlectis litteris, desideres, quem numerum senatorum fieri placeat: quoque modo in multa et varia officia distribuatur; judicia quoniam[x] primæ classis mittenda putem, quæ descriptio,[y] qui numerus in quoque genere futurus sit. Ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit: sed prius laborandum visum est de summa consilii, idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere[z] uti decreveris, cetera in promtu erunt. Volo ego consilium meum prudens, maximeque usui esse. Nam ubicumque tibi res prospere cedet, ibi mihi bona fama eveniet.

NOTÆ

[r] *Tabella*] Non unus fuit semper apud Romanos sententiam suam dicendi modus; ut neque apud alias gentes. Voce primo, deinde, ut major libertas esset, per tabellas, suffragium suum ferebant. Qua de re, vide, in primis, Delectum Latinitatis Moneto Jesuitæ attributum.

[s] *Obtentui*] Badius exponit *ad obtinendum*. Ego ita intelligo, ut tabella quasi velum fuerit et operimentum, sub quo latitantes libere suffragia sua dixerint. *Obtentui*, id est, *ad obtendendum et obtegendum*.

[t] *In multitudine*] Istud vero disquisitione multa opus habet, atque pro multiplici rerum et personarum ratione est limitandum.

[u] *Reipublicæ consiliis*] Quibus, de Reipublicæ bono disceptabatur.

[v] *Superba*] Quod paucorum nollent subservire superbiæ.

[w] *Additamenta*] Ita loquitur de ministris et satellitibus superbiæ paucorum, hoc est de iis, qui cæco obsequio potentioribus, in omnibus suffragabantur.

[x] *Quoniam*] Vulgo *quonam*, id est, *quid de illis faciendum*.

[y] *Descriptio*] Gall. *Quel en sera le département*.

[z] *Itinere*] Id est, *si prout ego admonui, ita facere decreveris*.

Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo, et quamprimum resp. adjuvetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro hortorque, ne clarissimus imperator,[m] Gallica gente subacta, populi R. summum atque invictum imperium tabescere vetustate, ac per summam discordiam dilabi, patiaris. Profecto, si id accidat, neque tibi nox, neque dies curam[a] animi sedaverit; quin insomniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris.[n] Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi:[o] neque bonum neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi: sed, ex natura, diversa præmia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem præbet.

Quod si tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: O Cæsar, nos te genuimus fortissimi viri, in optima urbe, decus[p] præsidiumque nobis, hostibus terrorem! Quæ multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maximam in terris; domum familiamque in patria clarissimam; præterea bonas artes, honestas divitias; postremo omnia honestamenta pacis, et præmia belli. Pro his amplissimis beneficiis non flagitium a te, neque malum facinus, petimus; sed uti libertatem eversam restituas. Qua re patrata, profecto per gentes omnes fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempestate, tametsi domi militiæque præclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est: si vero urbem amplissimo nomine, et maximo imperio,

[m] *Ne cum sis clarissimus Imperator, &c.*
[n] *Quo minus insomniis vexatus, furibundus atque amens, emota mente feraris.*
[o] *Namque pro certo comperi, omnium mortalium vitam divino numine cerni.*
[p] *Nos fortissimi viri genuimus te in urbe optima, ut sis nobis decus, &c.*

NOTÆ

[a] *Curam*] Conscientiæ angores intelligit. Ceterum summa arte scopum suum Sallustius dissimulat. Eo spectat tota oratio, ut summum Imperium Cæsar occupet, sperans se, per eum, illos persecuturum, a quibus Senatu motus fuerat. Plurimas ad hanc rem causas subtexuit; at gloriam potissimum, qua fere sola Julius movebatur. Neque id tantum; cum virtute gloriam ita copulat, ut, nisi obtemperet magnanimus Imperator, non modo Gloriæ, sed Virtuti, sed Patriæ, terga vertisse videatur.

prope jam ab occasu restitueris;[q] quis te clarior, quis major, in terris fuerit? Quippe si morbo jam, aut fato huic imperio secus accidat; cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur? quod si tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi: postero tempore, rep. restituta, super omnes mortales gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, sæpe invidia, fatigat: ubi anima naturæ cessit, demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit. Quæ mihi utilia factu visa sunt, quæque tibi usui fore credidi, quam paucissimis potui, perscripsi. Ceterum Deos immortales obtestor, uti, quocumque modo ages, ea res tibi, reique publicæ prospere eveniat.

[q] *Si vero restitueris prope jam ab interitu, urbem, cui nomen est amplissimum, &c.*

IN

M. TULL. CICERONEM

DECLAMATIO

FALSO SALLUSTIO ASCRIPTA.

GRAVITER et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem judicio magis, quam morbo animi, petulantia ista uti. Sed cum in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi: uti, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male[a] audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem? P. C. diripi remp. atque audacissimo[b] cuique esse perfidiæ?[c] apud populum R. qui ita largitionibus corruptus est, uti sese, ac fortunas suas venales habeat? an apud vos, P. C. quorum auctoritas turpissimo cuique et sceleratissimo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, judicia populi R. defendit,[d] atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi,

NOTÆ

[a] *Male*] De te, scilicet.

[b] *Audacissimo*] Totum istud in unum Ciceronem recidit.

[c] *Perfidiæ*] Badianus codex habet *perfidiæ locum?* Verum optime viderunt alii, hanc ex margine irrepsisse in textum imperiti explicationem. Ceterum sensus satis patet.

[d] *Defendit*] Ut Ciceronem dedecoret, vult collapsam penitus videri Rempublicam, in qua ille dominetur.

Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, ac paulo ante insitus huic urbi civis. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, uti nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset?[e] Scilicet, istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ jactura perdidicisti? Itaque minime mirandum est, quod eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti. Verum, ut opinor, splendor[f] domesticus tibi animos attollit; uxor sacrilega, ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior, atque obsequentior,[g] quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi, et rapinis, funestam tibi ac tuis, comparasti: videlicet uti nos commonefacias, quam conversa sit resp. cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit. Atque hæc cum ita sint; tamen Cicero se dicit[h] in concilio Deorum immortalium fuisse; inde missum huic urbi: civibusque custodem, absque carnificis nomine,[i] qui civitatis incommodum[k] in gloriam suam ponit. Quasi vero non illius conjurationis causa fuerit consulatus tuus; et idcirco resp. disjecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum cum Terentia uxore de rep. consuluisti, cum legis Plautiæ[l] judicia domi faciebatis: ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Tusculanam,[m] alius Pompei-

NOTÆ

[e] *Collibuisset*] Turpitudinem notat masculam.

[f] *Splendor*] Ironia.

[g] *Obsequentior*] Obscœna et flagitiosa honeste (modo et vere) carpit.

[h] *Se dicit*] Perverse istud ex Ciceronis orationibus extortum.

[i] *Absque carnificis nomine*] Ideo dicit, quod Cicerone invigilante, Lentulus aliique Catilinæ populares in carcere necati fuerint.

[k] *Incommodum*] Verum est, ob imminentem Reipublicæ a Catilina calamitatem, Consulatum M. Tullio mandatum fuisse, eumque ex eo gloriam maximam nactum esse. At quam subtiliter, tam et perverse crimen parricidarum cum Ciceronis laude quisquis hic est declamator confundit.

[l] *Plautiæ*] Hæc a Plautio Tribuno plebis, adjuvante Catulo, lata est, ut de eorum capite quereretur qui adversus Rempublicam conjuravissent, &c.

[m] *Tusculanam*] Tusculum oppidum fuit Latii, non longe a Roma, ad ortum, ubi Cicero villam illo nomine habuit.

anam[n] villam ædificabat, alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proximus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat.[o] Quæ si tibi falsa objicio; redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumtu ædificaveris? Aut, si retices; cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium paraveris? Verum, ut opinor, homo novus Arpinas,[p] ex C. Marii[q] familia, ejus virtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium: remp. caram habet, neque terrore, neque gratia commovetur: illud vero amicitiæ tantum, ac virtutis est animi.[r] Immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissimus senator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat: lingua vana, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces; quæ honeste nominari non possunt, inhonestissima.[s] Atque is, cum ejusmodi sit, tamen audet dicere: *O fortunatam natam me consule Romam!*[t] Te consule fortunatam, Cicero? immo vero infelicem, et miseram, quæ crudelissimam proscriptionem[u] civium perpessa est; cum tu, perturbata rep. metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas; cum omnia judicia, omnes leges, in tua lubidine erant, cum tu, sublata lege Porcia,[v] erepta libertate, omnium nostrum vitæ necisque potes-

NOTÆ

n *Pompeianam*] Duodecimo plus minus, a Neapoli, milliario.

o *Compertum erat*] Id est, *Certo sciebas eum conjurasse; deinde et ipsum eundem morti addicebas.*

p *Arpinas*] Irrisio est.

q *Ex C. Marii*] Id ideo dicit, quod et Marius, cujus virtus maxime enituerat, Arpino oriundus esset.

r *Est animi*] Id est, *an eas tantum habet virtutes Cicero?*

s *Inhonestissima*] Jam supra eadem exprobravit.

t *O fortunatam*] Versus scripsit Cicero de suo Consulatu, quorum hic unus est, quem Juvenalis, non obscure tanquam ridendum, reprehendit.

u *Proscriptionem*] Dicit non juste multatos fuisse qui cum Catilina conjuraverant. Non ita arbitrati sunt boni cives: interim ob servatam tunc temporis Rempublicam, a Clodio et aliis seditiosis ad exilium Cicero compulsus est.

v *Porcia*] De ea vide supra, p. 108.

tatem ad te unum revocaveras.[w] Atque parum est, quod impune fecisti: verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivisci[x] servitutis suæ. Egeris,[y] oro te, Cicero, perfeceris, quod libet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostros odio[z] tuo onerabis? etiamne molestissimis verbis insectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*[a] Quasi vero togatus, et non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris, atque inter te, Syllamque dictatorem, præter nomen imperii, quicquam interfuerit. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva[a] omnes artes edocuit, Jupiter optimus maximus in concilio Deorum admisit, Italia exulem humeris suis reportavit. Oro te, Romule[b] Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos,[c] Fabios, Scipiones, superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes[d] reip. placent? quem amicum,[e] quem inimicum habes? cui[f] in civitate fecisti insidias, ancil-

[a] *Corona ex lauro tradatur linguæ et eloquentiæ.*

NOTÆ

[w] *Revocaveras*] Per Senatus decretum, *Viderent Consules ne quid Respublica detrimenti caperet:* nam ipse urbis præsidio relictus fuit; Antonius Collega conjuratos persecutus est.

[x] *Oblivisci*] Hoc ideo dicit, quod Cicero diligentiæ suæ in liberanda Republica sæpius mentionem faceret.

[y] *Egeris*] Quasi dicat, *Esto, quando ita placitum superis, Rempublicam disjeceris; ne insuper calamitatem nobis toties objicias.*

[z] *Odio*] Hic vim habet peculiarem; significat enim odium, importunitatem ex re maxime odiosa.

[a] *Minerva*] Alio nomine Pallas dicta est, Dea Belli et Sapientiæ. Ciceronem vero irridet Auctor, quasi se a Minerva edoctum jactitasset.

[b] *Romule*] Per amaram irrisionem.

[c] *Paulos*] Illustrissimos viros recenset, ut Ciceronem irrideat. Notiores vero sunt omnes, quam ut quicquam de iis dicatur.

[d] *Partes*] Vult auctor Ciceronem maximum videri tenebrionem, et, ut postea dicit, levissimum transfugam, qui modo cum his, modo faciat cum illis; hodie cum uno, cras cum altero conjunctus sit.

[e] *Quem amicum*] Hunc locum non intelligere se, ingenue fatetur Glareanus, vir alioqui doctissimus; quod quidem mirarer, nisi quotidie ad res apertissimas caligare oculos sentiremus. Sensus vero est, Ciceronem eo modo cum omnibus vixisse, ut quinam amici, quinam inimici essent nullus posset cognoscere: non enim placet Thysii expositio.

[f] *Cui*] Videtur aliquem ante alios indicare, cui Cicero ancillarum more serviverit; eumque, cum Cæsar tunc temporis Roma abesset, crediderim fuisse Pompeium; neque enim ejus semper et Ciceronis una et eadem fuit voluntas.

laris: (Quo jure, cum de exilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequebaris?) quos tyrannos appellabas, eorum potentiæ faves: qui tibi ante optimates videbantur, eosdem dementes ac furiosos vocas. Vatinii[g] causam agis: de Sextio[h] male existimas: Bibulum[i] petulantissimis verbis lædis: laudas Cæsarem: quem maxime odisti, ei maxime obsequeris: aliud stans,[k] aliud sedens, de rep. sentis: his maledicis, illos odisti:[l] levissime transfuga! neque in hac, neque in illa parte fidem habes.

NOTÆ

[g] *Vatinii*] Tribunus fuit plebis, Senatui maxime exosus, in quem Cicero orationem habuit.

[h] *De Sextio*] Pro isto eam quam modo diximus Cicero habuit orationem.

[i] *Bibulum*] Hic cum Cæsare Consul fuit, eique frustra restitit, cum legem agrariam rogaret: tum vero inter Ciceronem et Cæsarem non conveniebat.

[k] *Aliud stans*] Id est, *aliud dicis, aliud sentis;* stantes enim sententiam suam dicebant in Senatu.

[l] *Illos odisti*] Id est, *eos quibus assentaris, odisti.*

IN SALLUSTIUM

DECLAMATIO

QUÆ

CICERONI FALSO TRIBUITUR.

Ea demum magna voluptas est, Crispe Sallusti, æqualem ac parem verbis vitam agere, neque quicquam tam obscenum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat, ut omnis oratio moribus consonet. Neque enim, qui ita vivit, uti tu, aliter, ac tu, loqui potest: neque, qui tam illoto sermone utitur, vita honestior est. Quo me vertam, P. C.? unde initium sumam? majus enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum. Quod si aut de mea vita, atque actibus, huic conviciatori respondero, invidia gloriam consequetur: aut, si hujus facta, mores, omnem ætatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic objicio. Id vos, si forte offendimini, justius huic, quam mihi, succensere debetis, qui initium introduxit.[a] Ego dabo operam, ut et pro me minimo cum

NOTÆ

[a] *Initium introduxit*] Queritur uterque, et Sallustius et Cicero, quod, sibi ab altero injuria oblata, prior lacessitus fuerit: quod quidem, præter alia, me maxime movet ut credam, declamationes istas a quibusdam Declamatoribus scriptas tantum, non recitatas fuisse. Sed ea de re, quibus tantum erit otii, docti judicabunt.

fastidio respondeam, et in hunc minime mentitus esse videar. Scio me, P. C. in respondendo non habere magnam expectationem, quod nullum vos sciatis novum crimen in Sallustium audituros, sed omnia vetera recognituros, quis et meæ, et vestræ jam, et ipsius aures calent. Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare minimis rebus posuit rudimentum; sed ita ingressus est, uti neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire.[b] Itaque nihil aliud studet, nisi, uti lutulentus sus, cum quovis volutari. Longe vero fallitur opinione. Non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur: sed est quædam calumnia,[c] quam unusquisque nostrum testante animo suo fert, de eo, qui falsum crimen bonis objectat. Quod si vita istius memoriam[d] vicerit: illam P. C. non ex oratione, sed ex moribus suis spectare debetis. Jam dabo operam, quam maxime potero, brevi ut faciam. Neque hæc altercatio nostra vobis inutilis erit, P. C. Plerumque enim resp. privatis crescit inimicitiis; ubi nemo civis, qualis sit vir, potest latere.

Primum igitur quoniam omnium majores Crispus Sallustius ad unum exemplum et regulam[e] quærit, velim mihi respondeat, numquid, quos protulit Scipiones et Metellos,[f] vel Fabios, ante fuerint[g] aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res gestæ suæ, et vita innocentissime acta commendavit? quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non æque de nobis existimetur? cujus et res gestæ illustres sunt,

NOTÆ

[b] *Præterire*] Malefaciendo, scilicet.

[c] *Calumnia*] *Reproche.*

[d] *Memoriam*] Id est, *Si obliti fueritis qualis fuerit vita istius, et quomodo antea vixerit.*

[e] *Ad unum exemplum et regulam*] Vulgo *regnum* pro *regulam*. Diu certe hic hæsi, ut, quid sibi vellet Auctor, divinarem. Tandem arbitratus sum, ad ista Sallustii verba, 'Oro te Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones, superasti,' &c. Ciceronem respexisse, eumque significare voluisse, Prave et inepte ab adversario factum, quod sibi Ciceroni Romuli nomen imposuerit, quasi, ut clarus fieret, necesse habuerit vel majores claros ostendere, vel Romulum esse.

[f] *Metellos*] Forte istius, potius quam Pauli aut Fabii mentionem facit, quia præcipue per ipsius Sallustii historiam clarissimus evasit.

[g] *Ante fuerint*] Id est, *ante, hominum existimationem, aut gloriam consecuti fuerint.*

et vita integerrime acta. Quasi vero tu sis ab illis viris, Sallusti, ortus. Quod si esses; nonnullos jam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis majoribus virtute mea præluxi; uti, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; ut etiam, si fuerint egregii cives, certe venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objectare. Satius est enim, me meis rebus gestis florere, quam majorum opinione niti, et ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, et virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, P. C. qui jam decesserunt, omnique odio carent, et invidia; sed cum iis, qui mecum una in republica versati sunt. Sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus; (non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cujus primos ordines Sallustius duxit) aut in gerendis magistratibus, aut in vindicandis maleficiis tam severus; aut in tuenda republica tam vigilans; quam[h] tu proscriptionem vocas: credo, quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent. At quanto meliore loco respublica staret, si tu par ac similis scelestorum civium, una cum illis annumeratus esses! An ego tunc falso scripsi, *Cedant arma togæ*, qui togatus armatos, et pace bellum oppressi? An illud mentitus sum, *Fortunatam natam me consule Romam*; qui tantum intestinum bellum, et domesticum urbis incendium extinxi?

Neque te tui piget, homo levissime, cum ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis? An turpius est, P. C. scribentem mentiri, quam illum palam hoc ordine dicentem? Nam, quod in ætatem[i] increpuisti, tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum tu a pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi ausus sis eloquentiam uti vitium objicere,

NOTÆ

[h] *Quam*] Pro *quod: Quod; Tueri*, scilicet, *Rempublicam, tu, Crispe Sallusti, vocas proscriptionem.* Relativum *quam* cum *proscriptionem* construxit.

[i] *Ætatem*] Id est, *adolescentiam.*

cujus semper nocens eguisti patrocinio? An ullum existimas posse fieri civem egregium, qui non his artibus et disciplinis sit eruditus? An ulla alia putas esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minime mirum est, P. C. si homo, qui desidiæ ac luxuriæ plenus sit, hæc ut nova atque inusitata miratur. Nam quod ista inusitata rabie petulanter in uxorem, et in filiam meam invasisti, quæ[k] facilius se mulieres a viris abstinuerunt, quam tu vir a viris; satis docte ac perite fecisti. Non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuas compellarem. Unus enim satis es materiæ habens: neque quicquam turpius est domi tuæ, quam tu. Multum te vero opinio fallit, qui mihi putasti parare invidiam ex mea re familiari: quæ multo mihi minor est, quam habere dignus sum. Atque utinam ne tanta quidem esset quanta est; uti potius amici mei viverent, quam ego testamentis eorum locupletior essem! Ego fugax, Crispe Sallusti? Furori tribuni pl. cessi: utilius duxi, quamvis[l] fortunam unus experiri, quam universo populo R. civilis essem dissensionis causa: qui, posteaquam ille[m] suum annum in rep. perbacchatus est, omniaque quæ commoverat, pace et otio resederunt; hoc ordine revocante, atque ipsa Rep. manu retrahente me, reverti. Qui mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet,[n] cum universi vos, populusque R. frequens adventu meo gratulatus est. Tanti me fugacem, mercenarium[o] patronum hi æstimaverunt.

Neque hercule mirum est, si[p] ego semper justas omnium amicitias existimavi. Non enim uni privatim ancillatus sum, neque me addixi: sed quantum quisque reip. studuit, tantum mihi fuit aut amicus aut inimicus. Ego nihil plus

NOTÆ

k *Quæ*] *Tum uxor, tum filia mea.*

l *Quamvis*] *Vel iniquissimam.*

m *Ille*] Tribunus scilicet, Clodius.

n *Superet*] Id est, *Præstantior et jucundior videatur.* Sed vide, mihi, quæso, quomodo, non tantum objecta diluat, sed in gloriam vertat.

o *Mercenarium*] Istud objectaverat Sallustius; seu quisquis fuit ejus loco declamator.

p *Si*] Pro *Quandoquidem.*

volui valere, quam pacem; multi privatorum audacias nutriverunt. Ego nihil timui, nisi leges: multi arma sua timeri voluerunt. Ego nunquam volui quicquam posse, nisi pro vobis: multi ex vobis potentia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaque non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo reip. amicus fuit: neque me pœnitet, si aut petenti Vatinio[q] reo patrocinium pollicitus sum, aut Sexti insolentiam repressi, aut Bibuli[r] patientiam culpavi, aut virtutibus Cæsaris favi. Hæ enim laudes[s] egregii civis, et unicæ sunt. Quæ si tu mihi uti vitia objicis, temeritas[t] tua reprehenditur, non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset disserendum, P. C. non apud vos, quos habui omnium actionum mearum monitores. Sed, ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis?

Nunc ad te uti revertar, Sallusti, patremque tuum prætercam: qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen majorem injuriam reip. facere non potuit, quam quod te talem filium genuit. Neque, tu si qua in pueritia peccasti, exequar, ne parentem tuum videar accusare, qui eo tempore summam tui potestatem habuit, sed qualem adolescentiam egeris. Hac enim demonstrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia, quam impudicus et procax, adoleveris. Posteaquam immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit, et ætas tua jam ad ea patienda,[v] quæ alteri facere collibuisset, exoleverat: cupiditatibus infinitis

NOTÆ

[q] *Vatinio*] Respondet ad id quod Sallustius dixerat, Ciceronem Vatinii causam agere, postquam orationem contra ipsum habuisset.

[r] *Bibuli pat.*] Tanta fuit, referente Suetonio, ut nonnulli, quod ita Cæsari in consulatu cessisset, non *Caio Julio Cæsare, et Bibulo Consulibus*, sed *Caio et Julio*, per jocum scriberent.

[s] *Hæ laudes*] Virtuti, nimirum, et viris probis, quomodocumque favere; inde tantum sibi amicos parare; illos, si priorem sanctitatem et vitæ innocentiam flagitiis maculaverint, relinquere. Uno verbo bene, et quod laudandum sit, fecisse se profitetur Cicero, cum nulli se ita addixit, quin, virtutis et Reipublicæ causa ejusdem adversarium sequeretur.

[t] *Temeritas*] *Cum id tu vituperes quod laudi ducitur.*

[v] *Patienda*] Obscœnissima et flagitiosissima reprehendit.

efferebaris, ut, quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris. Ita non est facile exputare, P. C. utrum inhonestioribus corporis partibus rem quæsierit, an amiserit. Domum paternam vivo patre turpissime venalem habuit, vendidit. Et cui dubium potest esse, quin mori coëgerit eum, quo hic nondum mortuo pro hærede gesserit omnia?[x] Neque pudet a me eum quærere, quis in P. Crassi domo habitet; cum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At Hercule![z] lapsus ætatis tirocinio, postea sese correxit. Non ita est: sed abiit in sodalitium sacrilegi Nigidiani: bis judicis ad subsellia attractus, extrema fortuna stetit: et ita discessit, uti non hic innocens esse, sed judices pejerasse, existimarentur. Primum honorem in quæstura adeptus, hunc locum et hunc ordinem despexit: cujus aditus sibi quoque, sordidissimo homini, patuisset. Itaque timens, ne facinora ejus clam vos essent, cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset, confessus est, vobis audientibus, adulterium; neque erubuit ora vestra.

Vixeris, uti libet, Sallusti; egeris, quæ volueris; satis sit, unum te tuorum scelerum conscium esse; noli nobis languorem, et soporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum: sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus. Audacia tua vincit studia nostra. Ecquod hunc movere possit, P. C. factum ac dictum turpe, quem non puduit palam, vobis audientibus, adulterium confiteri? Quod si nihil pro me tibi respondere voluissem; sed illud censorium elogium[a] Ap. Claudii, et L. Pisonis,[b] integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam universis recitarem:

NOTÆ

[x] *Pro hærede gesserit omnia*] Id est, *rebus hæreditariis omnibus, tanquam dominus, usus sit.*

[z] *At Hercule*] Ironia est.

[a] *Elogium*] Testificatio est Censorum vituperationis causa, cum ab ipsis Senatu motus est Sallustius.

[b] *App. Claudii, et L. Pisonis*] Hi duo, Æmilio Paulo et Claudio Marcello Consulibus, censuram gravem exercuerunt.

nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non possit? Neque post illum delectum[c] senatus te unquam vidimus. Nisi[d] forte in ea te castra conjecisti, quo omnis sentina reip. confluxerat. At idem[e] Sallustius, qui in pace ne senator quidem manserat, postea quam resp. armis oppressa est, et idem victor, qui exules reduxit, in senatum post quæsturam reductus[f] est. Quem honorem ita gessit, ut nihil in eo non[g] venale habuerit, cujus aliquis emtor fuerit. Ita igitur egit, ut nihil non æquum, ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset: neque aliter[h] vexavit, ac debuit, si quis prædæ loco accepisset magistratum. Peracta quæstura, postea quam magna pignora[i] eis dederat, cum quibus similitudine vitæ se conjunxerat, unus jam ex illo grege videbatur. Ejus enim partis exemplar erat Sallustius, quo[k] tanquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum excesserat: quicquid impudicorum, cillonum,[l] parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, sicut in fretis, subsederant, nominis perditi, ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum, et cupiditate rerum novarum.

At postea quam[m] prætor factus est, modeste se gessit et abstinenter. Nonne ita provinciam vastavit, ut nihil neque passi sint, neque expectarint gravius socii nostri in bello, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum[n] transjici, aut in naves contrudi. Tantum, in-

NOTÆ

c *Delectum*] Moris erat, ut Censores Senatum legerent, eoque illos per ignominiam moverent, quorum depravatos mores cognoscebant.

d *Nisi*] Pro *Sed*.

e *Idem*] Cæsarem intelligo.

f *Reductus*] Sallustium intellige.

g *Nihil non*] Fidem, puta, suffragia.

h *Neque aliter*] Ideo tantum Sallustium dicit Quæsturam gessisse, ut ex ea prædam aliquam consequeretur.

i *Pignora*] *Des assurances*. Id est, *factis ostenderat se pessimis similem esse*.

k *Quo*] Id est, *ad quem Sallustium*.

l *Cillonum*] Id est, *cinædorum et turpiter viventium*, ut ait Cœlius Rhodiginus; ab antiquo verbo *cellere*, quod est *motitare*: unde etiam Plautus meretrices appellat *recelliclunas*.

m *At postea quam*] Ironia.

n *Fide nominum*] Id est, *permutatione*. Gall. *Par lettre d'échange*.

quam, P. C. exhausit, quantum voluit. Ne causam diceret, sestertio[o] duodecies cum Cæsare paciscitur. Quod si quidpiam eorum falsum est; hic palam refelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tanquam somnio beatus, hortos[p] pretiosissimos, villam Tiburti C. Cæsaris, reliquas possessiones paraveris? Neque piguit quærere, cur ego P. Crassi domum emissem: cum tu veteris villæ dominus sis, cujus paulo ante fuerat Cæsar? modo,[q] inquam, patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, et tam beatus? Nam quis te faceret hæredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quisquam sibi ducit, nisi similis, ac par tui?

At Hercule egregia facta majorum tuorum te extollunt: quorum sive tu es similis, sive illi tui, nihil ad omnium scelus, ac nequitiam addi potest. Verum, ut opinor, honores tui te faciunt insolentem. Tu, Crispe Sallusti, tantidem putas esse bis senatorem,[r] et bis quæstorem fieri, quanti bis consularem, et bis triumphalem? Carere[s] debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere. Is demum maledicit,[t] qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex,[u] et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, et civilis belli memoria.[v] Quid enim hoc gravius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videamus? Desine bonos petulantissima consectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti: desine unumquemque moribus

NOTÆ

[o] *Sestertio*] Alii habent *Sestertium*, Glareano teste; quanquam et illud licere multis elegantibus auctorum exemplis ostendit Budæus.

[p] *Hortos*] Qui Sallustiani dicti sunt.

[q] *Modo*] Id est, *non a longo tempore.*

[r] *Bis Senatorem*] Amara est irrisio; Sallustio acute exprobrat quod Senatu motus fuerit; atque insuper eum arguit, quasi ideo inepte gloriaretur.

[s] *Carere*] Postquam satis adversarium agitavit, ipsum, quod maxime perstringit, de imperitia, et quodammodo de officio admonet.

[t] *Is demum maled.*] Id est, *sine suo detrimento maledicere potest.*

[u] *Pellex*] Jam supra, quod muliebria passus esset, exprobravit.

[v] *Memoria*] Id est, *qui omnia in memoriam revocat quæ per civiles discordias passi sumus.*

tuis æstimare: his moribus amicum tibi facere non potes, videris velle inimicum habere. Finem dicendi faciam P. C. Sæpe enim vidi gravius offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum.

FINIS C. C. SALLUSTII OPERUM.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. CRISPI SALLUSTII OPERA.

NOMINA AUCTORUM QUORUM NOTÆ HIC EXHIBENTUR.

NOMINA ANTIQUORUM ET RECENTIORUM AUCTORUM QUI HIC CITANTUR.

NOTÆ VARIORUM

IN

BELLUM CATILINARIUM.

C. Sallustii] Patricia gente Crispus Sallustius Romæ natus, post Remp. civili discordia concussam, cum nulla illius administrandæ ratio bonis superesset amplius, se ad scribendi ocium contulit. In quo genere (Quintiliani judicio, qui eum Thucydidi, in historia eminentissimo, opposuit) præcipuam inter eos, qui res Romanas literarum monumentis tradidere, est laudem adeptus. Etenim quo Thucydides est Herodoto major, cui secundæ tribuuntur partes; eo certe hic noster Livio præstantior, quem Herodoto ille comparat. Accedit et Martialis urbanissimi Poëtæ carmen: 'Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum, Primus Romana Crispus in historia.' *Vall.*

BELLUM CATILINARIUM] Ita Nonius triginta amplius locis indigitat: quanquam plerique libri veteres et nonnulli etiam Mss. titulum ita concipiunt: *de Conjuratione Catilinæ et ejus sociis.* Utrumque defendi potest: nam et conjuratio aliquo modo bellum dici potest, præsertim hæc, ubi infestis signis in aperto campo prælium quoque fuit commissum. Alioqui militem a conjuratis recte sejunxit Livius lib. XLV. nam milites sunt, qui sacramento dixerunt singuli; conjurati, qui una simul jurarunt. *Colerus.*

CAP. 1. *Omneis homines, qui student sese præstare ceteris animantibus*] In manuscriptis aliisque vetustis est ordo verborum immutatus, *qui sese student præstare.* pro, *qui dant operam, uti præstent ipsi et antecellant.* Id lenius et asperum minus esse videtur, nec aliter a veteribus citatur, velut Prisciano lib. VII. quo loco de accusativo tertiæ declinationis agit, ubi et *Omnis* hic legendum esse docet, pro *omnes.* Terentianus diphthongo ει scribi vult in plurali, cum hoc, tum similia nomina, quomodo fere et in vetustis inscriptionibus reperitur. Jam quod ad loquendi rationem attinet, norit lector et Ciceronem eodem modo locutum: nam II. Officiorum: 'Gratum se videri studet,' inquit: et in Eunuchi prologo Terent. 'Qui placere se studeat bonis quam plurimis.' Ubi interim miror, quid sibi quidam velint, qui et omisso accusativo *se*, versum constare arbitrentur, id quod secus habet, et ab imitatore quopiam pronomen adscriptum putent, quod hoc modo Sallustius Catilinæ historiam ordiatur: quasi vero non eodem modo sit, ita uti ostendimus, et Cicero ipse locutus. Sed et alias Terentius haud dissimili modo loquitur, velut in Eunucho: 'Est genus hominum, qui

esse primos se omnium rerum volunt.' Eodem modo II. Tuscul. Cicero: 'Est enim quoddam genus eorum qui se philosophos appellari volunt:' pro, 'qui appellari philosophi volunt:' nam sic usitatius dicitur. Terent. in Andria: 'Uxorem decrerat dare sese mihi hodie.' Et, 'Quæ sese inhoneste optavit parare hic divitias potius, quam in patria honeste pauper vivere:' ubi etiam pronomine *sese* omisso, tamen sensus constat. Quomodo et in illo Livii II. Decadis tertiæ, 'Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit.' *Rivius.*

Cæteris animantibus] Scripti omnes libri, quos quidem ego viderim, *Animalibus:* quo modo et Sosipater Carisius recitat l. I. in verbo, *Omnes,* et Diomedes. *Manut.*

Ne vitam silentio transeant] Ita fere et impressa et calamo descripta exemplaria. Nec male, ut opinor; verum in manuscripto quodam reperi, *transigant:* ut in Beroaldino quoque, licet eodem sensu, pro *traducant. Rivius.*

Ne vitam silentio transeant] Id est, inertia et otio. Tacit. in Agricola c. 3. 'Senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus:' et c. 39. 'studia fori et civilium artium decus in silentium acta.' Cic. in Vatinio c. 3. 'bonarum artium studia siluerunt.' 'Per tacitum' Seneca dixit Thyeste vs. 397. 'Obscuro positus loco, Leni perfruar otio. Nullis nota Quiritibus Ætas per tacitum fluat.'

Veluti pecora; quæ natura prona atque ventri obedientia finxit] Ovidius Metam. l. I. 'Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit, cœlumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.' Vide Ciceron. de legibus l. I. et de Nat. Deor. l. II. 'Naturam,' inquit, 'nos celsos et rectos constituisse, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possemus.' Neque dissentit Plato in Cratylo. *Manutius.*

Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est] Exemplaria manusc. *Sed nostra omnis vis:* quomodo et Servius in Georgica Virgilii citat: quæ quin et mollior et suavior, atque adeo verior sinceriorque lectio sit, dubitari minime debet. Consule aurium judicium, ac statim senties, quam et duriter et aspere concurrant, *mnis, no,* in illo *omnis nostra.* Quanto vero numerosius est, quanto aptius sonat, si verborum ordinem immutes, *nostra omnis vis:* vel, ut in Merseburgensi quodam est, *nostra vis omnis:* nam sic ibi reperi. Ac ne hoc, tanquam leve quid nec ullius momenti contemnas; non dubitat Cicero inversione interdum pæne poëtica uti ad effugiendum asperiorem concursum literarum. Velut cum ait, 'Q. Mucius augur Scævola:' nam illud alterum, 'Q. Mucius Scævola augur,' cum propter sibilum, quem literam efficere sentimus S, in altera voce extremam, in altera primam, tum ob vastum et inamœnum hiatum vocalium concurrentium paullo durius ei atque insuavius videbatur, ita ut erat. Ergo si naturalem ordinem Cicero propter euphoniam et jucundioris sonitus gratia invertere non dubitavit, apparet nimirum, quanti referat qua quis in ordine arbitrario verborum collocatione serieque utatur. Quod eo dico, ne quis hanc rem, ceu pæne frivolam ac nullius ponderis, contemnendam esse ducat. Quamquam, ne quid dissimulem, in exemplari quodam manuscripto non est additum hoc loco *Scævola. Rivius.*

Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est] Cicero de finib. l. V. 'Homo e corpore animoque constat: cum primæ sint animæ partes, secundæ corporis.' *Manut.*

Sed omnis nostra vis] Vis, δύναμις. Virgilius Æn. XII. 'Ille ut depositi proferret fata parentis, Scire potestates herbarum, usumque medendi.' Ibi Servius: 'Potestates, vim, possi-

bilitatem: nam in herbarum natura vis est, quæ δύναμις dicitur, cujus nulla ratio est; unde etiam ait mutas artes Musicæ comparatione.' Locus iste Servii vulgo corruptissime circumfertur. *Putsch.*

Alterum cum belluis commune est] Varro Caprino prælio apud Nonium, videtur non absimili sententia usus, cum ait: 'Nam virtutem propriam mortalibus fecit, cetera promiscue voluit communia habere.' *Ursinus:* sic et *Ciacconius.*

Quo mihi rectius] Abest ab excuso *esse:* a Ms. uno *rectius:* utrumque delendum monuit Palmerius. *Putsch.*

Quo mihi rectius esse videtur] Sunt quibus omittendum videtur, *rectius esse:* at ego maluerim excludi *esse videtur*, item *mihi;* ut subintelligeretur *est;* magisque juberet auctor, quam decerneret. *Gruterus.*

Nam divitiarum et formæ gloria, fluxa atque fragilis est: virtus clara æternaque habetur] In Fabriciano volumine τὸ *est* non reperitur. Quod nisi injuria est librarii omissum, tunc *habetur* est ad priora quoque referendum. *Riv.*

Divitiarum et formæ gloria fluxa] Vetus Codex, *gratia*, habet, non *gloria*, ut et infra: *salutare plebem, et conviviis gratiam quærere;* cum in aliis ibi quoque legatur *gloria:* et Apuleius, qui Sallustium pluribus locis solet imitari, Apolog. 2. 'Si hæc reputans formæ, aut divitiarum gratia:' quamvis, *gratia*, ibi, pro *caussa* posita sit. Pacuvius Duloreste ex Nonio, 'Hiccine est quem famæ gratia ante omnes nobilitat viros:' ubi fortasse legendum, *formæ gratia.* Ciacconius: sic et Ursinus.

Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est] Id est, nemini est perpetuum gloriari in divitiis, in forma. Itaque minime admittenda scriptura codicis Romani, *gratia:* quamvis ei videatur sua venus; non est sane, si excutiatur. *Gruterus.*

Sed diu magnum] Quale illud certamen fuit Ajacis et Ulyssis a Poëtis decantatum. Vide pulcherrimum carmen Ovidii Met. l. XIII.

Vine corporis, an virtute animi] Sic in Jugurth. 'Ad hoc vis corporis:' et, 'Quod si Regum atque Imperatorum animi virtus.' et, 'virtutem animi ad cælum ferunt:' sed et supra: 'Vim corporis et animi' esse ait: 'Sed omnis,' inquit, 'nostra vis in animo et corpore sita est:' et infra, 'quanta animi vis fuisset in exercitu Catilinæ:' et, 'Ac tametsi in ipso magna vis animi erat:' et in oratione ad Cæsarem, 'quorum omnis vis virtusque in lingua sita est.' Ergo non perpetuo *vim* ad corpus, *virtutem* ad animum referas: et infra: 'fuit magnæ vis animi et corporis.' *Ciacconius.*

Prius quam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est] A Græcis multa Sallustius mutuatur, quod et Quinctil. IX. 3. affirmat. Demosthenes quidem oratione I. in Philippum sic: Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. Et in Orat. de Pace: Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι, ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα. Et Isocrates ad Demonic. Βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Et Aristoteles Moralium Eudæmiorum V. et Nicomachiorum VI. καί φασιν, πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ δόξαντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. Diogenes quoque Laërtius in Biante: Βραδέως ἐγχείρει τοῖς πραττομένοις· ὃ δ' ἂν ἕλῃ βεβαίως τηρῶν διάμενε. Quo respexisse puto Æmilium Probum, cum diceret in Datamis vita: 'Neque acutius ullius Imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus.' *Manutius:* sic et *Ciacconius.*

Ubi consulueris, mature facto opus est] Placeret magis, si distinctionis nota poneretur ad verbum, *mature:* nam infra est: 'Facto, non, consulto in

tali periculo opus esse.' *Ursinus.*

Ubi consulueris mature facto opus est] Minime advocarunt judicium suum quo vigebant, qui istud *mature* adsociandum censuerunt præcedentibus: neque enim *mature* heic moratur, sed festinat: et alioquin, hac distinctione, directe abeat Sallustius ab eorum mente, quorum sententiam exprimere voluisse putatur: quemadmodum liquet ex eis quæ ad hæc verba adduxit Aldus junior. *Gruter.*

Alterum alterius auxilio veget] Sic Horatius, 'Alterius sic Altera poscit opem res, et conjurat amice.' *Ciacc.*

Alterius auxilio veget] Quia factum consilium, et consilium factum desiderat. *Zanch.*

Veget] Id est, stat, vegetum est, floret. Sic Varro: 'Nec natus est, morietur, viget, veget utpote quam plurimum.' Aliter *vegere* active est *vegetare*. Ennius, 'æquora salsa veges ingentibus ventis:' vide et collectanea Giphanii in Lucretium.

CAP. 2. *Nam in terris*] V. c. non habet illud *non;* ut fortasse legendum sit: *Nam terris, nomen imperii id primum fuit.* Quod autem sequitur, 'Sua cuique satis placebant;' simile est illis, quæ habentur infra in Bello Jugurthæ, ubi est: 'Debere illi res suas satis placere,' &c. Utrumque certe, licet diversis prolatum verbis, respondet Horatianis illis: 'Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit, ipsa Contentus vivat.' *Ursinus:* sic et *Ciaccon.*

Nomen Imperii id primum fuit] Cicero de Legibus l. III. 'Omnes,' inquit, 'antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines justissimos et sapientissimos deferebatur.' Idem scribit Justinus l. I. statim in principio. *Cast.*

Pars ingenium, alii corpus exercebant] Sic infra: 'Ingenium nemo sine corpore exercebat.' *Ciaccon.*

Vita hominum sine cupiditate agitabatur] Justin. de antiquis regibus loquens: 'Fines,' ait, 'imperii tueri magis, quam proferre, mos erat. Intra suam cuique patriam regna finiebantur.' Heroica hæc tempora appellavit Aristoteles in Polit. *Cast.*

Sua cuique satis placebant] Hoc est, sua quisque sorte contentus erat, neque supra vires aliquid appetebat: sic in Jugurth. 'debere res suas satis placere.' *Ciaccon.*

Tum demum periculo atque negociis compertum est] Apud Nonium in verbo, Periculum; *Tunc vero peric. &c.* legitur. *Manut.*

Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello valeret] Legendum, *ita uti bello valeret:* id cum suavius est, tum Sallustianum magis. Etenim fere semper apud hunc auctorem invenias *sicuti* potius, quam *sicut: uti* quam *ut: veluti* quam *velut*, ipse quidem certe haud temere umquam secus in vetustis codicibus reperi, licet excusi typis varient. Sic apud illos antiquissimos, quos libenter Sallustius facit, ut imitetur, fere semper *uti* reperias: velut apud Catonem de re Rustica, atque alios, quorum fragmenta quædam supersunt, unde id conjicere licet. *Rivius.*

Æquabilius atque constantius, &c.] Ita manuscr. numero tredecim, ita omnes fere edd. ut operam ludant, qui nobis obtrudunt, *æqualius.* Neque enim sequitur, quia eo usus Tacitus, usum item Sallustium, et usum quidem isto loco. *Gruterus.*

Nam imperium facile iis artibus] Victorius hunc locum ex Polybio sumtum putat, XXIV. 12. Verba sunt Polybii in excerptis l. X. Ἄλλως μὲν οὖν ὑπέλαβεν δεῖν κτᾶσθαι τὰς ἀρχὰς, ἄλλως δὲ τηρεῖν· οὐκ ἔμαθον δὲ ὅτι κάλλιστα φυλάττουσι τὰς ὑπεροχὰς οἱ κάλλιστα διαμείναντες ἐπὶ τῶν αὐτῶν προαιρέσεων ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο τὰς δυναστείας. *Ciacconius.*

Ita imperium semper ab optimo quo-

que ad minus bonum transferetur] In manuscriptis omnibus est, *ad optimum quemque ab minus bono tranfertur*: quomodo et sensus ipse exposcere mihi videtur. Nam fortunam dicit simul cum moribus immutari: ostendens, videlicet, imperia alio transferri propter vitia regnantium: nec secus interpres, quisquis is fuit, legisse atque intellexisse hunc locum videtur. *Riv.*

Ad optimum quemque] Id est, fortissimum. Sic in Jugurth. c. 92. 'optimus quisque cadere aut sauciari:' et l. I. Histor. 3. 'fortuna meliores sequitur.' Just. XI. 13. 'nec meliores factos putarent fuga.' Hor. od. I. 15. 'Tydides melior patre.' Sic etiam *bonus* pro *forti* ponitur in bello Jugurth. c. 53. 'advorsæ res etiam bonos detrectant.' Græci eodem modo suum ἀγαθὸς et κρείσσων usurpant, ut testatur Berneccerus.

Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent] Notat Turnebus VI. 20. hac dicendi figura significari terras, maria, urbes, omnia virtuti parere, et in ejus ditione esse; sic infra, de pop. Rom. 'cuncta maria terræque parebant.' Plautus Amph. 'Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est virtus.' *Ciaccon.*

Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent] Eadem sententia usus est infra, cum dixit: 'Cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis paterent.' Item: 'Cuncta maria, terræque patebant.' Nisi forte, *parebant*, ibi ex his locis legendum sit. Thucydides tamen in Epitaphio Periclis dixit: ἀλλὰ πᾶσαν μὲν θάλασσαν καὶ γῆν ἐσβατὸν τῇ ἡμετέρᾳ τολμῇ καταναγκάζοντες γενέσθαι. *Ursinus.*

Vitam sicuti peregrinantes transigere] Ita quidem Gymnicus: sed alii *transiere*, quomodo et exemplaria duo manuscripta habent, et Non. Marcellus citat. Licet aliter in Terentium Donatus, si modo ibi non sunt mendosi codices: aliter item duo ex Mss. *Rivius.*

Vitam sicuti peregrinantes transigere] Editio Carrionis *transiere*. Contra Mss. meliores, in quibus, *transigere*, quod etiam non displicet: amat enim uti infinitivis hic noster scriptor. *Gruterus.*

Vitam mortemque juxta] Id est, tanti pretii vitam eorum æstimo, quanti mortem.

Verum enimvero is mihi vivere demum, atque frui anima videtur] Quanto rectius in vetustis, *is demum mihi vivere*, quomodo et Priscianus semel atque iterum citat. Sic in Adelphis Terentius: 'Verum enimvero id demum juvat, si quem,' &c. *Rivius.*

Facinoris] *Facinus* hoc loco factum significat. Non. Marcel. inquit: 'Facinus, factum.' Sallustius in Catilinæ bello: 'Qui aliquo negocio intentus præclari facinoris, aut bonæ artis famam quærit.' Terentius in Heautont. 'Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile.' *Zanch.* Phorm. v. 6. 31. 'facinus pulcherrimum audivi,' id est, rem pulcherrimam, τὸ πρᾶγμα.

Artis bonæ famam quærit] Seneca epist. 115. ait scripsisse Sallustium, *inter bella civilia, æqui boni famas petit*, ut forte *famas* hic etiam scripserit. *Ciaccon.* et sic *Ursinus.*

CAP. 3. *Et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudabantur*] Legendum e manuscriptis et aliis vetustis, *laudantur*, tempore præsenti. *Rivius.*

At mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere] Codex Fabricianus *actorem rerum* habet; quamvis autem *actor* pro eo interdum ponitur qui *res gessit*, velut de Orat. 'Ut eum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum.' Idem pro Sestio: 'Cato dux et auctor, et actor rerum illarum fuit;' tamen prior lec-

tio, sicuti mihi quidem videtur, est multo verior, ac sic quoque Gellius citat. *Idem.*

Tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum] Turnebus *auctorem rerum*, gestorem et administratorem intelligit, contra quam Tacitus, qui *auctorem rerum* et scriptorem esse ait in 3. his verbis: 'Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scripta reperio ullo insigni officio functam:' et iterum: 'C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor.' Sed Plinius eodem fere modo loquitur VII. 30. 'Thucydidem Imperatorem Athenienses in exsilium egere, rerum conditorem revocavere.' Est ergo apud Sallustium, *scriptor* et *auctor rerum* idem. *Ciaccon.*

Scriptorem et auctorem rerum] Videtur Sallustius *scriptorem*, et *auctorem rerum*, eundem putasse esse, cum, tamen *auctor rerum*, pro, *actor*, ab aliis ponatur. Unde in aliquibus codicibus, *actorem*, pro, *auctorem* apud Sallustium irrepsit. Sed Tacitus eodem quo Sallustius modo *auctorem rerum* usurpavit, cum ait lib. III. 'Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scripta reperio ullo insigni officio functam.' Item: 'Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor.' Unde in æreo numismate inscribitur SALLUSTIUS AUCTOR. non tamen satis recta orthographia. *Ursin.*

Haud quaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum] Qui heic obloquuntur Turnebo, ne hilum quidem proferunt, quod non ipse antea probe sciverit. Quid autem hoc loco sibi velit Ursinus, non assequor. *Gruterus.*

Arduum videtur] Notat Gellius IV. 15. *Arduum hoc loco* χαλεπὸν καὶ δυσχερὲς, hoc est, tum difficile, tum molestum quoque et incommodum, ac intractabile: contra Sallustii obtrectatores, qui id verbum calumniabantur. *Ciaccon.*

Primum quod factis dicta exæquanda sunt] Legendum, *quod facta dictis*: quomodo codices habent in pergamenis descripti, nam *æquare* hic pro *assequi* ponitur. Ostendit autem ad rationem et conditionem rerum sic accommodandam esse orationem, uti magnitudinem rerum oratio ipsa consequatur, hoc est, ut sit rebus ipsis par atque æqualis oratio. Contra Livius belli Punici XI. 11. 'Neque aggrediar narrare,' inquit, 'quæ disserendo minora vero facio:' pro *quæ non exæquo dictis*. Est in quibusdam, *exsequenda sint*, sed perperam, nisi fallor, affinitas vocum ansam errori præbuit. Jam lectionem, quæ in manuscriptis est, veriorem esse, colligi e T. Livio potest; is enim 6. ab U. C. 'Cum ea quoque,' inquit, 'quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, facta dictis æquando memorasset,' et quæ sequuntur. *Rivius.*

Plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentia, et invidia dicta putant: ubi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea, veluti ficta pro falsis ducit] Thucydides sic II. 35. in oratione Periclis: ὅ, τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι· ὅ, τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴτι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε· τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες, ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν. Hunc autem Sallustii locum Gellius recitat IV. 15. in quo quædam diversa leguntur a lectione hic impressa. *Manutius.*

Quia plerique, quæ delicta] Ignoro, quo jure nonnulli intrudant suum *plerique*: non omne quod licet Critico, statim etiam libuit Scriptori. *Gruter.*

Ubi de magna] Hæc verba sunt Thucydidis in funebri oratione Periclis, l. II. *Castil.*

Supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit] In Gelliana citatione pronomen *ea*, est omissum, id quod convenire videtur brevitati Sallustianæ: sed nec in manuscripto meo additur, licet in aliis sit, irrepsit ex glossa insulsi et inepti litteratoris. Sic infra in oratione Cæsaris *ultra* sine casu expresso posuit, 'Eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curæ, neque gaudio locum esse.' *Rivius.*

Supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit] Ita libri scripti omnes. Carrio pronomen excluserat. *Gruterus.*

A studio ad rempub. latus sum] Sic pag. 48. 'sed a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat:' tamen ex orat. de repub. ordinanda, videtur legendum: *sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique studio ad rempublicam:* nam sic scribit: 'sed mihi studium fuit adolescentulo rempublicam capessere.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Insolens malarum artium] Sic infra 'insolens vera accipiendi.' Tacit. l. xv. 'audiendi quæ faceret insolens erat:' et I. Hist. 'bellorum insolens:' et l. II. Hist. 'insolens contumeliæ.' *Ciaccon.*

Ac me, cum ab reliquis malis moribus dissentirem] Est in Mss. *ab reliquorum malis moribus*, quam lectionem sequentia illa non sane respuunt: 'nihilo minus honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat.' Mecum facit codex Badianus, quamvis aliter Aldinus. Merseburgensis quidem *ab reliquis malis moribus*, verum in spatio quod versus dirimit, erat, *reliquorum*. Rivius: sic et Gruterus.

Cupido eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabant] Non audio Palmerium, non Muretum, non alios; qui nescio quæ monstra emendationum nobis obtrudunt: plurium quidem ad plausum; sed parum exercitatorum rebus politicis. *Gruterus.*

Eadem, quæ ceteros, fama, atque invidia] Difficilem hunc locum sensere docti viri. Muretus conjecit, *famæque avidia*. Palmerius: *fames atque invidia necabat*. Ciacconius interpretatur, propter famam quærendam et invidiam vitandam. Gruterus istas emendationes ait non esse ad plausum, nisi parum exercitatorum rebus politicis. Equidem non tam res politicas, quam Latini sermonis peritiam requiri puto, ut sensus auctoris pervestigetur. Quum alios, inquit, urbis et publica tractantium morbos et pravitates facile vitarem, tamen quod honores petebam, perinde ac mali, (nemo enim fere tunc neque petebat neque gerebat nisi malus et factiosus,) infestis rumoribus differebar et maligna judicia experiebar. Quum vitium nullum esset in me, ob quod male audirem, male audiebam, proque malo differebar, quod rempublicam gerere cupiebam, inter malos. *Fama atque invidia*, ἓν διὰ δυοῖν, pro invidiosa et maligna fama. Sic Trogus VIII. 3. 'ad abolendam invidiæ famam, qua insignis præter ceteros tunc temporis habebatur.' Sive malis, *invidiam famæ*. Eadem enim res est. Idemque XII. 6. 'Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiæ fecerit.' Prorsus ut Sallustius; quantum malignorum sermonum et rumorum. Fama et invidia vexatur, qui est in invidia, seu odio publico et discerpitur sermonibus hominum. Cogitavi aliquando: *eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat:* essetque sic paullo planius. Elegans est, *dissentirem a malis moribus*, vitarem vitia, non illis corriperer. Placet etiam magis *reliquis*, quam *reliquorum*, quod præferunt Rivius et Gruterus. *Gronovius.*

CAP. 4. *Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit*] Motus enim Senatu a Censoribus fuit: ut

docent Dion, Acron, et Cicero in oratione, qua Sallustio respondet: si Ciceronis ea est oratio, quod vix credo. Postea, ne de pecuniis repetundis causam diceret, H. s. duodecies cum Cæsare pactus est: ut in eadem oratione legimus. *Castil.* Antiquus quoque interpres hæc de eo refert: 'Fertur Sallustius tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto mœchus in matronas. Quod cum illi in senatu a censoribus objectum esset, respondit, se non matronarum sed libertinarum sectatorem esse. Quare ex senatu ejectus est, quod ipse excusat in Catilinæ bello.'

A repub. procul habendam decrevi] Sic quidem in Jugurth. 'Ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant.' Cato tamen, quem plurimum sequitur Sallust. 'ego jam a principio in parsimonia atque in duritia, atque industria omnem adolescentiam meam abstinui:' et, 'secus ætatem agerem, quam illi egissent.' Hic tamen legendum credo, *a repub. procul agendam decrevi:* ut Jugurth. 'Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a repub. ætatem agere;' ut etiam paulo infra. *Ciacc.* sic et *Ursin.*

Servilibus officiis] Ideo a Symmacho lib. v. epist. 16. tam atrociter fuit reprehensus Sallustius. Sed immerito. Quamvis enim et agriculturam et venationem honestissima fuisse officia apud Romanos constet, quid tamen causæ est, cur non Sallustio servilia dici mereantur, cum totus adhuc sit in dissertatione præstantiæ animi et vilitate corporis? Venationes autem et agricultura nonne corporis auxilio parantur? Possem et ostendere hanc opinionem Sallustio communem cum non ignobilibus Philosophis fuisse. Denique istud tempus Sallustii mihi considera, quo venationes non tam voluptati erant lautioribus et patriciis, quam servis oneri. Et quid mirum inter tot bella, tot honorum urbanorum certamina? *Coler.*

Sed a quo incepto studioque me ambitio] Ita fere libri electiores: nam posteriori ævo scriptis, omissa est copula *que:* ut quis dubitare posset, utramque vocem, *incepto studioque*, commentum esse glossarii. *Gruterus.*

Ambitio mala detinuerat] Plus id est quam si *revocaverat* dixisset: sic Jug. 'quibus a malo publico detineatur.' *Ciaccon.*

Statui res gestas populi Rom. carptim perscribere] In libris, quos Nonius secutus est, video scriptum fuisse *Strictim*, non *Carptim:* recitat enim hunc locum in verbo *Strictim* Manutius.

A spe, metu, partibus Reip. animus liber erat] Et hinc dictio ultima salvo sensu exterminari poterat. *Gruterus.*

Quam verissime potero] Fabius Victorinus in lib. I. Cicer. de Invent. Rhetor. legit, *quam brevissime.* Sed hunc locum et eum qui pag. seq. 50. legitur, 'supra repetere, ac paucis instituta majorum,' sic est æmulatus Tacitus Hist. IV. 'Ea de cæde quam verissime expediam, si pauca supra petivero.' Videndum ergo an non, *potero*, abundet. *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Nam id facinus in primis ego memorabile existimo] Accepit hanc sententiam, ut videtur, a Thucydide: qui l. I. ait: ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, τεκμαιρόμενος, &c. Ubi verbum ἐλπίσας positum est Græca consuetudine pro νομίσας, et ut Sallustius ipse vertit, *existimans.* Ursinus.

Id facinus in primis ego memorabile existimo] Fortius, mea sententia, loquutus fuisset, omisso pronomine *ego*, et verbo *existimo.* Gruterus.

De cujus moribus pauca prius explananda sunt] Legendum, *de cujus hominis moribus.* Rivius.

Prius quam narrandi initium faciam] Verisimile est Sallustium scripsisse *facio*, ut Jugurth. 'Sed prius quam hujusmodi rei initium expedio, pauca supra repetam:' et Cicero in somnio Scipionis, 'Grates tibi ago summe

sol, quod priusquam ex hac vita migro.' Virg. 'Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.' Apul. Apolog. 2. 'prius quam peroro.' Cicer. Philip. I. 'antequam de repub. dicere incipio.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Cap. 5. *L. Catilina nobili*] Ex Sergiorum familia. Vide aliorum notas, et adde Virg. l. v. 'Domus a quo Sergia nomen.' Ubi Servius, 'familia, ut Da propriam Tymbræ domum,' et inde est Sergius Catilina. *Putschius.*

L. Catilina nobili genere natus, fuit magna vi, &c.] Suspectum mihi, tanquam spurium quid redolens, *natus, fuit.* Gruterus.

Patiens inediæ] De Catilina hoc idem refert Cicer. Catil. I. Phrasi utitur aliquoties Tacitus. *Ciaccon.*

Inediæ, algoris, vigiliæ] Hic verborum ordo est in manuscriptis, et impressis vetustioribus. *Rivius.*

Supra quam cuiquam credibile est] Sic Jugurth. 'supra quam ego sum, petere.' *Ciaccon.*

Supra quam cuique credibile est] Dictio *est*, abesse poterat: at illud *cuique* exstabat in Pall. quatuor antiquioribus, item in Mss. quos excusserat Bongarsius: antea erat, sine ulla euphonia, *supra quam cuiquam.* Gruterus.

Cujuslibet rei simulator] Nonius in *simulare*, 'Cujus rei libet simulator,' habet. Quomodo etiam scriptum a Sallust. est in oratione de Rep. ordinanda, 'et cujus rei libet periculum facere.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Alieni appetens, sui profusus] Id sic æmulatus Tac. Hist. I. 'pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus.' *Ciaccon.*

Satis loquentiæ, sapientiæ parum] Quamvis in quibusdam, ut in omnibus manuscriptis, *eloquentiæ* sit, nec aut secus legerit interpres, aut a Prisciano, si quid vetustissimis exemplaribus credendum, aliter citetur, tamen vulgatam hodie lectionem sequor. Aul. Gellius l. I. testatur, Valerium Probum, id quod ipse ex familiari ejus docto viro compererit, sic a Sallustio relictum affirmasse *satis loquentiæ, sapientiæ parum*, quod *loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congrueret: *eloquentia* cum insipientia minime conveniret. Sed et Plinius in Epistolis huc respexisse videri potest, 'Itaque Julius Candidus,' inquit, 'non invenuste solet dicere: aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam: nam eloquentia vix uni aut alteri, imo, si M. Antonio credimus, nemini: hac vero quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit.' *Rivius:* sic et *Ciaccon.*

Dominationem L. Syllæ] Hic fuit L. Sylla, qui postea Sylla Felix est appellatus, et demum pediculari morbo consumptus. *Vall.*

Libido maxima invaserat reipub. capiundæ] *Capessere Rempubl.* frequentissimum est apud Sallustium, non, *capere;* quare hic potius legerem *Reipub. occupandæ:* sequitur enim, 'neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.' Sic in orat. De republica ordinanda: 'Per idem tempus maledictis iniquorum occupandæ Reipub. in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant:' et Jugurth. 'At qui sunt hi, qui rempubl. occupavere? homines sceleratissimi:' et de eodem Catil. 'opprimendæ reipubl. consilium cepit.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Quicquam pensi] Nihil considerati, nihil considerationis: translatio sumpta a pensantibus, qui diligenter inspiciunt in quam partem vel aurum, vel argentum inclinet. Non ponderabat ipse quomodo rempublicam caperet, dummodo cupiditatem suam explere posset. *Vall.*

Conscientia scelerum] Id est, memoria et simplex scientia rei, seu notitia, quæ nobis cum aliis communis

est. Tacit. Histor. I. 25. 'In conscientia facinoris pauci adsciti suspensos ceterorum animos, diversis artibus stimulant.' Cic. in Orat. I. in Catil. cap. 1. 'constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem non vides?' Idem lib. VI. epist. 10. ad Famil. 'quamque te vehementer consolaretur conscientia factorum et consiliorum tuorum.' Sic Justinus de Candaule I. 7. 'hic uxorem, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret:' et l. VIII. c. 2. Phæd. in prol. l. III.

Res ipsa hortari videtur] Tacitus Hist. IV. 'Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri sæpius memorandi, ut vitam studiumque ejus paucis repetam:' ubi et illum alium locum de Sylla in Jugurth. est etiam æmulatus, 'Sed quoniam nos tanti viri,' &c. *Ciaccon.*

Res ipsa hortari videtur] Fabius Quinctilianus auctor et censor gravissimus ob hoc genus exordiorum ut supervacaneum et parum ad historiam pertinens notat Sallustium, cui non injuria majorem curiositatis notam inussit magnus ille Scalig. Poët. III. 96. ejus verba gravissima subscribam: 'Ambitiose,' inquit, 'fecisse Sallustius quibusdam videtur, quod Poëtarum more, cum dicere orsus esset de Catilina, omissa ea narratione, repetit historiam ab ipsis ultimis Romæ rudimentis. Nos virum suo in genere præstantem atque incomparabilem cum recte, tum necessario fecisse judicamus, ut ostenderet corruptam civitatem, cujus et pars esset Catilina, nequam ipse, et participes habere posset multos sceleris ac nequitiæ.' *Colerus.*

Quo modo rempub. habuerint] Sic quidem Tacitus maximus Sallustii æmulator, Annal. IV. 'Congruens crediderim, recensere ceteras reipub. partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint.' Nescio tamen an ille scripserit, 'auxerint remp. infra enim Regium imperium quod initio conservandæ libertatis et augendæ reip. fuerat:' et, 'Ubi labore atque justitia respub. crevit.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Ex pulcerrima et optima, pessima ac flagitiosissima facta sit] Τὸ *optima* cum illa copula *et*, non est in alio manuscripto, quæ quidem ipse viderim, nec Beroaldinum ea volumen habet. *Rivius.*

Ex pulcherrima] Adducit hunc locum Divus Augustinus de Civitate Dei II. 18. *Ciaccon.*

Ex pulcerrima pessima ac flagitios] Adde ex scriptis; *ex pulcerrima atque optima, pessima ac flagitiosissima facta sit:* ut *pulcerrima flagitiosissimæ, optima pessimæ* respondeat. Paulo post iisdem fere verbis: 'Imperium ex justissimo atque optimo, crudele intolerandumque factum.' *Putsch.*

CAP. 6. *Urbem Romam, sicuti ego accepi*] Æmulatus est etiam hunc locum Tacitus initio Annalium; quos sic exorditur, 'Urbem Romam ab initio Reges habuere.' *Ciacconius.*

Initio habuere Trojani] Illud *habuere*, a Græcis Sallustius accepit, itemque æmulator ejus Tacitus, qui suos annales ita exorditur: 'Urbem Romam ab initio Reges habuere.' Homerus in Catalogo dixit, οἵ τ' εἶχον, &c. *Ursinus.*

Qui Ænea duce profugi, incertis sedibus vagabantur] Manuscripta *sedibus incertis*, ut adjectivum sequatur; quomodo et Rodolphus Agricola citat. *Rivius.*

Cumque his Aborigines] Aborigines fuerunt prisci illi Latini, quorum reges aliquot recensentur a Livio et Halicarnassæo. Communis veterum opinio, Trojanos advenas cum hoc antiquo Latii populo mixtos simul coaluisse: licet alii aliter dicant: quod ut optime intelligebat Crispus,

ita ut in re dubia, prudenter addit, *Sicuti ego accepi*. Facit idem in re simili divinus Maro, notante Honorato: *accepi* autem, puta a Catone, cujus ut nimius verborum imitator notissimo versu incessitur, 'Et verba multum furate Catonis, Crispe Jugurthinæ conditor Historiæ.' Ita nunc quoque sententiam ejus sequitur, qui in originibus suis scriptum reliquit: 'Primo Italiam tenuisse quosdam, qui Aborigines appellabantur, sed postea adveniente Ænea, Phrygibus junctos Latinos uno nomine nuncupatos.' Cascos vocat Ennius ob vetustatem: 'Quamprimum Casci populi tenuere Latini.' Saufeius apud Servium Virgilii interpretem, 'Latium dictum ait quod ibi latuerint incolæ, qui quoniam in cavis vel occultis montium, caventes sibi a feris belluis, vel a valentioribus, vel a tempestatibus habitaverint, Casci vocati sunt; quos postea Aborigines nominaverunt, quoniam a Diis ortos recognoscebant.' Maro arboribus natos memorat: 'Hæc nemora indigenæ Fauni, vatesque tenebant, Gensque virum truncis, et duro robore nata.' Juv. Sat. VI. 'Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti Vivebant homines, qui rupto robore nati, Compositive luto, nullos habuere parentes.' Sed Servius fabulam hanc explicat: 'Hoc figmentum ortum est ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos aut in cavis arboribus aut in speluncis manebant; qui cum exinde egrederentur, aut suam educerent sobolem, dicti sunt inde procreati.' Versum Ennii innuit Cic. Tusc. prima: 'Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius.' Maro Æn. VI. 'Vultuque et veste nitebant Romani populi patres sine semine facti.' Atque hæc de Aboriginibus aliis omissa vel potius neglecta. *Putsch.*

Sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum] Palatinus nonus habet, *sine legibus, imperio liberum atque solutum*. Is autem liber literas omnes adeo habuit evanidas, ut denuo eas aliquis depinxerit, sed qui non etiam semper institerit vestigiis scripturæ prioris: nam ubi mox habemus, *aucta satis prospera, satisque pollens videbatur*, apparent adhuc veteres lituræ vocis *prospera*: at renovator solum expressit, *aucta, satisque pollens videbatur*; omisso illo, *satis prospera*. Gruterus.

Alii alio more viventes, incredibile est memoratu quam facile coaluerint] Manuscripti codices habent *alius alio more viventes*; quemadmodum postea, *Alius alii tanti facinoris conscii*. Et in Oratione Catonis, 'Alius alium exspectantes cunctamini.' Nec secus in Oratione Lepidi, 'Ne alius alium principem exspectantes ante capiamini.' Et ad Cæsarem de rep. ordinanda, 'Alius alium quasi prudentiorem secuti.' Sic et Curtius V. 'Alius alium levantes conabantur adscendere.' Idem, 'Nisi mutuo essemus miseri, olim alius alii potuissemus esse fastidio:' et VII. 'Aliusque alium adhortati in hostem salutis immemores ruere cœperunt.' Sed et IX. 'Alius alii occursantes invicem suspecti et solliciti ferebantur.' *Rivius.*

Incredibile memoratu est] Frequens est hoc apud Sallustium, ut c. 7. Catil. c. 40. Jug. et Tacitus 2. Hist. 'Vix credibile memoratu:' et 3. Histor. 'immane dictu est.' *Ciaccon.*

Sed, postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta] Hæc lectio in omnibus codicibus, quotquot ipse viderim, reperitur: verum Aurel. Augustinus in III. de civitate Dei sic citat, *postquam res eorum legibus*: ubi hodie *civibus*, nec male, ut opinor. In Augustino, librarii mendum esse suspicor. *Rivius.*

Reges] Turnus, Mezentius, Acron, Tatius, et post exactos reges Porsena. *Castil.*

Populique finitimi] Sabini, Hetrusci, Latini, ceterique. *Idem.*

Pauci ex amicis auxilio esse] Ut cum Ascanius obsessus fuit a Mezentio, quod narratur a Dionysio ἀρχαιολογίας l. I. etsi id Lavinii, non Romæ fuit. Item ut in bello contra Fidenates et Vejentes, quando Albani ad montes subiere. Illi enim in tanto periculo non solum Romanis auxilio non fuere, sed etiam eos prodere voluerunt. Livius et Dionysius. *Idem.*

Nam ceteri, metu perculsi, a periculis aberant] Augustinus, quo dixi loco, habet, *longe a periculis aberant:* verum dissentientibus cunctis fere exemplaribus, in quæ ipse inciderim. *Rivius.*

Armis tegere] Sic et V. C. meus, cum ante esset *protegere:* simili loco in Jugurth. 'armis libertatem, patriam, parentesque et alia omnia tegi.' *Ciaccon.*

Magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant] Hoc videtur sumsisse a familiari suo Thucydide: cujus hæc sunt in oratione Periclis: Οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες, κτώμεθα τοὺς φίλους. Idem infra similem in sententiam incurrit in Jugurtha: 'Beneficia dare, invitus accipere.' *Manutius.*

Imperium legitimum] Videtur hoc inferius *annuo imperio* opponere, cum ait, 'Immutato more, annua imperia, binos imperatores sibi fecere.' *Ciacconius.*

Delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reip. consultabant] Sic et in omnibus manuscriptis. At sunt qui legant, *reip. consulebant:* quomodo Rodolphus idem citat, memoriane lapsus, an quod sic legendum judicaret. Sensus autem est, *consilium reip. penes senes fuisse, qui ex auctoritate patres, ob ætatem senatus vocarentur:* ut inquit Florus. *Rivius.*

Delecti quibus corpus] Tacit. Ann. 5. 'Trecenti delecti opibus aut sapientia, ut Senatus.' *Ciaccon.*

Reipub. consultabant] *Consulebant* fortasse legendum; sic in orat. Cottæ, 'tolerate adversa et consulite reipubl.' et in orationibus de republ. ordinanda, 'apud illos una res publica erat: ei consulebant.' Nisi forte, *consultare*, dixit, ut *agitare*, *ductare*, *dictare*, et multa alia hujusmodi dicere solet, hoc est, *frequenter consulebant.* Ciacconius: sic et Ursinus.

Reipubl. consultabant] Errat vir doctus, qui hic legit *consulebant;* vulgatam tuetur Sallust. ipse: 'Omnis homines P. C. qui de reb. dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.' *Putschius.*

Patres appellabantur] Oppido quam venusti sunt Nasonis versus ex v. Fastorum, quos non pigebit adscribere. 'Magna fuit capitis quondam reverentia cani, Inque suo precio ruga senilis erat. Martis opus juvenes animosaque bella gerebant, Et pro Diis aderant in statione suis. Viribus illa minor, nec habendis utilis armis, Consilio patriæ sæpe ferebat opem. Nec nisi post annos patuit tunc curia seros, Nomen et ætatis mite Senatus habet. Jura dabat populo senior, finitaque certis Legibus est ætas unde petatur honor.' Et paulo post: 'Romulus hoc vidit, selectaque corpora patrum, Dixit ad hos urbis summa relata novæ est.' Florus: 'Consilium Reipubl. penes senes esset, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur.' 'Ita dicti *Senatores*' (verba Isidori) 'quia sicut Patres filios, ita remp. isti alebant.' Qui ex illis nascebantur, Patricii. Livius l. I. 'Patres certe ab honore, patricii progenies eorum.' Iidem et ingenui: Festus, 'Cintius ait in libro de comitiis patricios eos appellari solitos, qui nunc vocentur ingenui.' Servius hæc Sall. adducens legit, *appellati sunt*, et mox addit de suo, 'Senatores autem alii a sinendo dictos accipiunt.' *Idem.*

Post, ubi imperium regium, quod initio conservandæ libertatis, atque augendæ reip. caussa fuerat, in superbiam domi-

nationemque se convertit] Hic conjecturam meam subjiciam, nullius auctoritate fideve exemplaris fretus. Quid enim, si legas, *in superbiam dominationemque vertit?* quomodo et alias verbo hoc Sallustius uti solet. Est autem et aliis in locis *vertit* in *convertit* aut *convertitur* mutatum: nam illud *se*, codex Merseburgensis non habet. Sed et *convertit* interdum absolute ponitur apud hunc auctorem: id quod suo loco ostendemus. Adhæc τὸ *caussa*, non habent manuscripta quædam in contextu, sed in spatio tantum quod versus dirimit: ut tale omnino sit, quale apud Terent. in Adelphis, 'Ne id assentandi magis, quam quod gratum habeam, facere existumes:' deest enim *caussa*. Sic autem Romanos loqui interdum consuevisse, testatur XVIII. Priscianus. Sane Corn. Tacitus identidem hac ellipsi utitur, omisso substantivo *caussa* vel *gratia*, id quod in Terentio diligenter annotavimus. Sed et alias Sallustius ipse hoc modo loqui consuevit: ut suis locis indicabitur. 'Quod initio conservandæ libertatis fuerat:' pro, *quod ad libertatem conservandam faciebat.* Rivius.

Quod initio conservandæ libertatis, atque augendæ reip. fuerat] Ne quis putet mendosum esse locum, notandum existimavi, locutionem esse Sallustianam, qua et alibi usus est; ut infra: 'Pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdundæ Reip. fore credebat.' Et l. I. Hist. in Orat. Lepid. 'Omnia retinendæ dominationis honesta æstimat.' Et eodem lib. in Orat. Philippi: 'Exercitum opprimendæ libertatis cepit.' Item: 'Arma civilia cepit, legum ac libertatis subvertendæ.' Terentius quoque in Adelphis: 'Ne id adsentandi magis, quam quod gratum habeam facere existimes.' De hoc loquendi genere vide Priscianum l. XVIII. *Manutius.*

Quod initio conservandæ libertatis, &c.] Rex enim initio creabatur, et nihil agebat sine auctoritate Patrum. Nam Romulus, cum coloniam Romam deduxisset, dedit optionem populo, ut quod vellet rerum publicarum genus eligeret: isque cum sub regibus vivere decrevisset, statim sibi regem Romulum esse jussit, ut narrat Dionysius libro secundo. *Castil.*

In superbiam dominationemque se convertit] Dictionem *se* sustuli, tanquam inanem: nec tamen a me veterem librum dissentire video, cum quo facit idem Sallustius, qui hoc loquendi genere alibi quoque usus est: 'Næ ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.' Item: 'Benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit.' Denique: 'Secundæ res in miserationem ex ira vertunt.' Alibi quoque Cicero: 'Sed hoc vitium in bonum ei vertebat.' Tacitus III. 'Postquam cædibus sævitum et magnitudo famæ exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere.' Idem alibi: 'Clam cum paucis ad pedites convertit.' Cæsar Bell. civ. l. III. 'Detrimentum in bonum verteret.' Livius l. I. 'Auspicia in bonum verterunt.' Et l. XXXIX. 'Hæc in perniciem adolescenti verterunt.' Virg. Georg. III. 'Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ.' Tacitus 'Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.' Id. 'Seu temere lapsa vox in præsagium vertit.' Liv. 'verteratque Scipionum invidia in Prætorem.' Id. l. IX. Decadis IV. 'Mores quidem populi Rom. quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit:' pro *mutati sint*. Et l. VIII. belli Punici III. 'Non septies die, sicut fama fert, temporibus statutis reciprocat:' pro, *reciprocatur*. Suetonius: 'Quoties terra in urbe movisset;' pro *mota esset*. Virgilius: 'Nox humida cœlo præcipitat.' Idem, 'Ingeminant Austri.' Gellius etiam I. 13. 'Si res forte melius vertisset, Diis quidem gratia habenda.' Livius autem lib. II. ab urbe condita, ellipsin faciens pronominis,

se, sic ait: 'Secuti, dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora, præcipitavere in insidias.' Et Virgilius: 'Accingunt omnes operi.' Et: 'Tum prora avertit.' Ut facile adducar iis qui Curtii locum l. VII. mutant, proque *vertitur*, legunt *vertit*. In eo sic est: 'Posteaquam desierat esse quem odissent, invidia in misericordiam vertitur.' Vide quoque Gellium Noct. Att. XVIII. 12. *Manutius.*

In superbiam dominationemque convertit] Meus liber, *in superbiam dominationem se convertit*. Cæsar tamen in Anticatone dixit, 'Unius arrogantiæ, superbiæque dominio.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Dominationemque convertit] Etsi Mss. nostri agnoscerent pronomen *se*, expungendum tamen putavi, auctoritate codicis Romani ac Merseburgensis. *Gruterus.*

In superbiam, dominationemque se convertit] Tarquinium intelligit, cui Superbo cognomen facta indiderunt. Is male partum, et male administratum imperium amisit. Brutus enim ob illatum Lucretiæ stuprum a Sex. Tarquinio, regis filio, patriam a tyrannide liberavit. qua de re copiose scribunt Livius et Dionysius. *Castil.*

CAP. 7. *Cœpere se quisque magis extollere*] Meus liber, *per se quisque*. Sed in orat. de republica ordinanda, Sallust. scripsit, 'Neque aliter quisquam extollere sese, et divina mortalis attingere potest.' *Ciacconius*: sic et *Ursinus*.

Cœpere se quisque] Ex codice nostro reposuimus; *cœpere se quisque magis magisque extollere*. Si cui vulgata magis placet, haud equidem repugnaverim: ea talis est; *cœpere se quisque magis extollere, magisque ingenium*. Rittershusii cod. prius illud *magis* omittit. *Putschius.*

Semperque his aliena virtus formidolosa est] Verbum *est* non habetur in Pal. nono, neque admodum requiritur; non magis quam paulo ante *sunt*, post *suspectiores*. Gruterus.

Jam primum juventus simul ac belli patiens erat] Id est, quam primum per ætatem belli laboribus ferendis par erat, sive poterat militiæ adscribi. Ea vero ætas erat apud Romanos anno septimo decimo; Tyrones enim anno quarto decimo exeunte togam sumebant virilem: quinto decimo armis exercebantur in campo Martio: sexto decimo exeunte stipendia mereri incipiebant, teste Servio septimo Æneid.

Belli patiens erat] Sic Jugurth. de Mario, 'ubi primum militiæ patiens fuit:' sic de puellis, 'viri patientes.' *Ciacconius.*

Juventus simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat] Pal. quartus habet, *juventus pacis ac belli patiens erat*: ut forte scripserit auctor; *juventus, belli patiens, in castris*, resectis ceteris: sed et illud *usu*, nescio an hic necessarium sit, aut, si; an voces duæ *per laborem*. Naz. habet ad marginem, *simul labores ac belli*: ut alicui venire posset in mentem fuisse initio; *juventus, laboris patiens, in castris usu militiam discebat*. Gruterus.

Usu militiam discebat] Credo dixisse Sallustium, *usum militiæ discebat*: sic in Jugurth. *militiæ magna scientia*: et Cæsar l. I. 'non magnum in re militari usum habebant.' *Ciaccon.* sic et *Ursinus.*

Magisque in decoris armis et militaribus equis] Si quidem hic locus legitur apud Nonium, citaturque a Prisciano l. IV. Sallustii locus ex Historiis: 'equis et armis decoribus cultus:' et ibidem: 'dedecores, multique per terga ab hostibus cædebantur:' nescio an hic quoque, *decoribus armis*, sit legendum. *Ciacconius.* Nonius tamen profert, ut vulgo habetur. *Ursin.*

Quam in scortis atque in conviviis libidinem habebat] Manuscripta cuncta, *atque conviviis*, omissa iteratione præpositionis *in*. Atque hoc Sal-

lustianum magis. Porro *libidinem habere*, hic est *delectari aliqua re*, seu *delectationem habere*, ut Cicero interdum loquitur. Vides autem *libidinem* anceps esse vocabulum καὶ τῶν μέσων, ut quo et bonam et malam in partem uti liceat. *Rivius.*

Libidinem habebat] Studium ponebat, delectabatur. Libido enim est verbum medium: significat enim non solum malam, sed etiam bonam voluntatem et desiderium: ut videmus hic, et in oratione ad C. Cæsarem de Republ. ordinanda, ubi sic scriptum est: 'Quod si tibi bona libido fuerit, patriæ parentibus gratificandi.' *Cast.*

Sic se quisque hostem ferire, murum ascendere] Particula *sic*, non est in volumine Fabriciano: in ceteris tamen est, ut et Merseburgensi. Quid si legas, *Sese quisque?* id e manuscripto quodam suspicor; licet priorem lectionem non rejiciam. *Rivius.*

Sic se quisque hostem ferire] Duæ primæ dictiones absunt a meo libro, neque sunt necessariæ. *Ciaccon.* Absunt et a V. C. Ursini.

Sic se quisque] Duæ priores dictiones absunt a cod. Ciacconii, et abesse debent, quamvis nec sic huic loco bene. divinent alii. Ms. præfert *facere* pro *faceret;* eliciat aliquis, *Sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspiciendum tale facinus facere properabat.* Putschius.

Sic se quisque hostem ferire] Alius alium non expectabat ad invadendum hostem, sed unusquisque primus esse volebat, quia nullum præclarum facinus apud Romanos sine præmio erat. *Cast.*

Murum ascendere properabat] Unusquisque in oppugnandis urbibus primus esse volebat, qui murum ascenderet, et muralem coronam assequeretur. Nam corona muralis dabatur his, qui primi murum ascendissent. *Vall.* Romani, ut ad præclara facinora militiæ magis animos militum incenderent, quoque honoratior testatiorque eorum virtus esset, mercede proposita, muralem, obsidionalem, civicam, navalem, castrensem, et aureas coronas, amplissimaque alia honoris genera invenere: quibus donabantur, qui primi urbis obsessæ murum ascenderent: vel qui urbes, castra, aut exercitus obsidione liberassent, civemque servassent. Primus Manlius Capitolinus decimo et septimo anno ætatis murali corona donatus est. 'Muralis corona,' inquit Gellius, 'est, quæ donatur ab Imperatore ei, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit, idcirco quasi pinnis muri decorata est.' *Zanch.*

Conspici dum tale facinus faceret, properabat] Si permitteretur meæ libidini quidvis tollendi, sex istas voces ablegarem alio; aut sane, verbum *faceret;* mutato *properabat,* in *properaret*: nam in aliquot Mss. videmus alioquin, *properare;* ut etiam in editionibus primis. *Gruterus.*

Ea divitias, eamque bonam famam] In manuscriptis reperi, *eas divitias, eam bonam famam:* neque secus in impressis emendatioribus, omissa videlicet illa conjunctione *que.* Rivius.

Eas divitias, eam bonam famam putabant] In orat. de repub. ordinanda, 'eam virtutem et magnitudinem animi æstiment.' Melius in meo libro: *ea divitias, ea bonam famam putabant:* sic infra c. 51. 'ea populus lætari.' *Ciacconius:* sic et *Ursinus.*

Laudis avidi] Non minus apte dixit Horat. 'Græcis præter laudem nullius avaris:' et Q. Curtius l. IX. 'Avaritia gloriæ, et insatiabilis cupido famæ.' *Ciacconius.*

Divitias honestas volebant] Sic in orat. de repub. ordinanda, 'bonas artes, honestas divitias.' *Idem.*

Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Ro. parva manu fuderit] Sic infra: 'Sciebam sæpenumero parva manu cum magnis legionibus hostium conten-

disse:' et in Jugurtha: 'Sæpe ante a paucis strenuis adversus multitudinem bene pugnatum.' *Manutius.*

Pugnando ceperit] Sic in Jugurth. "Urbes aliquot pugnando cepit:" et in basi columnæ Duilii, quæ in foro Romano e ruinis effossa fuit, est; 'pugnando cepet,' antiqua scribendi ratione, pro, *cepit.* Et Plautus Mil. glor. 'vi pugnandoque hominem capere certa res est:' et Hirtius de bello Africo, 'castello in monte loco munito locato vi expugnando est potitus,' ubi legere, *vi, et pugnando,* et paulo ante, *quibus locus,* est in meo libro; et vox *longius,* quæ statim sequitur, non legitur in eodem. *Ciacconius:* sic et *Ursinus.*

Cap. 8. *Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex lubidine*] Commel. non agnoscit, *ea res:* et vero cum præcesserit *in omni re,* ingrata est repetitio vocis ejusdem: forte fuit, *dominatur, cunctaque ex lubidine.* Gruterus.

Ea res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat] In eam sententiam in orat. de republic. ordinanda, 'quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat.' *Ex vero* autem etiam Tacitus dixit Ann. l. IV. 'Neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse:' ipse Sallust. in Jugurth. aptius, 'et omnes,' inquit, 'honores non ex merito, sed quasi debitos a nobis repetit.' *Ciaccon.* sic et *Ursin.*

Ex lubidine magis quam ex vero celebrat] Adverbium *magis* non visitur in Pal. quarto; nec mihi dubium sit, quin abfuerit autographo ipsius Historici. Eam enim vocem fere subaudiebant antiqui: nec quidquam Tacito frequentius. *Gruterus.*

Atheniensium res gestæ (sicuti ego existimo) satis amplæ magnificæque fuere: verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur] Sic in vetustis. Nam perperam est in recentioribus omissum *tamen,* quod si non sensus ipse necessario, numerus quidem certe exposcit. Consule aures, et mecum facies. Ansam errori præbuit illa divisio conjunctionis *verumtamen,* aliis interpositis verbis; id quod et Cicero facere amat. Merseburgense habet, *verumtamen aliquanto minores:* verum cetera rectius. *Rivius.*

Sicuti ego existumo] Pronomen *ego,* non est in Pal. sexto, septimo, decimo; omnes alii Mss. notæ pretiosioris præferunt, *æstumo;* adeo ut id revocandum sit, nisi auctoritatem eorum vilipendimus. *Gruterus.*

Ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere præclara ingenia] Ego, qui Sallustius non sum, simpliciter scripsissem, *ita eorum virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere. At populo, &c.* exterminatis ceteris. *Idem.*

Negotiosus] Id est, ad negotia se accingebat. Nam Romani maxime se dederunt negotiis militaribus, quia sciebant militarem rem cæteris omnibus præstare: quod et Cicero pro L. Muræna ostendit, cum sic inquit: 'Nimirum (dicendum est enim quod sentio) rei militaris virtus præstat ceteris omnibus, hæc nomen populo Romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit, omnes urbanæ res, omnia hæc præclara studia, et hæc forensis laus et industria sunt in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.' *Zanch.*

Optimus quisque facere, quam dicere, et sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat] Illa *et* copula non est in mss. codicibus, ac majore cum gratia his abesse poterit. *Rivius.*

Cap. 9. *Jus bonumque apud eos*] Tacit. de Moribus Germ. 'plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.' *Ciaccon.*

Jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat] Vide D. Augustinum de Civ. Dei II. 18. *Manutius.*

Discordias, iras] Postrema vox in meo codice non legitur. *Ciaccon.*

Jurgia, discordias, simultates] Editiones natæ intra annos triginta, voce amplius; *Jurgia, discordias, iras, simultates:* eam ejeci; quod abesset antiquitus cusis omnibus, nec in ullo conspiceretur manuscriptorum, nisi Pal. duodecimo, scripto cIↃ CCCC XLVII. *Gruterus.*

In suppliciis Deorum magnifici] Pal. tertius et nonus non expresserunt vocem *Deorum*. Ignorantia credo significationis antiquæ. *Idem.*

In suppliciis Deorum magnifici] *Supplicia* pro hostiis et sacrificiis capit. Et alibi sæpe Tacit. 3. 'Sed tunc supplicia Diis ludique magni a Senatu decernuntur.' Vide Nonium. *Ciaccon.*

In suppliciis deorum magnifici] Apud Romanos mulctæ pecuniariæ certus fuit modus præfinitus, quem transcendere minime fas erat: quippe de mulctarum æstimatione tam a consulibus, quam a Trib. pleb. sæpe Senatusconsulto, sæpe populi rogatione cautum fuit: quibus maxima erat mulcta, trium millium et viginti assium, quia plus triginta bobus et duabus ovibus quempiam mulctari non decebat: æstimaturque bos centum assibus, ovis vero decussibus: minima vero, ove taxabatur una. Sæpius vero Romani reges homicidii conscios arietis damno mulctabant, quem in sacrificiis deorum expendere solebant: siquidem, prisca paupertas ex noxiorum bonis sacra diis fecisse fertur, quare *supplicia* dicta sunt. Festus vero Pomp. inquit: 'Supplicia veteres quædam sacrificia a supplicando vocabant.' *Zanch.*

Quarum rerum, &c.] Hunc locum, quicquid dicant alii, hoc pacto intelligendum existimo quasi dicat Sallustius: Cum leges vel imperatorum essent edicta, ut qui contra imperium in hostes pugnassent, quique tardius excessissent e prælio, cum signum receptui datum esset, mulctarentur: cumque item leges essent, quæ ab iis qui signa aut locum assignatum deseruissent, pœnas repeterent: tamen sæpius ob audaciam damnati sunt, qui injussu imperatoris pugnassent, quique serius se receperant a pugna, quam qui ob ignaviam signa aut locum non tutati sunt. Et est probatio audaciæ Romanorum in bellis. *Cast.*

Quod in bello sæpius] Dictiones, *in bello*, abundare existimo. *Ciaccon.*

Quod in bello sæpius vindicatum est in eos, &c.] Ita Mss. tredecim, nisi quod absit Pal. tert. *in bello:* male, puto. Ceterum verbis istis hic est sensus: si numerus ineatur utriusque criminis, compertum iri, sæpius impunitate donatos eos qui signa reliquerunt, qui loco cesserunt; quam qui contra imperium pugnarunt, aut tardius prælio excesserunt. Frequenter enim veniam datam prioribus illis; postremis, fere nunquam. Falluntur qui aliter interpretantur, ac frustra descendunt ad conjecturas: quorum e numero aliquando et ego; conjectans legendum *severius*. Gruterus.

Vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant] Manlium Torquatum intelligit, de quo sic idem infra: 'Apud majores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit.' Et Porcius Latro declamat. in Catilinam. *Manut.*

In hostem pugnaverant] Reperit idem inferius: 'Quod his contra imperium in hostem pugnaverat:' et in declamatione Porcii Latronis in Catilinam; et Claudius in Annal. apud Gellium XVII. 2. 'In Gallos pugnare:' unde et XVII. 21. de hoc ipso. *Ciaccon.*

Quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant] Quæ fuerit pœna eorum militum qui signa reliquissent, aut locum non tenuissent, do-

cent Polybius l. vi. Dionysius Halicarn. libro nono, Livius Decadis primæ libro secundo, et Cicero in oratione pro Cluentio. Signiferi enim centurionesque ac duplicarii virgis cæsi, securi percutiebantur: cetera multitudo, sorte decimus quisque, ad supplicium legebatur. Interdum pœna levior fuit, ut leges apud Valerium et Frontinum. *Cast.*

In pace vero beneficiis magis, quam metu] Manuscripta, *quod beneficiis magis:* rectene an secus, aliorum esto judicium. Opponit autem inter se, *in bello,* et *in pace,* ut non incommode utrobique addi videatur, *quod.* Sed et Aldinus codex illud habet. *Rivius.*

In pace vero] Pro his omnibus reponendam credo tantum dictionem, *et. Et quod beneficiis.* Ciaccon.

Accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant] Sic infra: 'Magis quod se dignum foret, quam quod in illos jure fieri possit, quærebant.' Sic D. Augustinus Epist. v. ad Marcellinam de urbe Roma loquens: 'Dignum esset exsurgere civitatem quæ tot gentibus imperitaret: quod accepta injuria ignoscere quam persequi malebant.' Cicero Tusc. v. 'Accipere quam facere præstat injuriam.' Quam sententiam videtur sumsisse ex Platone in Gorgia; cujus hæc sunt: Οὐ νόμῳ μόνον ἐστὶν αἰσχρὸν τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ φύσει. *Manutius.*

Cap. 10. *Reges magni bello domiti*] Ut Syphax, Philippus, Antiochus, Perses, Mithridates. *Cast.*

Nationes feræ] Ut Thraces, Galli, Hispani. Natio est genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt. Festus. *Idem.*

Carthago æmulæ imperii Rom.] 'Per annos 115. aut bellum inter Romanos et Carthaginienses, aut belli præparatio, aut infida pax fuit,' ut inquit Paterculus. Plin. vero Nat. histor. xv. 18. tradit, per annos 120. de terrarum orbe æmulam Carthaginem fuisse. Secundum Livium, a 1. anno 1. belli Punici, ad initium 3. (quod intra quintum annum, quam cœptum erat, perfectum est) fuerunt anni centum. Libro enim 49. initium tertii belli Punici, altero et 600. anno ab U. C. fuisse scribit, et infra sic inquit: 'Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno 1. primi Punici belli, quingentesimo et altero anno ab Urbe condita facti erant.' Nos autem, si sequamur Consulum seriem, adhærebimus Plinio. Porro Carthago Pœnorum lingua dicitur nova civitas, ut ex auctoritate Livii docet Servius. Solinus c. 30. ita scribit: 'Sed quæ super Carthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Urbem istam, ut Cato in oratione Senatoria autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Elissa mulier extruxit, domo Phœnix, et Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. Mox sermone verso in verbum Punicum, et hæc Elissa, et illa Carthago dicta est.' Hactenus ille. Græce Carchedon, a conditore dicta est. Vide Appian. in Libycis, Euseb. in Chronicis, et Stephanum de urbibus. *Cast.* Hebræis quoque קרת civitas, aliisque Orientalibus Cartha. Unde et Tigranocertha, quasi Tigranis civitas.

Carthago] Strabo l. xvii. 'Carthago,' inquit, 'in peninsula quadam jacet, quæ ambitum habet stadiorum trecentorum et sexaginta, muro cinctum: cujus sexaginta stadiorum longitudinem jugum occupat, quod a mari in mare descendit, ubi Carthaginiensium elephantes stabula habebant, qui locus amplissimus est. In media fere urbe arx fuit, quam Byrsam vocaverunt: supercilium satis erectum est, circumcirca habitatum. In ejus vertice Æsculapii templum erat, quod Asdrubalis uxor, capta urbe, secum concremavit.' *Zanch.*

Æmula imperii] Sic Plin. 'Carthago

illa Romani Imperii æmula, terrarum orbis avida.' *Ciaccon.*

A stirpe interiit] Deleta est Carthago a P. Scipione Africano Æmiliano, septingentesimo anno quam condita fuerat: ut volunt Livius, Orosius, et Eutropius. Paterculus vero: 'Carthago diruta est,' inquit, 'cum stetisset annis 667.' Euseb. in Chronic. duas affert opiniones, quarum prior non longe dissentit a Paterculo: altera vero dicit, Carthaginem stetisse annos 748.: cui opinioni accedit aliquantum Solinus, qui ait: 'Carthago post annos 737. exciditur, quam fuerat extructa.' Sed certe Orosius sibi constare non videtur, nam l. IV. c. 6. scribit, Carthaginem conditam fuisse ab Elissa, ante urbem Romam duos et septuaginta annos. Postea c. 23. ejusdem libri ait: anno ab urbe condita 603. vel 606. (nam utroque modo legitur) deletam esse. Verum eo pacto defendi potest, quod plerumque boni scriptores summatim tempus comprehendunt, non subtiliter annos computantes. Præterea tot sunt hisce de rebus opiniones, ut satius fortasse fuerit, eas silentio præterire, præsertim cum in omnibus fere codicibus numeri corrupti sint. *Cast.*

A stirpe interiit] In Mss. est, *ab stirpe*, idque rectius, ut opinor. *Riv.*

Cuncta maria terræque patebant] Legendum credo, *parebant:* sic infra: 'Cui (P. R.) cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent:' et supra: 'Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent.' Thucydides tamen lib. II. *in Orat. Periclis*, ἀλλὰ πᾶσαν μὲν θάλασσαν καὶ γῆν ἐσβατὸν τῇ ἡμετέρᾳ τόλμῃ καταναγκάσαντες γενέσθαι: *Sed omnia maria omnesque terras nostra audacia pervias fecimus.* Ciaccon.

Cuncta maria, terræque patebant] Ita Mss. omnes, ne quis temere auscultet Ciacconio substituere cupienti *parebant:* quomodo expressit editio Pomponii Læti, ac commentaria Omniboni Zanchiique. Videatur hic Colerus, ita tamen, ut ei fides minime adhibeatur, carpenti Turnebum; cui falso aliam affingit sententiam. Quod magnus ille vir a se non novit: nemo novit, nemo noscet: nedum aliquis qui omnia sua minima maxima, aut mendicorum more palam corrogat, aut furum clam sublegit. *Gruterus.*

Divitiæ optandæ aliis] Id est, quæ ab aliis optantur. Sic in Jugurth. 'Cui quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant.' *Ciacconius.*

Ea quasi materies omnium malorum fuere] Multus est in hoc nomine Tacitus, ut l. I. 'Ea vetustissima militaribus odiis materies,' et sæpe alias. *Ciaccon.*

Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artis subvertit] Legendum, *ceterasque artis bonas:* ut sequatur adjectivum. Atque ita fere codices habent in membrana descripti; nec non vetustissimus quisque ex impressis. *Rivius.*

Deos negligere] Manuscriptum *neglegere*, veteri more. *Rivius.*

Deos negligere, omnia venalia habere] Thucydides l. II. χρήμασι δὲ νικώμενον τὰ σύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο. *Manut.*

Ambitio multos mortales falsos fieri subegit] Legendum, *multos mortaleis.* *Subegit* autem, pro *coëgit* positum est. Sic Tacitus sæpe, 'vi amoris subactus.' Et 'Operas arenæ promittere subegit.' Sed et Livius, 'Qua subactus injuria,' inquit, 'contra P. R. bellum tam infesto animo suscepisset.' Virg. IV. 'Castigatque auditque dolos, subigitque fateri.' *Rivius.*

Ambitio multos mortales falsos fieri subegit] Servius, recitans hunc locum in Virg. Georg. I. *coëgit*, non *subegit*, videtur legisse. *Manut.*

Aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua, habere] Sic Cælius de Pompejo Famil. l. VIII. Ep. 1. 'Quam

orationem habuerit tecum, quamque ostenderit voluntatem (solet enim aliud sentire et loqui, neque tamen tantum valere ingenio, ut non appareat, quid sentiat) fac mihi perscribas.' Et Terentius Eunuch. act. IV. sc. 4. 'Modo ait, modo negat.' Homerus etiam Il. IIX. Ἔχθρος γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν, Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει. *Manut.*

Aliud in lingua promptum habere] Hæc est positura codd. meliorum editionumque priscarum: nam recentes, *aliud promptum in l. habere.* Parum quidem videtur referre hac ne an illa collocatione efferamus; sed contra est: sicut enim collo columbino alius atque alius oritur color, prout circumagitur, ita etiam hic. *Gruterus.*

Amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare] Fronto hæc recitat in verbo, *Æstimo*, omissa copula *que*; licet parva sint, nec ad sententiam quidquam afferant, notanda tamen censui. *Manut.*

Ubi contagio quasi pestilentia, &c.] Videtur Charisius hæc recitare ex primo Historiarum: ejus enim sunt verba l. I. 'Contagium, veteres magis usurpaverunt. Sed Sallustius maluit dicere primo: ubi contagio,' &c. Eadem verba recitat et Nonius Marcellus ex Sallustio: nec tamen locum nominat. *Idem.*

Civitas est immutata] Τὸ *est*, non habet exemplar Fabricianum, et elegantius abest, præsertim cum paullo post sequatur, atque huc idem referri possit; tametsi in manuscripto quodam neutrubi ponitur *est.* Rivius.

CAP. 11. *Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtuti erat*] In manuscriptis duobus est, *propius virtutem erat.* Sic Livius IV. ab U.C. 'Propius est fidem, obstringi Fidenatium populum conscientia tanti sceleris voluisse:' pro *verisimilius est.* Sensus autem hic est, ambitionem minus esse a virtute remotam (nam est in bonis etiam studium et cupiditas honorum) quam avaritiam. Sed et prior lectio bene sane habet, *propius virtuti;* pro, cum virtute junctius, vel magis affine virtuti. Nam sic in Officiis Cicero, 'Quæ virtuti propiores sunt,' inquit. Verum Priscianus l. XVIII. 'propius virtutem' legit: et subdit ibidem hoc ex Jugurtha exemplum 'propius mare Africum agitabant.' Aur. Augustinus in V. de Civitate Dei, 'proprius virtuti' legit; nec id esse librarii vitium, ex insequentibus ibidem intelligi potest. *Idem.*

Sed primo magis ambitio quam avaritia] Ut supra dixerat: 'Igitur primo pecuniæ, deinde imperii cupido crevit.' *Ciacconius.*

Propius virtuti] *Virtutem* scriptum est apud Frontonem, qui hæc recitat in *Propius*, et Priscianum l. XVII. quamvis Augustinus *virtuti* videtur legisse, nisi sunt mendosi codices. Et sane sic idem Sallustius locutus in Jugurtha: 'Propius mare Africum agitabant:' item; 'Propior montem cum omni equitatu, et peditibus dilectis suos collocat:' quanquam in Fulvii Ursini libro litteris superscriptis legitur, *Monti:* cum antea tamen fuisset, *Montem.* Et Livius IV. 'Propius est fidem, obstringi Fidenatium populum conscientia tanti sceleris voluisse:' id est, *verisimilius est.* Manutius.

Propius virtutem erat] *Propius virtuti*, vulg. Meus liber, *Propius virtuti est.* Cicer. II. Offic. 'prius de iis rebus, quæ virtuti propiores sunt, diximus.' *Ciaccon.*

Nam gloriam, honorem, imperium, bonus et ignavus æque sibi exoptant] Quanto melius in vetustis quibusdam, *bonus, ignavus*, omissa copula; id quod breviloquentiæ Sallustianæ magis hic convenit. Leve hoc, sed non ideo prætereundum. *Rivius.*

Sed ille vera via nititur] In quibusdam, *vera nititur via.* Id mihi rectius

esse videtur. *Idem.*

Huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit] In Ms. quodam, ex bibliotheca Merseburgensi, legitur, *Hic quia, &c.*: ut ad verbum *contendit* referatur; sed prior lectio melior. *Idem.*

Avaritia pecuniæ studium habet, &c.] Cato in libro inscripto Carmen de moribus, apud Gellium XI. 11. 'Avaritiam,' inquit, 'omnia vitia habere putabant.' Vide Gellium III. 1. *Manutius.*

Venenis malis imbuta] Sic infra: 'animus imbutus malis artibus.' Liv. XXXIX. 'Illius excetræ delinimentis et venenis imbutum.' *Ciaccon.*

Venenis malis] Recte adjunxit epitheton: namque, ut ait Cajus de Verb. sign. 'Qui venenum dicit, adjicere debet, malum an bonum sit: nam et medicamenta venena sunt.' *Castil.*

Corpus virile animumque effeminat] In vetustis, *corpus animumque virilem*, quomodo et Gellius citat, nec secus manuscripta: estque hæc collocatio verborum melior. *Rivius.*

Sed postquam L. Sulla] Ostendit superius, avaritiam esse deteriorem ambitione: propterea quod ambitiosi homines tam boni quam mali invenirentur, eo quod ferme omnes laudis, et gloriæ, et imperii cupidi essent: in hoc tamen differre videntur, quod bonus vera virtutis via ad honorem accedit, malus autem dolis et fraudibus honores consequitur. Nunc autem dicit, multo perniciosiorem rempublicam evasisse tempore C. Marii et L. Sullæ. Hic L. Sulla fuit, qui bellum civile contra Marium gessit: in quo quidem bello multas clades Populo Romano uterque edidit, sicut apud Valerium et alibi habetur plenius. *Vall.*

Bonis initiis] Meus liber, *bonis inceptis.* Ciaccon.

Bonis initiis malos eventus habuit] Nam L. Cornelius Sulla a partibus Reipublicæ stetit, eique virtute sua multum profuit. Socialis belli incendium extinxit; Mario se opposuit. Consul Asiam sortitus Mithridatem apud Orchomenum et Chæroneam prælio fudit, Archelaum ejus præfectum vicit, ipsamque Athenarum urbem obsedit, cepitque, Portum Piræeum recepit, Medos, Dardanosque, in itinere superavit: Cinnæ dominationem fregit; Carbonem Italia expulit, et, ut paucis absolvam, omnia tuendi Senatus gratia, publicæque utilitatis caussa, agere videbatur. Tandem vero Rempubl. occupavit, tyrannidemque in cives Romanos exercuit. Hinc Florus in epit. Liv. lib. LXXXVIII. 'Recuperata,' inquit, 'republica pulcherrimam victoriam crudelitate (quanta in nullo homine unquam fuit) inquinavit, octo millia deditorum in via publica trucidavit; tabulam proscriptionis posuit, urbem, et universam Italiam cædibus replevit,' &c. Et Valerius Maximus IX. 11. 'L. Sulla,' inquit, 'quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest, qui dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano; dum sævitiam exercet, Annibalem repræsentavit. Egregie namque auctoritate defensa crudeliter totam urbem, atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit.' Vide etiam Plutarch. in vita Sullæ. *Benn.*

Fœda crudeliaque in civis facinora facere] Hinc Sallustius, in Orat. ad Cæsar. II. 'An illa,' inquit, 'quæ paullo ante hoc bellum in Cn. Pompejum victoriamque Sullanam increpantur, oblivio abstulit? interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neque in prælio, belli jure, sed postea supplices per summum scelus interfectos, plebem Romanam, in villa publica pecoris modo conscissam, heu quam illa occulta civium funera! et repentinæ cædes in parentum aut liberorum

sinum! fuga mulierum, et puerorum, vastatio domorum! Ante partam a te victoriam, omnia sæva, atque crudelia erant.' Et Florus III. 21. Lucanus l. II. bell. Civil. 'Quid sanguine manes Placatos Catuli referam? cui victima tristes Inferias Marius, forsan nolentibus Umbris Pendet, inexpleto non fanda piacula busto,' &c. Et aliquantulo post Senatorum nobilium civiumque cædes concludit: 'Ut scelus hoc Sullæ cædesque ostensa placeret, Agnoscendus erat. Vidit fortuna colonos Prænestina suos cunctos simul ense recisos, Unius populum pereuntem tempore mortis. Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus Concidit, et miseræ maculavit ovilia Romæ.'

Exercitum quem in Asia ductaverat] *In Asiam* habet liber meus, ut infra: 'Sed is Piso in provinciam iter faciens.' Vide ad hunc locum Livium l. XXXIX. 'Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est: ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, et quæ tum magnificæ suppellectilis habebantur, monopodia, et abacos Romam advexerunt. Tunc psaltriæ sambucistriæque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Epulæ quoque ipsæ et cura et sumtu majore apparari cœptæ. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, et æstimatione et usu, in precio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Vix tamen illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ,' &c. *Ciaccon.*

In Asia] Asia omnibus libidinum illecebris repleta est: ut ait Titus Livius l. XXXIX. Indeque Romanam luxuriam ortam fuisse testatur etiam Plinius XXXIII. 11. 'Asia,' inquit, 'primum devicta, luxuriam misit in Italiam. Siquidem C. Scipio transtulit in triumpho argenti pondo millia quadringenta et quinquaginta, et vasorum aureorum pondo centum millia, anno Urbis conditæ quingentesimo sexagesimo quinto. Eadem Asia domita, multo etiam gravius afflixit mores, inutiliorque victoria illa hereditas Attalo rege mortuo.' Et Justin. l. XXXVI. 'Sic Asia facta Romanorum, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.' Ex quibus apparet convenire in hoc omnes, quod primum Romani luxuriam ab Asiaticis didicerint, in hoc non item, Sulla exercitum ductante. *Coler.*

Quo sibi fidum acceptumque faceret] Τὸ *acceptum*, non est in manuscriptis neque impressis paullo vetustioribus. Sed nec sensus ipse postulat, atque adeo potius, si quid est in me judicii, prorsus respuit ac repudiat. Nam exercitum Sulla, quod luxuriose nimisque liberaliter haberet, fidum sibi fecit, seque ipse militum animis carum acceptumque, non exercitum sibi reddidit. Quis enim est ita umquam locutus, nisi abusum hac voce Sallustium dicere ausis, pro eo quod est, *obnoxium?* Rivius.

Liberaliter] Licenter: quia omnia quæcunque libuisset, committere patiebatur Sulla, sive honesta, sive turpia fuissent. *Vall.*

Vasa cælata] Cælata proprie dicuntur vasa aurea vel argentea, in quibus signa vel sigilla intus aut extraëminentia expressa sunt, quæ sola cælo fieri non torno possunt. Quintilianus sculpturam a cælatura materia tantum distinguit III. 21. his verbis: 'Et cælatura, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit: nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, etiam complectitur.' Sane sculptor marmoris dicitur, non cælator, ut contra cælatura auri et argenti, non sculptura. Et sculptura quidem æque ac cælatura figuras extantes facit, sed in ligno, marmore, ebore et gemmis operatur, cælatura in auro, argento et ære. Virgilius tamen

lignum dixit cælatum pro sculpto, improprie, sed Poëtice. Alii tamen cælata tecta de laquearibus dixere. Gemmas cælatas non legimus apud auctores, sed sculptas aut scalptas. Rursus hic distinguunt sculpturam a scalptura. Quas gemmas sculpi notat Quintilianus, figuras in his extantes fieri et ectypas intelligit, ut in ebore, ligno et marmore quod sculpitur: at de his quæ ad signandum cavantur scalptura proprie ut diceretur, usus loquendi obtinuit; licet origine ac significatione idem sit quod sculptura. *Salmas.* Vide Aldum Manut. I. 9.

Hi milites postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere] Æque bene procederet oratio, recisis vocibus aliquot, *hi milites, victoriam adepti, nihil, &c.* Gruterus.

Nihil reliqui victis fecere] Id est, omnia illis abstulere: sic infra 37. 'capta urbe, nihil reliqui fit victis.' *Ciaccon.*

Quippe secundæ res sapientum animos fatigant: nedum illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent] In Mss. atque aliis rectius, *ne illi corruptis moribus:* pro, tantum abest, ut illi corruptis moribus victoriæ temperarent, hoc est, victoriæ moderarentur, neque nimis eam crudeliter exercerent. Eodem modo et illi veteres citant, velut Priscianus XVI. de conjunctione agens, licet is vim hujusce particulæ, *Ne*, parum intellexerit, qua Sallustius est pereleganter usus, quomodo et Plautus, 'Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existumes.' Livius III. ab U. C. 'Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium:' pro tantum abest, ut nunc desiderium ferant. Idem tamen Priscianus, velut oblitus eorum quæ semel dixerat, super XII. versus Æn. *Nedum* hic legit, quo loco docet *Dum* pro conjunctione repletiva accipi, subjiciens hoc exemplum Terentii, 'Sosia adesdum,' et mox Sallustii, 'Nedum illi corruptis moribus:' et quæ sequuntur. Didymum, quem quatuor millia librorum scripsisse ferunt, ut alicubi testatur Seneca, certe quo nemo plura scripsit, si quid Fabio credimus, hunc memoria lapsum alicubi esse, et historiæ cuidam quam suis ipse libris inseruisset, tamquam vanæ repugnasse, quid jam mirum cum Priscianus paucis in libris, quid ante dixerit, non commeminerit satis? Jam quamvis quibusdam in exemplaribus, ut et Merseburgensi, *sapientum* legatur, sublata per syncopam e medio littera, tamen Augustinus *sapientium* legisse videtur, ni sint mendosi codices. Nam l. XVI. de civitate Dei de Solomone loquens, et hunc Sallustii locum imitans, 'Hic,' inquit, 'bonis initiis, malos exitus habuit, quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerint, quam profuit ipsa sapientia.' Nec aliter a veteribus citatur, et in tribus Mss. eodem modo reperi. Quin etiam in vita Claudii Trebellius Pollio, eodem modo repetit. 'Plerique,' inquit, 'milites Claudii secundis rebus elati quæ sapientium quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt,' &c. Sed et perperam quidam *obtemperarent* hic legunt, contra et exemplarium fidem, et sensum. Tametsi eodem modo Merseburgense, et Florentinum quoddam. Corn. Tacitus XIX. 'Qui nuper Bebriaci victoriæ temperassent,' inquit. *Rivius.*

Quippe secundæ res sapientium animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent] Sic Demosthenes in Orat. contra Leptinem: *ἀλλ' οἶμαι τὸ μέλλον ἄδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίνονται· διὸ δεῖ μετριάζειν ἐν ταῖς εὐπραξίαις καὶ προορωμένοις τὸ μέλλον φαίνεται.* *Manutius.*

Quippe secundæ res] Cat. in orat. pro Rhodiensibus, teste Gellio VII. 3. 'secundæ res lætitia transversum trudere solent a recte consulendo at-

que intelligendo.' Hoc ergo est, 'sapientum animos fatigare.' *Ciacconius.*

Cap. 12. *Postquam divitiæ honori esse cœperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur*] Veteres Romani virtute ad imperium viam sibi muniebant: nunc vero conviviis gratiam quærunt, et pecunia potentiam. Hinc Seneca l. II. declam. sive controv. 1. 'Senatorum,' inquit, 'gradum census ascendit: census in castris ordinem promovet: census in foro judices legit.' Unde Ovidius conqueritur lib. III. amor. 'Curia pauperibus clausa est, dat census honores: Inde gravis Judex, inde severus Eques.' Ut passim auctores alii.

Innocentia pro malivolentia duci cœpit] Meo animo abundat *cœpit*: tanto quidem magis quod proxime antecesserit, 'divitiæ honori esse cœperunt.' *Gruterus.*

Avaritia cum superbia invasere] Maluissem ego, *invadere*: infinitivo pro imperfecto. *Idem.*

Avaritia] Nam cum bona tua profuderis explendæ cupiditatis causa, necesse ut divitias congregare studeas, et ita nascitur avaritia.

Pudorem, pudicitiam] Hic addunt quidam scripti libri, *Pro nihilo haberi*: sed prior lectio ferri potest: habet enim nec obscuram, et satis commodam sententiam. *Manut.*

Pudorem, pudicitiam] Sic de republ. ordinanda; 'Ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia.' *Ciacconius.*

Nihil pensi, neque moderati habere] In manuscriptis duobus, *atque moderati*: sed eodem omnino sensu. Est in Argentoratensi, *nihil pensi, nihil moderati habere*, quæ et ipsa mihi lectio probatur, non mehercule minus, ac utravis superiorum. In Veneto legitur, *nihilque moderati*: quomodo in aliis quoque nonnullis. Quid multis? ut codicum fidem in pergamenis descriptorum libenter sequor, ita lectionem etiam comprobo pervulgatam, quam et Badianum et Gymnici exemplar habet; ubi illud observandum tamen, negationem plane superesse, eaque detracta eundem manere sensum, ita ut et alias sæpe. Sallustius in Jugurthino, 'Nihil pensi,' inquit, 'neque sancti habere.' Hic ut nulla sit in posteriore loco negatio, tamen sensus integer erit. Idem eodem in libro, 'Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur.' *Rivius.*

Nihil pensi] Frequens nimis est in hac translatione Sallustius, nec minus Tacitus. Nonius, 'Pensum,' inquit, 'significat exæquatum: quod sine inclinatione sunt quæ penduntur.' Lucil. l. XXVIII. 'Nihil parvi ac pensi.' *Ciacconius*: sic et *Ursinus.*

Cum domos atque villas cognoveris in urbium modum ædificatas] Manuscripta volumina, *exædificatas*: nec secus exemplar Beroaldinum: utraque lectio probe quadrat: verbo *exædificare* non semel Cicero utitur. *Rivius.* Sic etiam Pall. Codd. addita præpositione *ex*. *Gruter.*

Cum domos] Plinius XXXVI. 15. de luxuria Romanarum ædium loquitur. Vide quoque Valer. Maximum IX. 1. *Zanch.* De Milonis amplis ædibus et quanti constiterint, vide Budæum de Asse l. III.

Atque villas] Adeo enim Romanorum luxuria creverat, ut ingentes profunderent pecunias in villis ædificandis. Valer. Max. VIII. 1. et Horat. l. II. in luxuriam seculi invehens, sic ait: 'Jam pauca aratro jugera regiæ Moles relinquent, undique latius Extenta visentur Lucrino Stagna lacu.' Et Strabo l. V. 'Nunc vero plus in ædificandis domibus, villarumque magnificentiis consumitur, quibus regiæ ritu Persarum apparantur:' et Cicero in oratione pro Milone: 'Ante,' inquit, 'fundum Clodii, quo in fundo propter insanas illas

substructiones facile mille hominum versabatur valentium.' *Zanch.*

Villas] Ut fuit villa Luculli in Tusculano, et juxta Neapolim: item Clodii, et Gabinii, et aliorum, ut est apud Cic. l. III. de Leg. in Orationib. pro Milone, et pro Domo sua ad Pontifices. *Castil.*

In urbium modum] Ita et Seneca Ep. XCI. domos habuisse instar urbium dixit. Alibi audacius de Benefic. VII. 10. agnoscit et increpat ædificia privata laxitatem magnarum urbium vincentia. Olympiodorus in Bibliotheca Photii testatur ipsas domos continuisse circum, fora, templa, fontes, balnea; ita ut revera una domus urbs esset. De quo luxu etiam Martialis l. XII. Seneca Epist. CXXIII. et Lips. de Mag. Rom. l. III. cap. ultimo.

Visere templa Deorum] Templa Deorum solent sumptuosioribus ædificiis constitui, quam domus privatorum; et tamen ad eam libidinem pervenerunt homines ætatis nostræ, ut nunc sibi ædes ædificent, quæ sunt multo sumptuosiores quam Deorum templa. *Vall.*

Domos suas gloria decorabant] Cic. ubi de M. Marcello, L. Scipione, Flaminio, L. Paulo, L. Mummio, summis Imperatoribus egisset, concludit: 'quorum domus cum honore et virtute florerent, signis et tabulis pictis erant vacuæ.' Unde et in Verrem IV. ita loquitur Princeps Romanæ eloquentiæ de Marcello: 'Romam quæ asportata sunt ad ædem Honoris atque Virtutis aliisque in locis videmus, nihil in ædibus, nihil in hortis posuit: nihil in suburbano: putavit si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam ornamento urbi futuram.' *Grasw.*

At hi contra, ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores reliquerant] In vetustioribus quibusdam est *hostibus reliquerant*. Est enim perperam hic Dativus in recentioribus omissus, ni fallor: nam *hostes* opposuit sociis, *fortissimos viros* ignavissimis hominibus, *relinquere* denique τῷ *adimere*, saluti victoriam. *Rivius.*

Quæ fortissimi viri victores reliquerunt] Legendum contenderim, *Quæ fortissimi viri victis reliquerant*, vel *victores victis reliquerant.* Comparat enim fortissimos viros cum ignavissimis, socios cum victis, atque ea quæ fortissimi viri victores victis reliquerant, ea ignavissimos a sociis per scelus auferre. Cicero in Verr. in eandem sententiam multa: ut illud; 'Nemo fere vestrum est, quin quemadmodum captæ sunt a M. Marcello Syracusæ, sæpe audierit, nonnunquam et in Annalibus legerit: conferte hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidinem, illius continentiam: ab illo qui cepit, conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.' Et item illud: 'Nimirum hæc forsitan illi mirantur, atque efferunt. Esto, verumtamen honestius est reipub. nostræ, Judices, ea quæ illius pulcra esse videantur, Imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam prætorem in pace abstulisse.' *Ciacconius.*

Quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant] Ita meliores mss. Pall. etiam Bongarsianæ margines; non *reliquerunt*, quod mediæ ætatis editiones tantum obsidet, non etiam antiquiores. *Gruterus.*

Perinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti] Legendum e manuscriptis, *proinde quasi*: nam ita fere veteres, ut est in Terentio Plautoque videre, nec raro apud Ciceronem, atque alios. *Rivius.*

Cap. 13 *Maria contracta esse*] Libuit novam introducere lectionem, sed auctoribus libris: ita enim legas in Pal. tert. allusitque et Pal. sept. in quo *constracta*; et meus Com. in quo tan-

tum, *contra esse:* quod non nemini etiam salivam movere poterat; vix mihi; cui in oculis Horatianum: 'Contracta pisces æquora sentiunt Jactis in altum molibus.' In mss. aliis visitur, partim *constricta*, partim *constrata*. neutrum male, certe neutrum falso; nisi adblandiretur magis scriptura quam posui. Utrumque expressit Petronius versu uno: 'Expelluntur aquæ saxis; mare nascitur arvis.' Alterum iteratur infra c. xx. 'Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari, et montibus coæquandis,' &c. Sed ne quid dissimulem, neque ibi videtur id verbi sincerum: nam non *unum* tantum extruebant *mare*, sed alia atque alia, itaque conjeci olim *excludendo*. Quod tamen metuo, ne nasutioribus probem, quibus in memoria esse potest, Valer. Maximus IX. 1. Plinius IX. 54. aliique. *Gruterus.*

Constrata] Ita habet Fulvii Ursini liber, impressam tamen lectionem *constructa* non improbo. Dixit enim idem Sallustius infra: 'divitias profundere in exstruendo mari et montibus coæquandis.' Vide Plin. IX. 54. *Aldus Manut.*

Maria constrata] Sicut etiam Lucullus dicitur fecisse Neapoli, ubi prædia sua habebat: dicitur enim fecisse ædificia ingentia, et amœnitate omnibus præstantia, quæ usque in medium mare porrigebantur: ita ut ubi maria inerant, ibi stratum erat solum, velut in terra continenti fabricasset. *Vall.*

Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiæ] Sic disposuerant voces membranacei: antea erat, sono minus amœno; *quibus mihi ludibrio videntur, &c.* Gruterus.

Abuti per turpidinem] Ita rursus omn. mss. ordine verborum alio: neque secus edd. vett. *Gruterus.*

Sed lubido stupri, ganeæ, ceterique cultus non minor. incesserat viros pati muliebria] Jure miremur Criticorum dissimulationem; nam hactenus fere lectum: *Sed libido stupri, ganeæ, ceterique cultus non minor incesserat. viri pati muliebria, &c.* at sic nulli prorsus mss. nulli impressi ante editionem Læti. Omnes quippe repræsentare uno ore lectionem primam: quam etiam extare in Romano codice indicavit Ursinus: qui aliter tamen hæc construit, ob distinctionem positam non suo loco. Interim haud negaverim, non posse isthæc alia interpunctione accipi, ut dicatur, *Incessisse viros lubido patiundi muliebria, &c.* Id.

Ganeæ] 'Ganeones,' ut ait Non. Marcell. 'a ganeis dicti sunt, quæ sunt loca vinolentiæ et libidini apta.' Varro Grammaticus: 'Hoc interest inter Epicurum et ganeones nostros, quibus modula est vitæ culina.' Cic. in 2. in Catilinam. *Zanch.*

Ganeæ] Ganeum, Græcorum γάνος, a γάνυσθαι, non a subterraneis cryptis, ut Grammatici: J. Cæs. Scaliger Exercit. 31. sect. 2. γάνος a Chaldaico גנה convivari, mensæ accumbere, ut *Guichardus* docet, vel a ענג delicate vixit aut jucunde. Hadrianus Turnebus XX. 33. inquit, 'ganeum dicitur fornix, γήνειον, nam η Latini in *a* sæpe mutant, et ει in *e* breve, ut *gynæceum* apud Terentium penultima brevi, γυναικεῖον. Cyclopeus apud Virgil. κυκλώπειος. Conopeum apud Horat. quod est κωνοπεῖον.'

Ceterique cultus] Id est, vestitus. Apposite Plinius l. IX. Natur. Hist. c. 35. 'parum scilicet fuerat, in gulas tendi maria, nisi manibus, auribus, capite, toto corpore a fœminis juxta virisque gestarentur.' Seneca l. VII. de Benef. c. 9. ubi de luxu suorum temporum conqueritur, bina ac terna patrimonia auribus singulis pependisse testatur.

Cultus] Cultum accipimus pro elegantia, quæ apud veteres pro vitio sæpius reponebatur: quod Catonis

auctoritate probat Gellius, scribens elegantiam, sed quæ minus læto amœnoque cultu esset. Cultus ad hoc apud veteres nunc in bonam, nunc in malam partem accipiebatur. Horatius: 'Mundus erit, qui non offendet sordibus, atque In neutram partem cultus miser.' *Bonon.*

Non minor incesserat] Meus liber, *non minus;* ut in Orat. Lepidi, 'homines maxumi nominis, non minus optimis majorum exemplis:' et Tacit. Annal. 13. 'Non minus insignis eo anno impudicitia:' idem tamen l. III. 'Hinc,' inquit, 'Gracchi et Saturnini, turbatores plebis, nec minor largitor nomine Senatus Drusus:' et in eodem ms. lib. paulo post est, *viros pati muliebria. Ciacconius.*

In propatulo habere] Et mulieres habere pudicitiam, id est, castitatem conjugalem: in propatulo, id est, omnibus expositam, quasi in prostibulo: ita ut sola casta sit, quam nemo petivit. *Bad.*

Terra marique omnia exquirere] Huc facit Petronius Arbiter: 'Ingeniosa gula est; Siculo scarus æquore mersus Ad mensam vivus deducitur: inde Lucrinis Eruta litoribus vendunt conchylia cœnis, Ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda Orbata est avibus, mutoque in litore tantum Solæ desertis aspirant frondibus auræ.' Eadem Seneca queritur consolat. ad Helviam, c. IX. 'Quin et illorum gulæ angustus erat orbis noster. Namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, ut loquitur de prioribus temporibus Latinus Pacatus in Panegyrico.' *Lipsius.*

Non famem aut lassitudinem, non sitim, neque frigus opperiri, sed ea omnia luxu antecapere] Lego ex manuscriptis, *non famem aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri:* quomodo item Aldinum exemplar. Est in duobus tamen manuscriptis, *non famem, non sitim &c.* quomodo codex quoque Beroaldinus. *Rivius.*

Neque opperiri] Id est, non expectabant.

Opperiri] Inusitatum *perior* cujus meminit IV. 8. Priscianus, idem est atque experimentum facio. Hinc periculum, i. e. tentamen: hinc experior, πεῖραν λαμβάνω, πειράω, reperio, tentando deprehendo: opperior, expecto, cupio periri, e regione observans. *Becm.*

Luxu antecapere] Frequenter utitur hoc verbo Sallustius et Tacitus, estque *prævenire* et *præcapere.* Ciaccon.

CAP. 14 *Catilina, id quod factu facillimum erat*] In Naz. et Pal. sec. initio fuerat, *actu:* vox ultima *erat,* supervacua videri queat. *Gruterus.*

Omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tanquam stipatorum catervas habebat] Quamvis eodem modo et Fabricianum volumen, tamen est in manuscriptis quibusdam, ut et Merseburgensi, *omnium flagitiosorum et facinorosorum;* id quod sensus quoque postulat. Porro speciatim mox recenset istos flagitiis et facinoribus coopertos, ut erant *impudici, adulteri, ganeones, decoctores, aleatores, parricidæ, sacrilegi, perjuri, convicti judiciis,* atque id genus alii: nisi quis forte ὑπερβολικῶς locutum Sallustium putet, vel auxesi usum, cum colluviem innuere hominum pessimorum vellet. Facit cum Merseburgensi Florentinum. *Rivius.*

Omnium flagitiosorum atque facinorosorum] Alii *flagitiorum atque facinorum,* legunt: ad eam formam qua *servitia, imperia,* pro *servis* ac *imperatoribus* dicimus: et *scelus* pro *scelesto,* apud Terentium. Sallustius etiam ipse fugisse videri poterat longissimorum verborum monstrosam illam enunciationem, nempe *flagitiosorum* ac *facinorosorum.* Exemplar tamen Gothi ita habebat, longiore illo syllabarum

tractu. Sed judicet Lector. *Glareanus.*

Flagitiorum atque facinorum] Ita etiam codd. nostri meliores, neque dubium quin ita scripserit auctor; non, *flagitiosorum atque facinorosorum.* Consulantur annotationes Glareani. *Gruterus.*

Flagitiosorum] Cicero 2. Invectiv. complur. flagitiosos nominat, qui cum Catilina familiarissime vixerint: licet idem in Orat. pro Cælio haud inficietur multos etiam probos et bonæ mentis adolescentes huic monstro studuisse: nisi tamen aliud ibi sentit, quam videtur: bonosque, factiosos, divites, nobilesque appellat. Sed Ciceronem simpliciter interpretari tutius et verius erit: quanquam idem *bonos* pro magnis non dubitavit usurpare in Verrinis, teste Asconio. *Coler.*

Stipatorum] *Stipare* est Græcis *στείβειν*, hinc *στίβος* densa acies, et *στῖφος* globus militum densus, turma; nisi a *στύφω*, quod est adstringo, et denso, nomen suum accepit. hinc enim et *στύπος* Latinorum stipes originem duxit. Atque hinc quoque stupor, stupeo. *Becmann.*

Adulter, ganeo, alea] Τὸ *alea* non est in Mss. *Rivius.* Addendum *aleo*, quod monuerunt alii, ut respondeat illi *manu*, et sic reperi in tribus scriptis. Nævius apud Festum, 'Pessimorum pessime, audax, ganeo, lurco, aleo.' *Putschius.*

Ganeo, manu, ventre, pene bona patria laceraverat] Aliæ editiones voce amplius, *pene, alea, bona, &c.* cujus vestigium nullum in innocentissimis libris, Com. Naz. Pal. sec. tert. quint. sed nec eodem loco visitur in ceteris: nam Pal. quartus positam habet loco ultimo; sextus, nonus, tertio: decimus, secundo; undecimus, duodecimus, primo: at quintus exhibet, *adulter, alea ganea, manu ventre &c.* quorum testimoniorum dissensu, ipsa sese prodit falsitas. Nimirum *alea* tunc temporis, appendicula erat majorum flagitiorum. Qui *aleo* infarciunt, ut respondeat *manu*, minus callent mores Romanorum. *Gruterus.*

Alea] Est tabula lusoria, quæ et latruncularia, et pyrgus, et alveus, et alveolus vocatur, rotunda illa tabella rotulæ instar, quæ movetur: hinc in proverbio est, 'Jacta est alea:' cum sic incœpta res est, ut desistere integrum non sit: quod Cæsar, trajecturus Rubiconem, usurpavit. *Zanch.* Ceterum in tabula lusoria, ut olim apud veteres, sic hodie apud nos, duplex præcipue ludus ludebatur, calculorum, quos et latrunculos dicebant, et tesserarum, quem et tabulæ lusum appellabant. Martialis: 'Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.' Duodecim enim lineis sive scriptulis tabula notata erat utrinque. Ex vario tesserarum jactu varie per scripta et lineas movebant; ac disponebantur calculi. Calculum autem reducere licitum non erat, nisi adversarius concederet. Tabulæ porro usum, hoc est; τὴν πεττείαν a Palamede inventum fuisse apud omnes constat. Quod cum dicimus, de hoc lusu debemus intelligere, qui tesseris calculisque constabat, et tabula in qua ludebatur, lineis multis distincta, per quas calculi movebantur ad tesserarum jactum. Ludus autem triginta calculis constabat, quindecim nigris et quindecim albis. Quanquam in antiquissimo Palamedis ludo uterque quinque tantum calculos haberet, et quinas lineas, in quibus statuebantur illi calculi. Inter illas alia quædam media ferebatur, quam sacram vocabant, ad quam qui pervenerat, ad incitas redigebatur. Neque tesseris, sed solis calculis hic res agebatur, ut Hesychius testatur. Apud Romanos tamen superior modus usitatus fuit, et ab Ægyptiis originem accepisse creditur, ut Plato in Phædro scriptum reliquit: nam πεττεία hæc cursum Solis ostendebat per duodecim Zodiaci signa, ut Eustathius monet. Tabulam

lusoriam marmoream in thesauro antiquarum inscriptionum ostendit Gruterus: quam tamen talem tabulam esse ignorarunt hactenus eruditi. 'Tabula autem,' inquit Isidorus, 'luditur pyrgo, calculis tesserisque.' Ex pyrgo sive turricula jaciebantur tesseræ in tabulam. Præter Pyrgum etiam ψηφοβόλον Joannes Antiochensis appellavit, per quod in pyrgum tali vel tesseræ conjiciebantur. Sed plerumque solo pyrgo contenti erant aleatores. Pyrgum quoque fritillum vocavit antiquitas, quanquam pro tabula lusoria eruditi habeant. Fritillum enim instrumentum est vel vasculum, in quo tesseræ fritinniunt, id est, juxta Nonium, cum sono subsiliunt concussæque agitantur. tesseras quod attinet, antiquissimi tribus utebantur, media ætas duabus, posterius ævum ad tres rediit. *Salmas.* Aleæ usus legibus vetitus, quod et Horat. l. III. carm. docet. Vid. tit. jur. de Aleat.

Bona patria dissipaverat] In mss. est, *laceraverat;* sicut et in impressis vetustiorib. pro, *patrimonium confecerat.* Quod ad sensum tamen attinet, prior lectio bene habet: nam et apud Ciceronem est, 'dissipare fortunas, disperdere et dissipare patrimonium.' *Rivius.*

Laceraverat] Legitur et *dissipaverat,* id est, disperserat. *Dissipare* enim est dispergere, ut pereat, vel ignominiæ causa. Porro, *laceraverat,* quidam auctoribus libris veteribus conantur emendare in *lancinaverat,* quo verbo Catullus usus est, nec non Plautus Arnobiusque. Tertull. quoque adversus Judæos, 'qui ante norunt lanceare, quam lancinare.' Glossarium. *lancinat,* κατακνίζει, sed et *lacerare* rectum erat. *Coler.*

Alienum æs grande conflaverat] Sic infra: 'æs alienum grande conflaverant.' Cicer. 'Conflare pecuniam,' dixit pro Sextio: 'Quæ ratio aut auferendæ, aut conflandæ pecuniæ.' Sed ibi aliud est. *Ciaccon.*

Alienum æs grande conflaverat] Pecuniam mutuo acceperat: et est naturalis locutio, quemadmodum honesta: nam qui æs alienum habet, multam pecuniam habebat mutuo, grande æs conflaverat. *Vall.*

Flagitium] Flagitium veteres vitium, quod virgini infertur, dici voluerunt, ut auctor est Non. Marc.

Ad hoc] Utuntur sæpe his pro *præterea,* Sallustius et Tacitus et Livius. *Ciacconius.*

Perjurio aut sanguine] Ita Commeus, ita quos excussit Bongarsius, ita novem de Palatinis duodecim. Unus enim destituitur copula solum, septimus et duodecimus habent *atque:* quod aliis quidem impense probatur, sed non etiam mihi. Neque enim video cur tali nexu minus respondeat, *perjurium* linguæ, manus *sanguini:* quid quod faciunt pro nobis Augustini Codd. scripti, quos consului omnes. *Gruterus.*

Manus atque lingua] Apposite ad hunc locum Augustinus III. 1. de Civ. Dei. 'Habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat. Quid enim aliud toties senatores corrupti in judiciis, toties populus in suffragiis, vel in iis causis, quæ apud eum concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabant? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut a sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque ceteris sceleribus adderentur.' *Colerus.*

Par similisque] Lacon aliquis vix requireret vocem *similis.* Gruterus.

Similisque ceteris efficiebatur] In Frontone, hæc recitante in verbo *Similis,* omissa est copula, *que:* et sane absque sententiæ detrimento abesse potest. *Manutius.*

Sed maxime adolescentium familiaritates appetebat] Hæc vera lectio, contra quam est in recentioribus libris, ubi supersunt quædam. Sic autem

codices habent in pergamenis descripti et ex impressis plerique. *Rivius.*

Nam uti cujusque studium ex ætate flagrabat] Est quidem in plerisque, *ut cujusque ingenium*, sed perperam, ut opinor; nam et *studium* est in manuscriptis et eodem modo Felicius Durantinus legit. Namque hunc sensum reddens, 'Ut eorum diversa studia perspexerat,' inquit, 'sic dissimili ratione in suam familiaritatem illexerat.' *Idem.*

Neque sumptui, neque modestiæ suæ parcere] Commelinianus non habet, *suæ*, neque admodum desidero. *Gruterus.*

Ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret] Naz. subductam habet linea vocem *quod*, et vero non agnoscunt etiam libri quos contulit Bongarsius, non Commelinianus meus, non Pal. tert. quart. sext. oct. non. dec. undec. duodec. *Gruterus.*

CAP. 15. *Nefanda stupra*] Quippe qui adulterium commisisset cum ea, quæ ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisset uxorem, cum filia ejus esset; Luccejusque hæc ei objecisset in orationibus quas in eum scripsit, ut ait Pedianus, qui hoc addit, 'se nondum harum mulierum nomina invenisse.' Ejusdem Pediani ibidem verba sunt hæc: 'Fabia, virgo Vestalis caussam incesti dixit, cum ei Catilina objiceretur: eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis.' Paulus quoque Orosius: 'Eodem anno apud Romanos Catilina accusatus incesti; quod cum Fabia virgine Vestali stuprum commisisse arguebatur.' Idem tradit Plut. in Catone. Cicero autem: 'Quod nefarium stuprum non per illum,' &c. Item: 'stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus.' *Manutius.*

Multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ] Duo genera stuprorum intelligat necesse est; alioquin admodum suspectanda illa, *cum virgine nobili*, tanquam a manu interpretis. Commelini codex vetustate ipsa exesus, aliud quid videtur habuisse: sed non potui oculis assequi. Si liceret, suspicarer, duo illa membra, *cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ*, esse a glossa: nam quid hic auctor pro confesso ac certo ponat, cujus nec ipse Catilina, neque Vestalis convinci potuit? ut enim dicatur convictus quidem, sed evasisse, gratia Catuli, hoc fuerit accusare ipsos judices; quod odiosum nimis. Si non: at verbulo saltem indicandum erat. *Gruterus.*

Cum virgine nobili] Eam significare Sallustium existimo, quæ postea fuit Catilinæ socrus, de qua sic Cicero mentionem facit: 'Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi et uxorem, et filiam invenisti.' Quæ verba ita interpretatur Asconius: 'Dicitur Catilina adulterium commisisse cum ea quæ ei postea socrus fuit: et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia ejus esset. Hæc Luccejus quoque Catilinæ objicit, in orationibus quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni.' Hactenus ille. Quibus ex verbis intelligimus, nomen mulieris hujus a Sallustio, et ab aliis propter nobilitatem generis suppressum esse. Sic quoque Sallustium non fecisse mentionem de filia, ne aperte mulierem notaret. Plutarchus in Cicerone tantum id scribit, Catilinam cum filia virgine coisse. Potuit Sallustius aliam quandam virginem intelligere. Nos autem quid certius afferamus, non habemus. *Cast.*

Vestæ] Chaldæis אשתא Estha ignem denotat, unde Vesta procul dubio nomen accepit. Atque hic cultus apud Chaldæos et Persas præcipuus fuit. Quin et in sacro populo accessit Dei jussio: 'Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos

dies.' Et mox: 'Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.' *Lips.* Vetustissimum Chaldæorum cultum hunc idololatricum fuisse adeo antiquum volunt Hebræi, ut Ur Chaldæorum quod habetur Genes. c. XI. pro eorum Deo igne capiant. Vide et Maimon. l. III. Perplex. c. 30. *Selden.*

Vestæ] Orosius accusatum Catilinam Catuli gratia evasisse scribit. Unde hæc Orosius? Plutarchus aliter, aliter Asconius ad Catilinarias Ciceronis, qui eam absolutam fuisse dicit, quia soror erat Terentiæ Ciceronis. Quo magis miror virum doctissimum Sebastianum Corradum Orosium sectatum, tertium accusatum fuisse Catilinam, asserere. Sed frustra est, qui alias haud ferme. Nam Catilina ob hoc crimen nunquam accusatus fuit, sed ipsa Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur. *Coler.*

Aureliæ Orestillæ] An hæc illa quam postea domum duxit Cornificius adolescens, teste Cælio ad Ciceronem? Vix reor. An L. Orestis L. F. L. N. qui anno DXCVI. consul fuit, filia? Non credo. Sed alterius fortassis alicujus, non æque honoribus usi. *Idem.*

Necato filio] Veneno sublato. Valer. Max. IX. 1. 'Præcipue vero,' inquit, 'Catilinæ libido scelesta: nam vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus, cum unum impedimentum videret, quo minus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem solum, et jam ætate puberem habuit, veneno eum sustulit, protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit.' Eadem tradidit Appianus l. II. Vide Plutarchum in Cicerone et Sulla. *Zanch.*

Vacuam domum scelestis nuptiis fecisse] Cicero Catil. I. 'Quid vero nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses, nunc etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti, quod ego prætermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas, aut extitisse, aut non vindicata esse videatur.' *Ciacconius.*

Quæ quidem res mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris] Æque nervosum fuisset, *quæ quidem res in primis caussa facinoris, &c.* rejectis aliis: imo suffecisset *fecisse: caussa facinoris maturandi.* Gruterus.

Namque animus impurus] Hominem impurum pro improbo veteres dixerunt generaliter: ut ait Donatus in comment. in Adelph. Terentii. *Zanch.*

Ita conscientia mentem exagitatam vastabat] In mss. duobus reperi *excitam*, ac sic, ni fallor, exemplar Aldinum habet. Sed et *vexabat* in quibusdam est, pro *vastabat*, velut in duobus calamo descriptis, et Florentino; quomodo et Riccius Lugiensis alicubi se legisse testatur. *Rivius.*

Mentem excitam vexabat] Alii libri, *vastabat.* Infra in orat. II. ad Cæsarem de rep. ord. hoc latius explicat: 'Profecto si id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi sedaverit, quin insomnis, excitus, furibundus atque amens, alienata mente feraris.' Eleganter super hoc verbo disserit Agellius II. 6. et Macr. in Saturn. VI. 7. sub doctissimi Servii persona. Quæ etiam in novissima P. Danielis editione leguntur, ut et multa quæ alibi sub Servii nomine apud eosdem et Priscianum leguntur. Errant igitur, et quidem vehementer, meo judicio, qui nimis sane hisce commentariis detrahunt, sed ut veros ac genuinos omnino præstare non ausim, sic multis in locis ex marginalibus interpolatos asserenti, non repugnabo. *Putschius.*

Conscientia mentem excitam vexabat] Ita fere Pall. nisi quod loco *vexabat*, eorum decem servent *vastabat*: quomodo et Com. meus, editioque vetus. Pal. præterea quintus servat, *excitatam*; octavus, *exitam*: at Naz. videtur primo habuisse *exitam*, aut per

compendium scripturæ *exterritam*, sive etiam *exercitam:* et vero alterutrum præposuerim vulgato: sed nec omnino etiam displicet *vastabat;* nisi si id mutandum in *versabat*. Gruterus.

Igitur color ejus exsanguis, fœdi oculi] Probus grammaticus legit, *colos exsanguis*. Ejus verba subjiciam: 'Lor,' inquit, 'tertiæ sunt declinationis; o in nominativo correpta, in genitivo producta, ris syllaba terminato hic calor pallor, caloris palloris, color coloris: quamvis Sallustius, *Igitur colos exsanguis;* sicut *labos* et *labor*,' meminit hujus et alias idem. Ex manuscripto legendum suspicor, *colos ei exsanguis*, quomodo et Parisiense: non, *ejus*. Porro *fœdos oculos* dixit, pro eo quod est, sævitiam et immanitatem præ se ferentes, quomodo hic accipi *fœdum*, cum in Eunuchum Donatus, tum Servius in Æneid. II. adnotavit: nam alias fere *turpe* significat *et flagitiosum*. Rivius.

Color ejus exsanguis] Naz. et Com. *colore exsanguis*, sine *ejus;* qua dictione etiam destituitur Pal. octavus, in quo, *color exsanguis*. Pal. sec. habet *color ei exsanguis:* ceteri adstipulantur lectioni primæ. *Gruterus*.

Citus modo, modo tardus incessus] Hæc est vulgata lectio, cui consentiunt omnes mei mss. codd. Aliter hæc profert Nonius: *Modo citus, modo tardus incessus*, in dictione *Citus:* sed utraque lectio placet, et utroque modo Sallustius loquitur: nam in Jugurthino, 'defensoribus mœnium, præmia modo, modo formidinem ostentare;' et, 'lætos modo, modo universos lædere:' et in oratione, de Rep. ordinanda, ad Cæsarem, 'Accensus in socios modo, modo in cives.' *Popma*.

Incessus] Hinc Cicero pro Sextio: 'Quorum per Deos immortales si nondum scelera vulneraque inusta Reip. vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini.' Et Seneca in Hercule Furente: 'Ecce sævus ac minas vultu gerens, Et qualis animo est, talis incessu venit.' Vide Theophrasti Characteres.

Cap. 16 *Testes signatoresque falsos*] Id est, sigillatores falsos testamenti. Nam ut est in Institutionibus Justiniani, in testamento faciendo adhibebantur edicto prætorio septem testes, puberes, cives Romani, qui testamentum obsignarent: eos et signare, et nomen suum adscribere oportere, Ulpianus dicit. *Zanch.*

In præsens] Sic sæpe Tacit. ut Annal. XV. 'omissa in præsens Achaia:' et rursus, 'In præsens haud animadversis.' Cicero, 'in præsentia,' dicere solet: multi alii 'in præsentiarum.' *Ciacc.*

Nihilominus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare, &c.] Alii aliter distinguunt. Ego autem post verbum *jugulare*, distinguendum puto. Sensus est: Catilina, si quando peccandi causam non habebat, nihilominus innocentes, sicuti nocentes, jugulabat: idque scilicet potius sine causa et emolumento faciebat, quam sineret manus aut animum torpescere. *Cast.*

Scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus] Post *animus* distinguendum, ac deinde inferendum, *gratuito potius malus atque crudelis erat*. Quasi diceret: Scire licet, cur insontes sicut sontes jugularet: ne per otium aut manus, aut animus torpesceret. Tum causa malitiæ subnectitur: 'Erat enim,' inquit, 'gratuito potius malus, atque crudelis.' Mirum quam hic quidam sudarunt, nec tamen sese explicant. *Glar.*

Gratuito potius malus erat] Hoc est, quod in orat. II. de republ. ordinanda, idem ait, 'Malitia præmiis exercetur, ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est.' *Ciacc.*

Æs alienum] Æris appellatione omne nummorum pecuniarumque genus significari liquido constat. Quod hinc manasse ex Plin. XVIII. 3. et XXXIII. 3. didicimus, quod veteres æreis num-

mis, ovium, boumque effigie a Servio Tullio signatis uterentur, et ne quidem argento signato ante Pyrrhum devictum usus fuerit populus Romanus.

Victoriæ veteris] Quam contra Marianos obtentam in turpem exitum verterant. *Bad.*

In Italia nullus exercitus erat] In manuscriptis atque aliis vetustioribus non reperitur, *erat:* et majore cum gratia abesse poterit, nullo sensus detrimento. Ac, ni fallor, ex addita glossa in contextum irrepsit, ut alia multa, quomodo paullo post, ubi hodie fere, *sed ea prorsus opportuna Catilinæ videbantur.* Verbum *videbantur* ex glossa irrepsit: nam in antiquioribus non est. Intelligitur enim *erant*, uti sæpe alias. *Rivius.*

Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat] Erat eo tempore Pompejus Magnus cum exercitu in Asia contra Mithridatem, quem persequens (ut loquitur Livius) in ultimas ignotasque gentes penetravit: Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant, prælio vicit. Subegit præterea omneis usque ad mare Caspium populos: aliaque multa gessit, quæ scripta sunt apud Appianum in Mithrid. Dionem XXXVI. et XXXVII. Plutarchum in Pompejo, Paterculum, Orosium, Florum, Auctorem de viris illustribus. *Cast.*

Ipsi consulatum petendi magna spes] Atqui jam petebat, ut apparet ex loco inferiore, in quo est: 'Hæc ipsa, ut spero, vobiscum Consul agam.' Unde aliqui legunt, *petenti.* Sed fortasse non male legeretur: *ipsi consulatus magna spes.* Ursinus.

Ipsi consulatum petundi, magna spes] At jam antea petierat, ut monuit amicus noster Ursinus. Itaque divinaram in Suspicionibus meis, *potiundi.* Pal. sec. ac quint. servat *petenti* duodecimus vocem nullam habet, sed solum, *ipsi consulatum magna spes erat.* Facile esset scribere *consulatus:* sed ut jam semel dixi, liber ille vix est annorum ducentorum; habetque alioqui verbum *petendi* ad oram. *Gruterus.*

Opportuna] Proprie *opportunum* idem est, quod Græcis εὐλίμενον, εὔορμον, et per metaphoram, tempestivum. Sicuti *importunum* proprie dicitur, quod caret portu: et tralatitie pro intempestivo, inhumano sumitur.

CAP. 17 *Igitur circiter Kalendas Junias*] Hoc est, circiter diem primum mensis Junii.

L. Cæsare, et C. Figulo Coss.] Hic est, (ut puto) L. Julius Cæsar, qui P. Lentulum Suram, sororis suæ virum, præsentem et audientem, vita privandum esse dixit: ut ait Cicero in Catilinam oratione quarta et Philippica II. et VIII. Eum postea proscriptum, soror Julia a carnifice tutata est: cujus rei auctores sunt, Plutarchus in Antonio, et Dion l. XLVII. Fuit optimus et fortissimus civis, reipublicæ amantissimus: ut testatur Cicero cum alibi, tum Epistolarum ad Atticum l. XIV. et Famil. (ut vocant) l. XII. *Cast.*

L. Cæsare, C. Figulo Coss.] Cicero prima ad Atticum epistola *C. Mantium Figulum*, sequentem vocat Cos. quidam etiam *Q. Martium.* Hi Coss. fuere ab Urb. Cond. anno 690. proximo ante Ciceronem anno. *Glareanus.*

Hortari alios, alios tentare; opes suas] Sic Cic. Catil. III. 'omnia norat, omnes aditus tenebat; appellare, tentare, sollicitare, petere audebat.' Sed quoniam meus liber habet, *hortari, alios tentare*, videant docti, an legi debeat, *Hortari ac ostentare opes suas.* Opes vero, non divitias: sic *opes* pro potentia sæpe Cic. ut et in epistola Mithridatis: 'scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum:' et infra: 'Postulavere plerique conjuratorum, ut proponeret quid ubique opis aut spei haberet.' *Ciaccon.*

Imparatam] Id est, immunitam, et ita facilem oppressu.

In unum omnes convocat] Hoc alias

cogere in unum dicit; aut *contrahere*, aut, *conducere in unum*. Exempla passim obvia. *Ciaccon.*

In unum omnis convocat] Et eo majestatis crimen inducebatur: credebant enim collegia, factiones alere. Itaque quæcunque collegia, nisi approbata, vetuerunt. Hinc Sueton. in vita Augusti: 'plurimæ factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coibant: sed Augustus omnia præter antiqua et legitima dissolvit.' Plato quoque l. I. de Leg. seditionum fundamenta talia esse dixit collegia. Capita itaque committere, de publicis causis privata consilia agere, atque hoc colore Rempub. turbare, capital semper habitum fuit. Audi hic Ulpianum JC. in l. II. ff. de colleg. et corpor. 'Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea pœna tenetur, qua tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupasse judicati sunt.' Rei itaque erant Majestatis, l. I. §. 1. ad L. Jul. Maj. l. IV. C. de his qui ad Eccles. conf. In tali quippe cœtu accenditur sæpe animus ad ea, quæ nunquam quis ausus fuisset, et, ut egregie alibi Tacitus, 'multa experiundo fiunt, quæ segnibus ardua videntur.' *Thys.*

Necessitudo] Necessitas. Gellius XIII. 3.

Eo omnes convenere Senatorii ordinis] *Omnes*, omittendum esse duco. Neque enim in manuscriptis aliisque vetustioribus reperitur, neque sententia postulat. *Riv.*

P. Lentulus Sura] Huic Suræ cognomen inde natum ferunt, quod per dominationem Sullæ cum quæstor esset, mulctas rerum publicarum perdite administravit, consumpsitque. Quare cum Sulla id indigne ferret, et administrationis rationem exposceret: ille rem floccipendens, in Senatum profectus ridicule dixit: Rationem mihi reddere non est, sed præbere suram: uti solent pueri, qui in ludo sphæræ peccaverunt: ob hoc deinceps Suræ cognomen est illi inditum. *Zanch.*

P. Autronius] P. *Autronius* Pætus: sic enim legendum est: non, ut est apud Florum, *Antonius*. Consul designatus, ambitus judicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concursu: ut ait Cicero in oratione pro P. Sulla: attamen damnatus est. Illud etiam notandum est, Tranquillum in Cæsare, et Asconium in orat. pro C. Cornelio, perperam hunc L. Autronium appellare: nam Sallustius, Cicero, et Dion l. XXXVI. Publium vocant. *Cast.*

L. Cassius Longinus] Is, teste Cicerone, in orationibus pro P. Sulla et in L. Catilinam, sibi procurationem incendendæ urbis depoposcerat. Asconius scribit hunc L. Cassium, competitorem fuisse Ciceronis in petitione consulatus. *Idem.*

C. Cethegus] C. Cornelius Cethegus: nam e Corneliorum gente eum fuisse, significavit Porcius Latro, in declamatione in L. Sergium Catilinam. In civilibus dissensionibus (ut puto) urbe ejectus, supplex ad Sullam confugit; inde Sullanas partes secutus est, ut Appianus Bellorum Civilium libro I. memoriæ prodidit. Cic. in oratione pro P. Sulla. Plura leges de Cethego apud Florum l. III. Livium l. CII. Porcium Latronem in declamatione in Catilinam, Ciceronem in orationibus pro Sulla et in L. Catilinam, Plutarchum in Cicerone. *Cast.*

P. et Servius Sullæ Servii filii] Id est, P. Cornelius Sulla, et Servius Cornelius Sulla, filii Servii Cornelii Sullæ. Scribit Dion l. XXXVI. Cornelium Sullam, patrem eorum, qui conjurarunt, fuisse fratrem L. Sullæ Dictatoris. *Idem.*

L. Vargunteius] Satis constat ex Cicerone, quod prius hic de ambitu interrogatus, ab Hortensio defensus est: postea quod conjurasset, cum nemo ei adfuisset, damnatus in exilium abiit. *Idem.*

Q. Annius] Hunc significasse puto Q. Ciceronem, in libello de Petitione cons. cum inquit: 'Qui ex curia Curios et Annios, ab atriis Sapalas et Carvilios, ex equestri ordine Pompilios et Cnejos sibi amicissimos comparavit.' *Idem.*

M. Porcius Læca] Puto designari eum, qui in argenteis denariis eodem quo hic titulo, M. PORC. LÆCA, describitur. Qui vero paulo post nominatur *P. Sulla*, in veteri denario est, P. SULA, antiqua scribendi consuetudine, unico L. *Ursinus.*

M. Porcius Lecca] Infra. Damnatus et is postea fuit: auctor est Cicero in oratione pro Sulla. *Idem.*

L. Bestia] Vide inferius.

Q. Curius] Is Quæstorius fuit, notissimus autem aleator: quare damnatus est, ut Cicero et Asconius referunt. Tranquillus in Cæsare c. 17. scribit, de Q. Curio, quod primus conjuratorum consilia detexerat, constituta ei fuisse publice munera: tamen data non esse, quoniam Cæsarem inter socios Catilinæ nominavisset. *Cast.*

Equestri ordine] Differunt eques, equestris ordinis, et equestri loco natus. Eques et equestris ordinis idem sunt, quod si eques patre natus est qui nunquam senator fuit, equestri loco natus est, sin natus est senatore, equestri loco non recte natus dicitur. *P. Manut.*

Præterea, ex equestri ordine] Ordo equestris medius erat inter Senatorium et plebejum, cui purpura, ut patriciis et senatoriis, uti non licebat: jus tamen annulorum aureorum habebat, quo insigni a plebe secernebatur, et medius ordo vocabatur. *Zanch.*

M. Fulvius Nobilior] Meminit Cicero Epist. ad Atticum l. IV. de quodam M. Fulvio Nobiliore: sed alius quispiam fortasse fuit. *Cast.*

L. Statilius] Ita vocatur etiam a Cicerone in oratione III. in Catilinam, etsi in Aldino codice semel, et mendose quidem, *P. Statilius* legitur. *Idem.*

P. Gabinius Capito] De hoc Cicero in oratione III. in Catilinam. *Idem.*

C. Cornelius] Et hunc, ex Cicerone intelligimus, postea, ab omnibus desertum, condemnatum fuisse. *Idem.*

Ad hoc multi ex coloniis et municipiis qui domi nobiles erant, præterea complures, &c.] *Qui*, non est in Mss. nec in impressis quibusdam. Itaque mihi sic legendum videtur: *Ad hoc multi ex coloniis et municipiis domi nobiles: erant præterea complures paullo occultius consilii hujusce participes nobiles:* τὸ *erant*, ad sequentia pertinet, et sic est in manuscriptis hic distinctus locus, contra quam in recentioribus. Sed et *hujusce*, non *hujuscemodi*, codices habent antiqui. *Rivius.*

Multi ex coloniis et municipiis domi nobiles] Ita fere Mss. nostri. Editio vetus interposuerat, *domi et militiæ nobiles:* plane contra libros et mentem auctoris; certe præter membranas, non nostras modo et amicissimo Bongarsio excussas, sed et Rivianas, Popmæanas, aliorumque: imposuit nimirum primæ editionis curatoribus insolens locutio *domi nobiles*, itaque addiderunt aliud illud membrum de suo. *Gruterus.*

Ex coloniis] Ratio et modus erat, ut agri dividerentur viritim, idque a triumviris, qui sedes agrosque et ipsum oppidum, si condendum esset, disponebant, ac jura et formam quasi Reipublicæ dabant. Sic tamen ut omnia Romam et Urbem matrem referrent. *Lips.* Quis autem modus designatorum agrorum fuerit per perticam, quæque ratio fuerit sortitionis, cum pervenissent in locum destinatum coloniæ, *Turnebus* docet *Adv.* II. 32. et XXVI. 35.

Et municipiis] Municipes ergo sunt cives Romani ex municipiis, suo jure et legibus suis utentes: muneris tantum cum populo Romano participes honorarii, a quo munere capessendo

appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, nec ulla populi Romani lege astricti, cum nunquam populus eorum fundus factus esset, &c. *Zanch.*

Participes nobiles] Ut Cæsar, Crassus, Antonius; de quibus paulo post dicemus: item Clodius. quod testatur Asconius in commentario in orationem pro Milone. *Cast.*

Participes nobiles] Vox *nobiles* abundare videtur. *Ciacconius.*

Quibus in otio, vel magnifice vel molliter vivere copia erat] Nihil discrepant Mss. nostri: id moneo, quod aliquando in Suspicionibus tentaram, *vivere inopia erat.* Nec enim videbam, cur certa mallent pro incertis, bellum quam pacem, homines fortunati. Nunc sustineo me, putoque sapientis esse, nonnulla ignorare. *Gruterus.*

Vel molliter] Id est, nequiter, et luxuriose.

Incerta pro certis] Sic infra: ' Per ignaviam aut vana ingenia, incerta pro certis captarem.' Et rursus: ' Pro incerta spe certa præmia.' Et iterum: ' Quanquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare.' Item Plautus in Pseudolo: ' Certa amittimus, dum incerta petimus.' Et Hesiodus: Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει. *Manutius.*

Bellum quam pacem malebant] In Jugurth. ' ut aliquando pacem quam bellum malles.' Tacit. Annal. 13. ' Ceterum uterque Vologesem regem nuntiis monebant, pacem, quam bellum mallet.' *Ciacconius.*

Ea tempestate] Id est, eo tempore.

M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii] Erat enim Crassus conjurationis conscius, sed occulte: nec ulla necessitate compulsus: sed tantum propter potentiam. Plutarchus in ejus vita, et M. Cicero, conjurationis vindex, aperte satis in oratione quadam, in Crassum et Cæsarem conjurationis illius non minima ex parte causam refert: eam tamen orationem nunquam, nisi post utriusque mortem, edere ausus est. *Zanchius.*

Cn. Pompejus, invisus ipsi] Dion lib. XXXVII. et Plutarch. in Crasso. *Cast.*

Invisus] Id est, odio habitus.

Ductabat magnum exercitum] Scilicet in ultimis terris, adversus Mithridatem. *Zanch.*

CAP. 18 *Sed antea item conjuravere pauci contra remp. in quibus Catilina fuit. de qua quam verissime potero dicam*] Hæc vera lectio. Ceterum in Argentoratensi, quod est a Schurrerio excusum, reperi, *de quo:* perperam videlicet: nam præter exemplarium et in his manuscriptorum fidem atque consensum, legit eodem modo l. II. Diomedes, ac subaudiendum monet *conjuratione:* quomodo item interpres. *Rivius.*

In quibus] Hujus conjurationis auctor non fuit Catilina, sed M. Crassus, quem studio tacet Sallustius. Vide Asconium. *Coler.*

De quo] Sic plerique legunt, nec hoc etiam reliquimus. *De qua* igitur legatur, sc. conjuratione, ex antiquo et fideli codice. Et ita Diomedes locum hunc exponit. *Ben.*

L. Julio, M. Lepido consulibus, P. Autronius, et P. Sylla designati consules, &c.] Volumen Fabricianum *Tullo:* quæ verior lectio; licet in duobus calamo descriptis *L. Tullio* repererim. Cicero pro Sylla hunc *L. Volcatium* appellat, quemadmodum Asconius quoque Pedianus: tametsi hic alicubi *L. Volcatium Tullium* vocat. His igitur Coss. cœpta prior conjuratio est. Post hos L. Torquatus et L. Cotta fuere consules, quos consulatum ineuntes interficere in Capitolio P. Autronius et L. Catilina parabant: sicuti paullo post testatur Sallustius. Hi autem in P. Syllæ et Autronii locum, quos ambitus ipsi damnarant, creati fuerant. Dein fuere L. Julius Cæsar, et C. Martius Figulus, quorum supra

Sallustius meminit. His Coss. altera conjuratio cœpta est. Post hos M. Cicero cum C. Antonio. His Coss. mense Octobri patefacta conjuratio est, et de conjuratis supplicium sumtum. Quod in Horatium Glareanus *L. Julium Tullum* vocat, quem nos *L. Volcatium Tullum*, est haud dubie memoriæ lapsus, nisi quis incuriæ adscribere malit. Sed et Haloander hunc ipsum in catalogo consulum *L. Torquatum Tullum* appellat, quam recte alii viderint. *Rivius.*

L. Tullo, M. Lepido] Prior hæc conjuratio, ultimam, quam accurate persequitur Sallustius, triennio præcessit. Sed Suetonius in Julio, tribus illis, Catilinæ, Autronio, Pisoni, quos hic ponit Crispus, socios addit C. Cæsarem, M. Crassum, P. Sullam, consentiente cum Tranquillo Dione. 'Meminerunt' (inquit Tranquillus) 'hujus conjurationis Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus. De hac significare videtur et Cicero in quadam ad Atticum epistola, referens id Cæsarem in Senatu confirmasse regnum, de quo ædilis cogitaverat.' Legenda et cetera, quæ nimis longum foret adscribere. Epitoma Livii lib. CI. 'Conjuratio eorum qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta, de interficiendis Coss. oppressa est.' *Putschius.*

Legibus ambitus] Longo tempore post urbem conditam, nullam de ambitu legem fuisse legimus, quod ad magistratus et ad honores prisci Romani non largitione et ambitu, sed virtutis via nitebantur, propterque egregia domi militiæque facinora, cives quæstura, ædilitate, prætura et consulatu, et aliis honoribus honestabantur. Prima lex contra ambitum illorum qui magistratus appeterent, a Petilio tribuno plebis lata fuit, qua largitiones illorum, qui magistratus pecunia emerent, gravi pœna mulctavit: aliæ deinde latæ fuerunt et a Calpurnio Pisone, et a Cicerone. Lex autem Ciceronis ad hanc sententiam erat: Si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, item si vulgo data prandia, contra legem Calpurniam factum videri: ut ipse in oratione pro Muræna ait. *Zanch.*

Legibus ambitus interrogati] Sic infra: 'et ipse lege Plautia interrogatus erat.' *Ciaccon.*

Post paullo] Post, scilicet damnationem, et non designationem: ut quidam in Commentariis suis in Epist. ad Atticum exposuit, existimans hunc locum mendosum esse, sed male: non animadvertens, bis habita fuisse comitia, primo Lepido et Volcatio Coss. cum P. Autronius et P. Sulla creati fuerunt Coss. et paullo post, cum hi legibus ambitus damnati essent, iterum habita fuerunt, in quibus Cotta et Torquatus declarati fuerunt, et tunc Catilina, cum ex Africa rediisset, professus est se petiturum esse: sed prohibitus est, quia quærebatur repetundarum, ut ait Pædianus. *Zanch.*

Prohibitus erat petere consulatum, &c.] Catilina statim ut ex Africa rediit, accusatus est, uti diximus, a Clodio, de pecuniis repetundis. Quare cum professus esset petere se consulatum, L. Volcatius consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet. Decretum est igitur, Catilinam, cum reus esset, consulatum petere non posse. Auctores sunt Cicero, et Ascon. in orat. in toga candida. *Cast.*

Profiteri] Dare nomen, denunciare velle se petere: ita enim mos erat. Et hic *profiteri* non significat simpliciter dare nomen, sed ita ut per leges recipi posset, quæ reum profitentem non admittebant. Quare Sallustius inquit, Catilinam repetundarum reum intra tempus legibus constitutum profiteri nequivisse, id est, non po-

fuisse dare nomen, ita ut admitteretur ad petitionem: nam quærebatur repetundarum. Profitebantur autem petituri, apud eos (ut puto) qui comitia habebant. Livius Dec. III. l. VII. *Zanch.*

Cn. Piso] Sic etiam appellat Cicero in oratione pro Muræna, et pro L. Sulla. *Idem.*

Nobilis] Pisones enim a Calpo Numæ filio oriundi erant, ut testantur Plutarchus in Numa, Horatius in arte Poët. et Ovid. ad Pisonem his verbis: 'Nam quid memorare necesse est, Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat? Claraque Pisonis tulerint cognomina prima, Humida callosa cum pinseret hordea dextra?' Ovidii autem opinionem, ut Pisones a pinsendo vel pisendo dicti sint, confirmat Plinius Nat. hist. XVIII. 3. *Idem.*

Stimulabant] Id est, urgebant.

Capitolio] Capitolium in monte Tarpejo situm, Superbi maxime opus. Quod his fere verbis describit Dionysius: 'Situm est in alta crepidine, habetque in ambitu octo jugera, sic ut latera singula ducentorum fere pedum sint, exigua latitudinis et longitudinis differentia, nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis. Qua parte frons ejus meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur, ab aliis lateribus duplici. In ipso sunt tres cellæ ex ordine, a lateribus communione parietum clausæ, media est Jovis, utrinque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari eodemque tecto.' Hæc hactenus Dionysius. Capitolium autem ita vocabant, quam Græci ἄκραν, quod esset κορυφὴ τῆς πόλεως. At fabula capitis inventi ad gentis nobilitatem. Capitolium ergo Latina vox, ut Pergamus in Phrygia. *Scaliger.* De ejus magnificentia non opus est multa adferre. In illo Tarquinii Capitolio primitus ænea erant limina, et trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis aureis ædiles posuerant. Post Carthaginem eversam laquearia inaurata fuerunt. Catulus autem tegulas æreas inauravit. Suo tempore in inaurationem solam 12000 talenta impensa refert Plutarchus, id est, nostra computatione, septem milliones. *Lips.* Recte itaque dixit Virgilius: 'Hinc ad Tarpejam sedem, et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.'

Kalend. Jan.] In hoc dissentit Cicero a Sallustio, quod ipse ait Kalend. Januar. L. Torquato et Lucio Cotta Coss. Cicero vero, pridie Kalend. Januar. Lepido et Tullo Coss. *Zanch.*

L. Cottam] L. Aurelium Cottam. Is fuit vir summo ingenio, summaque prudentia. *Cast.*

L. Cottam] Tres enim Cottæ fuerunt, L. C. et M. Cotta, adeptique sunt omnes consulatum: ut Pædian. scribit. *Idem.*

L. Torquatum] Opinor designari L. Torquatum, qui, ut scribit Cicero in Pisonem, 'Provinciam Macedoniam ex S. C. obtinuit, et ex ea Imp. appellatus est.' In denariis autem Manliæ familiæ describitur L. TORQUAT. Ex S. C. Ad Sallustii autem locum faciunt, quæ refert Pædianus in Corneliana. 'P. Sulla,' inquit, 'et P. Autronius Coss. des. cum essent, eorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus ambitus damnarunt, et in eorum locum Coss. creati sunt.' *Ursinus.*

Fascibus] Fasces appellamus bacillos aliquot teretes colligatos in modum fascis. Eos bacillos antiquitus ex ulmo fuisse testis Plautus. Plinius tamen Betullam arborem terribilem ait magistratuum virgis, l. XVI. 18. Hetruscorum antiquitus ornamentum fuisse, antequam Romam deducerentur, præter alios Florus auctor est. Consulibus autem duobus creatis cum initio fasces XXIV. præferrentur, id est, singulis XII. in voce et invidia populi res fuit, tanquam regno non

depulso, sed duplicato, ea causa Valerius instituit, ut duodecim tantum fasces conspicerentur, iique alternis mensibus apud alterum consulem essent: ita, inquam, ut priore mense prior consul eos haberet, secundo alter, atque ita in orbem; ut testantur Dionysius l. v. et Dio Cassius l. v. Sumere autem eos prior solebat qui major natu esset: idque obtinuisse videtur usque ad L. Juliam, quæ honorem hunc detulit numero liberorum. De utroque vide Valerium IV. 1. Agellium II. 15. Interea tamen consul is, qui sine fascibus, ne nullo insigni nosceretur, accensum habebat qui eum præcederet: auctore Dionysio l. v. initio, qui sequerentur cum virgis et bacillis. Suetonius in Julio c. 20. et Livius, ubi de Decemviris, l. III. *Lipsius.*

In Nonas] Ter enim in mense legitimus habebatur senatus, Kalendis, Nonis, et Idibus; quamvis postea Augustus instituerit, ne plus quam bis in mense legitimus senatus haberetur, scilicet Kalendis et Idibus: mensis autem Februar. hic maxime destinatus erat audiendis legationibus. Cicero: 'Senatus haberi ante Kalend. Februar. per legem Papiam, id quod scis, non potest, neque mense Februar. toto, nisi perfectis aut rejectis legationibus.' *Zanch.*

Quod ni Catilina maturasset] Considerandum, servarit ne Sallustius illud σπεῦδε βραδέως in verbo *maturare*, quo de tam anxie ac subtiliter disputat Gellius ex Nigidio. Certe historici Latini *maturare* pro *properare* ac *festinare* identidem dicunt, quicquid dicat Gellius. *Glareanus.*

Pro curia] Ante curiam.

Eo die post conditam urbem Romam] Odiosa hic vox *Romam;* nec hic solum, sed aliis locis ubi jungitur dictioni *urbi:* urbs enim per excellentiam, Romam ipsam designat, ut vel pueris notum. Si tolerari debet; malim cum Pal. quinto, *Romæ.* Gruterus.

Patratum] Commissum, effectum et consummatum.

Diremit] Id est, dissolvit et dissipavit consilium.

CAP. 19 *Citeriorem Hispaniam*] Ad hunc Cn. Pisonem pertinet vetus inscriptio ex marmore: CN. CALPURNIUS. CN. F. PISO QUAESTOR. PROPR. EX. S. C. PROVINCIAM HISPANIAM CITERIOREM OBTINVIT. *Ursin.*

Citeriorem Hispaniam] Citeriorem autem et ulteriorem Hispaniam provincias fuisse prætorias, testis est Livius: qui frequenter ait, Prætores sortitos esse Hispaniam citeriorem et ulteriorem. *Zanch.*

Quæstor] Quæstores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex Curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Quæstores vero urbani ærarium curabant, et ejus pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referebant: et ipse magistratus non honoris ipsius finis erat, sed aditus ad consulatum et triumphos novis hominibus esse censebatur. *Zanch.*

Quæstor pro prætore missus est] Id est, cum esset quæstor, tamen cum prætoria potestate missus est. Hoc significat Suetonius, cum inquit, Pisoni Hispaniam provinciam ob suspicionem urbanæ conjurationis ultro extra ordinem datam fuisse. *Cast.*

Pro prætore] Prætores Provinciales creati sunt circa annum DXIX. Sicilia et Sardinia captis atque in Provinciarum formam redactis, ut Livius et Solinus prodiderunt. Pomponius autem in l. I. ff. de orig. Jur. 'capta Sardinia,' inquit, 'mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi Provincia, totidem Prætores, quot Provinciæ in ditionem venerant.'

Infestum inimicum Cn. Pompejo] *Infestum,* pro *acrem,* dicere potuit Sallustius. Interdum tamen suspicatus sum, *Inimicum* glossema fuisse ad *In-*

festum: quo vitii genere refertos esse libros animadverti. *Manutius.*

Simul quia boni complures præsidium in eo putabant] Non male Bongarsio excussus liber, *simulque boni;* modo item sic reformentur sequentia: *Simulque boni complures præsidium in eo putabant, etiam tum potentia Pompeji formidolosa;* ejecta voce *erat:* vocula *Cnei* quæ visitur in editionibus aliis, sublata est e nostra, auctoribus Mss. *Gruterus.*

Potentia Cn. Pompeji formidolosa erat] Tantam enim Pompejus potentiam sibi comparaverat ex rebus prospere gestis adversus Mithridatem, ut Romæ timerent, ne vellet Rempubl. occupare: sed ut primum Italiam ingressus est, præter omnium expectationem, exercitum dimisit. Plutarchus in Pompeji vita. *Zanch.*

Barbaros] Hispanos. Quinam autem, et cur dicti fuerint barbari, Strabo l. XIV. docet his verbis: 'Sed ego arbitror ab initio, conficto nomine eos barbaros appellatos, qui difficulter, aspere ac duriter loquerentur, ut blæsos balbosque dicimus.' *Zanch.* Vox Orientalis. ברברי enim extraneum Arabibus denotat. Et بر desertum, unde Barbariæ nomen. Recte itaque ab Eustathio in III. Iliados notatum est, Lacones hospites et peregrinos dixisse Barbaros. Ita et Ovid. de Ponto: 'Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli.' Veteribus autem Barbari erant illi qui non erant Græci. Unde Plautus Nævium Poëtam Barbarum dixit: In prologo Asinariæ *Barbare* pro Latine positum. In Captivis quoque *Barbaricum jus* leges. Eadem ratione Latini auctores non utentes lingua Latina *Barbaros* dixerunt.

Ex voluntate ejus Pisonem aggressos] Illa *ex* præpositio non est in manuscriptis, licet in aliis fere sit; nec exemplar eam Beroaldinum habet. *Rivius.*

Præterea] Id est, præterquam quod Pisonem interfecerant. *Præterea*, hoc in loco tempus præteritum significat: quod rarissime invenies. *Zanch.*

Sed imperia sæva multa antea perpessos] In libris, quibus usus est Vincentius Castiloneus, scriptum fuit: *Sed et sæpe imperia sæva antea perpessos.* nos eam lectionem in Mss. nostris non invenimus, nec quidquam mutamus. *Popma.*

Sed imperia sæva multa antea perpessos] Excludi poterat conjunctio, *sed.* Editio anni CIↃ CCCC LXXV. expressit hic *scæva.* Naz. vero præfert *multo.* Miror nonnullis sapere quod in Castilioneo est: *sed et sæpe imperia sæva antea perpessos.* quis enim non videt esse ab interprete? *Gruterus.*

Nos eam rem in medio relinquemus] Gell. XXVII. 2. Q. Claudius Annal. I. 'Nos,' inquit, 'in medium relinquemus: vulgus in medio dicit: nam vitium isthic putant: et si dicas in medium ponere, id quoque esse σόλοικον putant: et tamen probabilius significantiusque sic dici videbitur, si quis illa verba non incuriose introspiciat.' Tacitus quoque Sallustii affectator suis in libellis de morib. German. 'Quod ego, uti incompertum, in medium relinquam.' *Ciacconius.*

Nos eam rem in medio relinquemus] Hic perperam quidam *derelinquemus.* Cicero pro Cœlio, 'Neminem nominabo, tantum in medio relinquam.' *Rivius.*

CAP. 20 *Catilina, ubi eos, quos paullo ante memoravi, convenisse videt*] In cujus domo hæc congregatio habita fuerit, varii varia sentiunt. Nonnulli in M. Leccæ domum eos convenisse putant, alii domi Catilinæ eos congregatos fuisse tradunt. At ego hanc congregationem habitam fuisse (salvo aliorum judicio) in cujusdam nobilis domo, e Cicerone colligo: nam is in Orat. cont. C. Ant. et Catil. ita inquit: 'Dico P. C. superiore nocte cujusdam hominis nobilis, et valde in

lis largitionis quæstu noti et cogniti, domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.' Et Pæd. hunc textum ita interpretatur, 'C. Cæsaris aut Crassi domum significat.' Hinc patet eos domi Catilinæ non convenisse. Accedit quod Catilina in Velia habitaverit, in illa videlicet parte montis Palatini, quæ forum videt, ut tradit Pomponius Lætus lib. de Antiq. Urb. Rom. Aliter Porcius Latro, intelligit enim domum Leccæ, nisi sæpius congregati fuerint.

In rem fore] Hoc est, ad utilitatem consilii sui pertinere.

In abditam partem ædium secessit] Manuscripta duo, *secedit*, quomodo et alia pleraque. *Rivius.*

Omnibus arbitris procul amotis] Omnibus expulsis, præter eos qui sui consilii participes erant. Nam *arbitri* dicuntur, qui alienæ rei quasi testes intersunt. Alias *arbiter*, auctore Festo, dicitur, qui totius rei habet arbitrium et facultatem.' *Zanch.*

Arbitris] Proprie est tertius qui accedit. *Arbiter*, enim quasi adbiter. Bætere seu betere vel betire dixere veteres, pro ire, incedere. Inde Bitienses qui assidue peregrinantur: et Bætis in glossario προσέλθης. *Scaliger.* Hinc et *arbiter* dictus tertius, qui litigia componit. hinc et arbitrari, id est, statuere, ac arbitrium pronunciare. Unde apud Plautum in Mercat. *arbitrari inscitum*, id est, pronunciare inscitum atque imperitum. hinc arbitrium, id est, sententia quæ ab arbitro statuitur. Etiam arbiterium in Pandectis Florent. pro arbitrium reperias, l. IX. ff. qui satisd. cog. l. III. §. 1. l. Pedius, 7. de Arb. et alibi passim.

Nisi virtus atque fides vestra satis spectata mihi forent] Legendum e vetustis, *Ni virtus fidesque vestra spectata mihi forent*, omissa particula illa *satis*, quam nec Fabricianus habet codex, nec requirit magnopere sensus. Si quis tamen eam adjectam velit, non admodum repugnabo; est enim in Merseburgensi. Sed et Terent. 'Satis jam Simo, satis spectata erga te amicitia est mea.' Beroaldinum exemplar eam non habet. *Ni*, pro *nisi* ponitur. et sic numerus ipse exigit, cujus est observantissimus Sallustius. Nec vero aliter Servius in Georgica Virgilii citat. Jam illud, *virtus atque fides vestra*, vastum quid nescio atque immane sonat: quanto modulatius, *virtus fidesque vestra*. Rivius.

Fides] *Fides* est dictorum conventorumque constantia et veritas: hoc est, ut vulgo dicunt, servatio promissi. Hanc autem fidem, ut ait A. Gellius XX. 1. Romani veteres in negociorum contractibus sanxerunt, maximeque in pecuniæ mutuaticiæ usu atque commercio. *Zanch.*

Spectata] Id est, perspecta et cognita mihi.

Satis spectata] Abest a l. IV. illud *satis.* Putschius.

Spes magna, dominatio, in manibus frustra fuissent] Ita et manuscripta fere, quæ ipse viderim: in recentioribus, *spes magna dominationis*, legitur. *Rivius.*

Spes magna dominationis in manibus fuisset] Ita vetus codex: at Aldinus habet, *Spes magna, dominatio in manibus fuisset:* quam lectionem ego non probo: neque enim dominatio in manibus fuit, sed dominationis spes. *Glar.*

Tempestatibus] Id est, periculis. *Tempestas* in hoc loco periculum significat. Aul. Gell. l. XII. inter vocabula, quæ in utramque partem accepta enumerat, *tempestatem* adjungit. *Tempestatem* medium esse vocabulum Servius dicit: ideoque *clara tempestas* dicitur. *Zanch.*

Animus ausus est maxumum atque pulcerrumum facinus incipere] Pudet pigetque barbariei! omnibus Pall. adest vox ultima: at incidi olim in codicem Polonicum; illi aberat: quin

debeat, neminem puto ambigere, cui cognita indoles linguæ Latinæ. *Gruterus.*

Simul quia vobis eadem quæ mihi bona malaque esse intellexi] Τὸ *esse* non est in Merseburgensi, neque in Veneto, aut aliis impressis vetustioribus, ac elegantius et majore cum gratia abesse videtur. *Rivius.*

Bona malaque esse intellexi] Ea vero ex re et consolatio petitur, et animus augetur. Consolatio, cum auctore Seneca l. II. Nat. Qu. c. 59. quod maximum solet esse solatium extrema passuris, omnium caussa eadem est. Animus vero, quia, ut Curtius l. VII. firmissima inter pares amicitia est.

Nam idem velle atque idem nolle] Melius in Jugurth. 'Quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere, in unum coëgit: sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est:' hæc Catilinæ personæ congruit. *Ciacconius.*

Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est] Sic et in Hecyram Donatus: in Fabriciano vero, *idem velle atque nolle.* Perperam autem est in exemplari Coloniensi additum *res;* nec enim in vetustis reperitur. *Rivius.*

Idem velle atque idem nolle ea demum, &c.] Suavius accideret auribus gnome, deleto *atque;* nisi magis rescribendum cum Com. meo; *Idem velle atque nolle,* aut cum Pal. nono, *Idem velle, nolle, ea demum.* Grut.

Demum firma amicitia est] Cicero pro Plancio: 'Vetus enim,' inquit, 'est lex illa justæ veræque amicitiæ, quæ mihi cum jamdiu est, ut idem amici semper velint, neque est ullum certius amicitiæ vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum.' Ceterum (ut idem in Lælio tradit) vera amicitia, nisi in bonis esse non potest, cum virtutum amicitia adjutrix a natura data sit, non vitiorum comes. Aristoteles etiam Moralium ad Nicomachum l. VIII. docet, proprie amicitiam bonorum hominum esse, quatenus boni sunt, reliquas vero amicitias per similitudinem quandam ad veram amicitiam dici. Sed Catilina conspirationem malorum hominum amicitiam vocat, suæ serviens causæ. *Cast.*

Sed ego, quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis] Mss. quidam: *Sed ego quæ antehac mente agitavi, omnes jam diversi audistis.* Popma.

Ceterum mihi in dies animus magis magisque accenditur] Impressi nonnulli codices: *Ceterum mihi in dies magis animus accenditur.* Nos particulam, *magisque,* in suum locum ordinemque restituimus, et ita loqui solet Sallustius, non solum in libris Historiarum, sed in Catilinario, et bello Jugurthino: 'agitabatur magis magisque animus;' et, 'magis magisque in aperto sunt:' 'magis magisque crescere intelligit:' 'magis magisque eum in dies amplecti:' 'ipsa se virtus magis magisque extollit:' 'magis magisque appropinquare vident.' *Idem.*

In dies magis animus accenditur] Intrudunt alii, *in dies magis magisque animus:* et sic quoque editio vetustissima, sed contra plerosque manuscriptos; solum enim hæret in Palatinis ætatis recentissimæ, undecimo et duodecimo. *Gruterus.*

Quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmet ipsos vindicemus in libertatem] Legendum arbitror, *ni nosmet ipsi:* id enim præterquam quod elegantius est, etiam veterum consensu codicum magis comprobatur. *Rivius.*

In paucorum jus atque ditionem concessit] Sic in orat. Macri: 'Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem;' ubi, *ditionem,* legendum fortasse est. et Livius l. XXXVI. 'Ita Athamania omnis in jus ditionemque Philippi concessit.' Donatus tamen refert I. Histor. scripsisse Sallustium, *Quorum in gratia plerique concesserant.* In Jugurth. 'victi om-

nes in gentem nomenque imperantium concessere.' *Ciacc.*

In paucorum potentium] Variant hic libri, aliis *potentiam*, aliis *conditionem* præferentibus. Ceterum in vulgata nihil muto, nec *potentiam* hic probo, quod facit Colerus. Seneca Epistola XXIX. 'Ponet se extra jus ditionemque fortunæ.' *Putschius.*

Semper illis reges] Cic. libro v. in Verrem: 'Patimur enim jam multos annos et silemus, ad paucos homines omnes omnium nationum pecunias pervenisse. Quod eo magis ferre æquo animo et concedere videmur, quia nemo istorum dissimulat; nemo laborat, ut obscura sua cupiditas esse videatur. In urbe nostra pulcherrima atque ornatissima quod signum, quæ tabula pura est, quæ non ab hostibus victis capta atque asportata sit? At istorum villæ sociorum fidelissimorum et plurimis et pulcherrimis spoliis ornatæ refertæque sunt. Ubi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, cum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totam denique Asiam, Achaiam, Græciam, Siciliam jam in paucis villis inclusas esse videatis.'

Tetrarchæ] Quædam regna in quatuor partes divisa erant: eorum quartæ parti qui præerant, *Tetrarchæ* dicebantur. Strabo l. XII. scribit, Galatas in tres gentes divisos fuisse, et utramque gentem in partes quatuor, quas tetrarchias vocaverunt. *Zanch.*

Vectigales esse] Cic. in Verr. 5. vectigalium, quæ imponuntur provinciis, duo esse genera dicit: unum quod certum est, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Pœnorum impositum: quasi victoriæ præmium, ac pœna belli. id autem certum ideo dicitur, quod certum et definitum in annos omnes impositum est: qui id pendebant, vectigales dicebantur. Alterum, quod censoria locatione constitutum est: ut in Asia lege Sempronia. Censores enim locabant vectigalia, nec usquam locare licebat nisi Romæ, nisi in Pop. Romani concione: ut scribit Cicero in dissuasione legis Rulli. Hæc autem non certo, eodemque precio locabantur. *Zanch.*

Populi] Civitates. *Idem.*

Nationes] Scilicet provinciarum: ut Galliæ, Hispaniæ, Asiæ. *Idem.*

Stipendia] *Stipendium* a stipe dicitur, sicuti et Ulpianus scripsit lib. XXVII. ff. de V. S. Ideo etiam tributum appellari ait Pomponius, constatque adeo ex Livio, Cicerone, Gellio, Plinio, et aliis *stipendium*, et *tributum* olim indifferenter vocatum, quicquid colligebatur in publicum, ut ex eo sustentaretur miles. Fuisse autem apud Romanos militum stipendium, denarium in singulos dies, id est, unciæ argenti partem octavam, animadvertitur ex Annal. Taciti l. I. prout citatur ab Alciato ad l. Ager ff. de V. S. sicuti autem *stipendium* a stipe dictum, ita teste Varrone IV. de Ling. Lat. *stips* veteribus æs dicebatur, a stipando deducto vocabulo, cum enim asses libræ pondo essent, qui majorem eorum numerum acceperant, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant. *Fung.* Hanc autem pecuniam sic repositam in cella Dei Festus ait impensam vocatam fuisse, quod nondum esset pensa, sed tantum stipata. Unde factum ut quævis stipatio et farctura impensa diceretur. Quod sæpius usurpavit Apitius, ut cum dicit, *indet impensam præscriptam*, id est, farcturam. Arnobius l. VII. *impensarum varietate conditis.* Palladius l. I. dixit, *impensa pumicea farciri muros*, id est, stipari acerato ex pumice raso. *Scal.*

Pendere] Id est, solvebant. quæ significatio inde deducta est, quod antequam signatus esset nummus argenteus, cumque Romani gravi adhuc ære uterentur, non numeratione, ut

ætate nostra, sed pondere fiebat solutio. *Zanch.*

Strenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus] Mutandum existimo particulam *atque*, et legendum, *Ignobiles atque vulgus fuimus*, vel *æque atque ignobiles.* Ciaccon.

Ceteri omnes strenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate] Quamvis eodem modo codices manuscripti, est in plerisque tamen, ut Beroaldino, *vulgus sumus*, tempore præsenti, pro, *nullo numero habemur*, hoc est, *contemnimur et despicimur.* sed et *fuimus*, non sane displicet, quod exemplaria fere habent. *Rivius.*

Obnoxii] *Obnoxius* proprie dicitur, qui propter aliquam noxam adversus alium concessam, ipsum reveretur: sed sæpe largius pro qualibet subjectione accipitur, ut hic. *Omnib.*

Si resp. valeret] Hoc est, si statum suum obtineret. *Zanch.*

Nobis reliquere pericula, repulsas, judicia, egestatem] In vetustis est, *repulsas nobis reliquere, pericula, judicia, egestatem.* Utra verborum series concinnior esse videatur, alii judicent. *Rivius.*

Repulsas] Falso queritur: nam, ut Cic. de Harusp. Resp. *Repulsi* sunt ii, quos ad omnia progredientes, quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes, non solum alieni, sed etiam sui vicini, tribules, urbani, rustici repulerunt. Etsi innuere videtur illud velle Catilina, quod ait Thucyd. l. v. δυνατὰ δὲ οἱ προύχοντες πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσιν: Qui superiores sunt agunt quicquid possunt, inferiores perferunt. *Grasw.*

Judicia] Condemnationes: quia ambitus alii, alii rerum repetundarum pœnas dederunt. *Vall.*

Quæ quousque tandem patiemini, o fortissimi viri] In Fabriciano et Beroaldino non est, *o.* ac mihi sane ab litteratore insulso additum videtur. est tamen in Merseburgensi atque aliis. *Rivius.*

Nonne emori per virtutem præstat] Legerem, *mori.* ut in orat. Lepidi, *estne viris reliqui aliud quam solvere injuriam, aut mori per virtutem?* Tacitus Histor. 3. *Moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant, an per virtutem.* qui locus ex hoc Sallustiano expressus videtur. Plautus Capt. *Qui per virtutem peritat, non interit.* Videndum tamen an apud Sallustium pro, *amittere*, legi debeat, *agitare.* Ciacc.

Ludibrio fueris] Volumen Fabricianum habet, *ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris.* legitur et *fueritis.* prius haud dubie cum rectius, tum elegantius esse videtur. Et talis ἑτέρωσις numeri, incredibilem quandam gratiam et venustatem habet. *Riv.*

Verum enimvero per deum atque hominum fidem, victoria in manu nobis est] Priscianus legit, *Prô Deum atque hominum fidem.* l. XIV. *Prô*, inquit, *etiam interjectionis loco ponitur, et circumflectitur. Ut Sallust. in Catil. Prô Deum atque hominum fidem.* Neque secus interpres, quicumque is, legisse videtur. In vetustis inscriptionibus fere *proh* reperitur, contra quam vel Priscianus ipse, vel alii quidam velint: nam et Festus cum Prisciano facit. Inter alias enim significationes hujusce particulæ *pro*, quas multas lib. XIV. recenset, etiam admirationi servire eam docet. ut, *Pro Juppiter.* nam hoc ipse exemplum subdit. *Rivius.*

Verum enimvero] Superius argumentum sumpsit ab honesto. argumentabatur enim a justitia, quæ est pars honesti: nunc argumentatur a tuto, id est, altera parte deliberationis, quæ tuta dicitur: hæc autem dividitur in vim et dolum. Dolo uti se dicit Catilina contra incautos, vi contra inferiores. *Vall.*

Pro Deum atque hominum fidem] Seu testor, id est, testem facio. *Idem.*

Illis divitias superare] Sic Jugurth. 'gloria, atque alia optanda bonis superabant.' Cic. Paradox. 'Uter igitur ditior est, cui deest, an cui superat?' *Ciacc.*

Exstruendo mari] In ædificandis ædificiis in ipso mari: quia sicut superius dictum est, in ipso mari ædificia condita sunt. *Vall.* Gruterus conjecerat *excludendo*, ut velit, illi magno mari vim fecisse. Sed forte scribetur rectius: *extendendo*, i. e. pilis sive aggeribus ædificando in mari et aquis quasi retro agendis. Cæsar Bell. Gal. III. 12. 'Extruso mari aggere ac molibus.' *Gronov.*

Montibus coæquandis] Explanandis montibus, ut ibi ædificia faciant amœnitate plena. *Idem.*

Larem familiarem] *Larem* hic accipit pro foculo, ubi familia stat. nam *Lares* proprie dicuntur Dii domestici. Prisci enim Romani, in domibus, quas incolebant, doliis aut vasculis mortuos sepeliebant. Qua ex causa *Lares*, quos domesticos vocant, Deos colere cœperunt. Postea lege duodecim Tabularum cautum est, ne in urbe sepelirentur, neve urerentur: cujus hæc verba sunt: IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO. Ipsique Lares canum pellibus vestiuntur: causamque Plutarch. in Probl. refert. *Zanch.*

Illi cum tabulas, signa, toreumata, &c.] Locus hic in omnibus editionibus corruptus fuit: eum nos una dictione addita, et mutata interpunctione, non sine auxilio antiquorum codicum, suo nitori restituimus: et sic hunc locum legi debere verba præcedentia demonstrant: *Etenim quis mortalium cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundunt in exstruendo mari et montibus coæquandis, nobis rem familiarem, etiam ad necessaria, deesse: illos binas, aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse?* Popma.

Nusquam ullum esse? cum tabulas, signa, &c.] Et ita quoque concorditer Mss. Pall. et vett. edd. ne quis Popmæ auscultet, largienti nobis aliud adhuc verbum, hoc modo: *esse? Illi cum tabulas, &c.* Equidem si ita ulli codices; sciamus oportet, notæ deterrimæ. *Gruter.*

Tabulas] *Tabulæ* proprie dicuntur, picturæ in tabulis artificiose formatæ, quibus antiqui plurimum delectabantur. Plinius XXXV. 4. *Zanch.*

Signa] Statuas. Vide Plin. XXXIV. 4. et XXXV. 11. *Idem.*

Toreumata] Toreumatis nomine, quicquid artis elegantia exsculptum est, comprehendimus: τορεύω, id est, sculpo; toreutice, sculptura: a quo toreumata, hujusmodi opera dicuntur, aut sculpta, aut cælata, ex quacunque materia, quæ in deliciis habebantur. *Idem.*

Emunt, nova diruunt, alia ædificant] Expunxi illud, *vetera negligunt*, quod Carrionis sequentesque occupat editiones; quoniam nulla ejus litera compareret in Mss. Palat. in Bongarsianis, in Commeliniano meo, imo ne in veterrimis editionibus: quibus primam pestem invexit Pomponius Lætus, dum fingit: *emunt, vetera diruunt, nova ædificant:* ingeniose profecto, si id vocis quadrat in stuporem. *Grut.*

Trahunt] Accumulant.

Vexant] Lacerant pauperes et humiles; et est frequentativum a Veho, ut respondeat ad Traho.

Summa lubidine] Summa luxuria et superfluitate. *Vall.*

Vincere] Id est, nimio sumptu superare. In summa profusione æque tamen divites manebant. *Thys.*

Mala res] Conditio nostra misera.

Libertas] Tacitus vere l. IX. Annal. falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. *Grasw.*

Vel imperatore] Nunc privatim de officio suo agit. *Imperatorem* hic po-

nit pro duce et principe exercitus: nam principio nemo hoc honore dignabatur, nisi qui res amplissimas præclarissimasque gessisset. Postea is mos ita pervagatus atque pervulgatus est, ut vel minimis rebus gestis nomen hoc multis tribueretur: neque semel modo, sed iterum et sæpius. Hac autem appellatione decorabantur duces, aut exercitus conclamatione, aut (quod erat honorificentius) decreto Senatus, ut alibi scribemus. *Zanch.*

Nisi forte animus fallit] Manuscriptum habet, *ni forte animus fallit.* Rivius.

CAP. 21 *Accepere*] Id est, audiere, percepere.

Quibus mala abunde] Qui abundabant omnibus malis, et inopia rei familiaris stricti erant, et grande æs debebant: nec quomodo solverent, ulla spes suppetebat. *Vall.*

Spes bona ulla] Nihil habebant, et nihil sperabant, quod deterius est. *Glar.*

Quieta movere] Est in aliis, *Quietam remp. movere.* Sed manuscripta fere cum priore lectione faciunt; et illud *Quietam remp.* ex glossa irrepsisse suspicor. Nam *quieta movere*, hic est, quietum et tranquillum statum civitatis turbare. *Riv.*

Magna merces videbatur] Tametsi loco mercedis ponebant ocium et quietem reipublicæ perturbare. *Vall.*

Tamen postulavere plerique, uti proponeret] In Fabriciano est, *tamen postulare plerique*, pro *postulabant;* ut sit ἐναλλαγὴ modi, usitata historicis. *Rivius.*

Peterent] Aliter, *Peterentur.* Castal.

Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletum] Manuscripta, ut et impressa quædam, *proscriptionem locupletium.* Id mihi rectius numerosiusque esse videtur; sed et Cicero utitur hoc genitivo ad Atticum, 'Nec moderatiorem quam Sulla, in pecuniis locupletium:' nam in ablativo dici *locuplete* et *locupleti*, docet Q. Remmius Palæmon: unde genitivus exsistit *locupletum* et *locupletium;* quamquam idem Cicero ne quid dissimulem, *proscriptiones locupletum* dicit in Paradoxis; ut in vulgatis est exemplaribus; nam in manuscripto *locupletium* reperi. Porro *tabulæ novæ* Latinis dicuntur, quæ Græcis χρεῶν ἀποκοπαὶ, quomodo et Cicero appellat VII. ad Atticum. Est autem publica quædam æris alieni abolitio, et pecuniarum creditarum quasi condonatio. Meminit harum Cicero II. Officiorum, et Livius II. belli Macedonici; ut interpretis inscitiam jure mireris, qui hic *admirandas tabulas, et artificiose pictas*, intelligit per *tabulas novas.* Proscriptionis vero nomen a bellis civilibus initium ducit. Nam in tumultu et dissensione civili, cujusmodi exstitere Marii et Sullæ, Cæsaris et Pompeji, qui consecuti victoriam erant, ii nomina eorum, qui fuisse diversarum partium putabantur, in tabulis descripta proponebant, constitutis præmiis, si quis eorum quemquam occidisset, bonis etiam proscriptorum publicatis atque hastæ subjectis. Porro Sulla proscriptionis tabulas primus proposuit, isque non contentus in eos sævire qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, proscriptorum numero adjecit, quemadmodum Valerius inquit. Postea obtinuit consuetudo, ut in exsilium ejecti, *proscripti* dicerentur. Ergo *polliceri Catilina proscriptionem locupletum*, nimirum ut illis interfectis, impetus in eorum bona fieret. *Rivius.*

Polliceri] Hanc lectionem et scripturam omnes Codices typis excusi, et in pergameno descripti habent. Verum in uno Ms. reperi, *tum Catilina cœpit polliceri tabulas novas.* Quæ lectio haud placet. *Popma.*

Magistratus] 'Magistrare,' inquit Festus, 'regere et temperare est,

vel moderari.' Magistratus itaque tanquam rectores dicti. Magistri quoque dicti quicunque præfecti. Hinc Magister populi, sive dictator, Equitum, Magister Curiæ apud Plautum in Aulularia, qui Græcis τριττύαρχος. Magistri Census, Epistolarum, Scriniorum, Officiorum, Libellorum, Memoriæ, a Præfectura dicti. Etiam Magisteriam agentes in rebus in veteri lexico. Et Magisteria Potestas dicitur in l. vi. C. de Jurisd. Præcipue autem magistratus is dicitur, cui concredita esset gubernatio Reip. et qui judicium auspiciumque haberet, quemadmodum Cic. in Legibus scribit. Magistratus autem qui majores et qui minores dicerentur, Gellius docet ex verbis Messalæ, l. xiii. exponens hæc verba, ut quis Magistratus minor de cœlo servasse velit. *Zanch.*

Magistratus] Ut consulatum, Præturam, Dictaturam. Cicero in eadem: 'Num,' inquit, 'in cinere urbis, et sanguine civium, quæ mente conscelerata ac nefaria concupiverunt, se consules ac dictatores, aut etiam reges sperant futuros? non vident se cupere id, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse?' *Zanch.*

Sacerdotia] Ut Pontificatum, et Anguratum. *Idem.*

Pisonem esse] Superius dixit auctor eum interfectum; sed Catilina ignorabat, vel forsitan nondum interfectus erat. *Omnib.*

In Mauritania] Geographi duas Mauritanias esse dicunt, Tingitanam et Cæsariensem, a coloniis dictas Tingi et Cæsaris. Est autem nomen Mauritaniæ Græcum. Græci enim μαῦρον nigrum dicunt; et Mauritani sic vocati sunt propter nigredinem, id quod eis propter solis propinquitatem contingere videtur. *Zanch.*

Nucerinum] Oppido Nucera oriundum. Est autem apud antiquos auctores triplex Nuceria. Intra Brixellum haud procul a Padi ripa oppidum hodieque visitur, vulgari nunc vocabulo Lucera vel Luzzara. Hoc omnium fere judicio est id oppidum, quod Ptolemæo vocatur Nuceria: 'in Gallia,' inquit, 'Togata oppida sunt ista, Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma, Regium Lepidum, Nuceria, Tanetum, Mutina, Bononia:' Nec mirum sit, quæ olim fuerit Nuceria, eam nunc dici Luceriam, quando clarissima quondam Romanorum colonia, Luceria, in Apulia, vulgo nunc vocetur Nucera, raro Lucera. Quanquam hæc apud antiquos etiam auctores, Ptolemæum, et Tabulam itinerariam legitur. Nuceria Apulorum, ad differentiam alterius, quæ non procul a Padi ripa fuit. Apud Appianum vero Civil. bellorum l. xi. simpliciter Nuceria. Posterior hæc hodie Foggia appellatur, et memoratur Polybio, Ciceroni, Cæsari, Livio, Halicarnassæo, Straboni, Plinio, Frontino, Appiano, Stephano, Ethico. Quam ita antiquam fuisse, ut conditor ei Diomedes adscriberetur, Strabo testatur l. vi. *Cluv.* Est et Nucera, vulgo Nocera civitas Campaniæ, cujus populi dicti sunt Nucerini, et ager Nucerinus. Plin. iii. 5. haud procul a monte Vesuvio ager Nucerinus est: novem m. passuum a mari ipsa Nuceria.

C. Antonium] Hic C. Antonius fuit M. Antonii oratoris filius, ut ostendit Asconius: patruus autem M. Antonii, qui postea rempublicam evertit, quod testatur Cicero Phil. ii. Is a M. Lucullo prætore damnatus, quod Græcos spoliasset, etiam postea a Gellio et Lentulo censoribus Senatu motus est: Deinde cum præturam peteret, beneficio Ciceronis e postremo loco in tertium pervenit. Hæc ex Cicerone de Petitione consulatus, et Asconio in oratione contra C. Antonium et L. Catilinam sumpsimus. Tandem reus factus a Cælio, quod conjurasset, damnatus est: etsi potius Macedonia

provincia male administrata, quam conjurationis crimen, causa damnationis fuit. Cicero pro L. Flacco, pro Domo sua ad Pontifices, et pro M. Cælio, et Dion l. XXXVIII. *Cast.*

Omnibus necessitudinibus] Id est, omnibus necessitatibus: nam C. Antonius inops, et magno ære alieno oppressus erat, et multa nefanda flagitia commiserat. Q. Cicero in libello de Petitione consulatus, et M. Cic. in Toga Candida. *Zanch.*

Circumventum] Oppressum.

Cum eo se consule initium agendi belli facturum] Sic et Aldinum exemplar. Merseburgense habet in spatio, *agendi, supple bellum.* Verum in ceteris manuscriptis non est, *belli;* ac neque sensus ipse, neque Latinitatis ratio patitur, ut addatur, nisi quis legere malit, *initium belli facturum,* ut omittatur, *agendi;* quomodo exemplar habet Beroaldinum. Nam inferius quoque, 'Qui initium belli facerent,' inquit. Sed et Cæsar, 'Omnibus pollicitationibus ac præmiis deposcunt, qui belli initium faciant.' Hoc loco etiam *se consulem* habent codices in membrana descripti, casu accusativo, consentientibus impressis quibusdam, quod non sane displicet. *Rivius.*

Cum eo consule initium agendi facturum] Nonnulli scripti libri: *Cum eo consulem se initium agendi facturum.* Alii: *Cum eo consule se initium agendi belli facturum.* Alii: *Cum eo se consulem initium agendi bellum facturum.* Sed ego nihil pronuncio. *Popma.*

Cum eo se consulem initium agendi facturum] Pal. quarto abest vox *se.* habetque *consule,* contra editiones priores, et quam extrusit Lætus, contra Pal. pr. sec. ac Com. nostrum. nam ceteri sane omnes, *cum eo se consule initium.* Quod non probo; cum a libris illis antiquioribus videam stantes Carrionis membranas et Bongarsii. Posset tamen ferri et altera, si rescriberetur, *cum eo, se Consule, initium agendi futurum.* Sed ne quid mentiar; puto illud, *agendi,* a mala manu; certe superfluit, adjectumque ei præterea in Mss. posterioribus, *agendi belli.* Gruterus.

Adhæc maledictis increpabat omnes bonos] Quamquam eodem modo Aldinum quoque exemplar, tamen rectius in manuscriptis, *Ad hoc:* nam sic fere Sallustius alias, nec aliter Tacitus. *Riv.*

Suorum unumquemque nominans laudare, admonere alium egestatis, alium cupiditatis suæ] Perperam Gymnicus *admonebat:* quamquam sic in aliis quoque est. Irrepsit autem ex Glossa. Mecum facit exemplar Venetum, Schurrerianum, alia pleraque. *Idem.*

CAP. 22 *Cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret*] Ante erat *addiceret.* meus liber *adiceret. Populares* vero *conjurationis* dixit infra bis. Donatus in Phorm. 'Populares sui sceleris. Sallustius.' *Ciaccon.*

Ad jusjurandum adigeret] Præpositio *ad* abundare videtur. Nam *adigere* seu *adicere jusjurandum* dici solere ex Livio, Cæsare et aliis ostendimus in notis ad Cæsarem. *Ursin.*

Populares] Fautores, et conscios sui sceleris.

Humani corporis sanguinem] Catilina pateris infudit vinum sanguine humano permixtum: deinde circumtulit, ut omnes id libarent, hac execratione, ut ita omnium sanguis hauriri posset, nisi quod promiserant fecissent, uti sanguinem illius hominis hausissent. Plutarchus in Cic. vita: 'Dicamus et obiter morem quem Scythæ servant, cum aliquem amicum sibi elegerunt: quia huic jurijurando conformis est.' Apud Scythas, cum amicitiarum fœdus initur, ac jusjurandum maximum fit, scilicet et victuros eos pariter, et mortem oppperituros, si opus sit, alterum pro altero: sibi digitos incidunt, et sanguinem in calicem distillant, summisque intinctis gladiis, ambo pariter admoventes la-

bra: nec quicquam deinde est, quod possit eos dirimere. Morem hunc in dialogo de Amicitia Lucianus tradit: lege illum. *Zanch.*

Humani corporis sanguinem] Mos hic a Scythis. Mela II. 1. 'Ne fœdera quidem incruenta sunt, sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum.' Solin. c. 20. 'Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed et Medorum quoque usurpata disciplina.' Herodotus I. 74. *ὅρκια δε ποιέεται ταῦτα τὰ ἔθνεα, τὰ πέρ τε ἕλληνες· καὶ πρὸς τούτοισι, ἐπεὰν τοὺς βραχίονας ἐπιτάμονται, ἐς τὴν ὁμοχροΐην, τὸ αἷμα ἀναλείχουσι ἀλλήλων.* Veteres sanguine permixtam potionem *Assiratum* dixerunt, teste Festo, quod iis *Assir* sanguinem notet. Glossæ *Assir*, *αἷμα.* Eo utitur Cato de re rustica c. 33. 'Daps Jovi Assir a pecu in urna vini caste profanato sine contagione.' Recte autem ait Sallustius Catilinam humani corporis sanguinem circumtulisse. Cæsum enim puerum memorat Dio, superque ejus viscera juramentum conceptum. Verba hæc sunt: *Καὶ ἐς ἀθεμίστων ὁρκωμοσίων ἀνάγκην προσήγαγε. Παῖδα γάρ τινα καταθύσας, ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ τῶν ἄλλων.* Ut autem fœdera Romani jungebant cæsa porca, non sine exsecratione, ita Græci tauro, capro, aut ariete. De tauro habes apud Æschylum *ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις*: *Ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θούριοι λοχαγέται, Ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος, Καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου, Ἄρην, Ἐνυώ, καὶ φιλαίματον Φόβον Ὡρκωμότησαν, ἢ πόλει κατασκαφὰς Θέντες, λάπαξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ, Ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.* De capro Pausanias l. I. *ἐπὶ κάπρου κατόμνυσθαι τομίων, μηδὲν εἰς τὸν Ὀλυμπίων ἀγῶνα ἔσεσθαι παρ' αὐτῶν κακούργημα.* Rite autem sanguinem degustabant, quo plus posset exsecratio: sic apud Maronem Dido, cum Æneæ imprecata esset: 'At bello audacis populi vexatus et armis, Finibus extorris, complexu avulsus Iuli, Auxilia imploret, videatque indigna suorum Funera, nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit, regno aut optata luce fruatur: Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena:' adjungit tandem: 'Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.' Ad sanguinem istum alludit Tertullianus Apolog. 'Nescio quid et sub Catilina tale degustatum est.' Et Minutius Felix Octavio: 'Hodieque ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur, et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Ipsum credo docuisse sanguinis fœdere conjurare Catilinam.' Vide Satium v. Thebaid. ubi in sanguine vivo conjurant matres, et fœdus interfecti infantis sanguine sanciunt. *Putschius.*

Sanguinem] Tacitus in Nerone: 'mos est regibus, quoties societatem ineunt, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere: ubi mox sanguis in extremos artus suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt.'—*Sanguinem*] Non eos quidem improbo, qui multa hic cumulant exempla nationum, fœdera sancientium sanguine, tantum dico alio fine factum a Catilina. Alii enim nihil se peccare putabant, interfecto aliquo, cujus cruorem haurirent. At istud conjuratis pro scelestissimo erat, eoque crimine capitis incurrerant noxiam. Itaque excogitatum potissimum ipsis, ne possent fallere. Videantur discursus mei ad locum Tacit. l. IV. histor. 'occisis legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris.' *Gruterus.*

Pateris circumtulisse] Pateris in sacris Romanos usos ubique obvium, et discimus ex Varrone de L. L. l. IV. cujus verba adscribam: 'Præterea in

poculis erant pateræ, eo quod pateant, Latine ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, et in sacrificando Deis, hoc poculo magistratus dat Deo vinum.' Miror quid Colero in mentem venerit, existimanti *calvariam* idem esse cum patera, cum sit *τὸ κράνιον*. Cn. Gellii historici vetustissimi verba, quæ pro se adducit, omnino aliud significant commemoratione horrendi facinoris crudelissimi tyranni, cui similia in historia Gothica legimus, sed pergit idem, et *Cælii* nomen pro C. *Gellii* substituere conatur, ignorans scilicet, eundem hunc Gellium, ab Agellio in noctibus Atticis, Macrobio, Charisio, Prisciano, aliisque passim citari. Verba Capri quæ producit corruptissima, eum magis convincent, si sic emendata ex scripto legeris: 'Calva vocatur *κράνιον*, licet Cælius et Varro calvariam dicant, nam calvariæ plurale est, calvæ ossa, quæ sunt et singulariter calva.' *Putschius.*

Degustavissent] Libationem in sacris tacite innuit, quæ in sacris solennibus usitata erat. *Thys.* Post immolationem enim victimæ vinum aspergebat sacerdos, sed priusquam id effunderet, simpulo aut simpuvio ligneo vel fictili admodum parvo, et ipse leviter delibabat, et adstantibus gustandum deferebat, ut pariter libarent. Vocabatur hic ritus libatio. Hinc libare passim apud probatos auctores degustare. Virg. 'Purpureosque metunt flores et flumina libant.'

In solennibus sacris] Solennia sacra dicebantur, quæ certis temporibus anni fieri solerent. Verum non est credendum, Romanos in solennibus sacris humanum sanguinem degustare solitos fuisse; quamvis (ut multi scribunt) Saturnus et Latiaris Jupiter humana hostia placarentur. Dicemus igitur, vinum, aut quidpiam simile circumferri ac degustari solitum fuisse. *Cast.*

Dicitur aperuisse] Τὸ *dicitur*, ex glossa irrepsisse videtur. Neque enim est in vetustis, et eleganter citraque detrimentum sensus abest. *Riv.*

Atque eo dictare, quo inter se magis fidi forent] Hic mire variant exemplaria vetusta. Quid si legas *atque id ea re*, sive, *eo fecisse*, tametsi hoc verbum cum in manuscripto sit, in recentioribus desideratur: vel, *atque eo id ante fecisse, quo inter se, &c.* quomodo legendum esse, conjectura quadam ducor ad suspicandum. Hæc jam adnotaram; cum ecce in duobus manuscriptis reperio, *atque eo dictam rem fecisse:* quæ mihi lectio maxime omnium probatur; et habet eandem exemplar Baroaldinum. *Rivius.*

Atque eo dictitare] Libri nonnulli manuscripti, *atque eo dictam rem fecisse.* In manuscripto nostro, qui olim fuit Fr. Castrinii Narbonensis, expresse *atque eo dictante fecisse*: quod non improbandum videtur. *Thys.*

Atque eo dictare fecisse] Commodatus mihi liber perantiquus ab eruditissimo juvene, Græcarumque litterarum longe perito, Fulvio Ursino, *Atque eo dictitare fecisse:* nonnulli, *Atque eo dictam rem fecisse;* quod ineptum videtur. Sunt, qui ex ingenio reponendum putent, *Atque eo dictante fecisse;* vel, *Atque id eo dictitant effecisse;* vel, *Atque id ea re fecisse;* vel, *Atque id eo fecisse*, vel, *Atque eo id ante fecisse:* quorum conjecturam minime probo. Non displicet omnino impressa lectio: quanquam ejusdem temporis hæc tria verba mallem, *Circumtulisse, Aperuisse, Dictasse.* Nec tamen in culpa posuerim, quod Sallustius in postremo verbo tempus mutaverit. Amicus quidam meus, *Atque eo, dicta re, fecisse:* de quo eruditi viderint; ego adsensum sustineo. *Manutius.*

Magis fidi] Ut enim Thucydid. l. III. Τὸ ἀντίπαλον δέος πιστὸν ἐς συμμαχίαν, id est, mutui metus æqualitas sola facit

societatem fidelem. Et Tacitus l. VI. Annal. dicit: 'ex scelere metus, ex metu consilium capitur.'

Ciceronis invidiam] Id est odium. Ex Cicerone constat hanc invidiam eodem anno ortam esse. Nam Q. Metellus Nepos, Tribunus plebis, pridie Kal. Jan. Ciceronem consulem magistratu abeuntem concionis habendæ potestate privavit. Ipse Cicero conqueritur l. v. Famil. Epist. Ep. 2. ad Q. Metellum Celerem Galliæ Proconsulem, cum dicit, 'deinde si qua ego in re fratri tuo Reip. causa restiterim, peto ut mihi ignoscas. Tam enim sum amicus Reipubl. quam qui maxime. Si vero meam salutem, contra illius impetum in me crudelissimum defenderim, &c.' et paulo post, 'atque ille, quod te audivisse credo, pridie Kal. Jan. qua injuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit, cum Remp. conservassem, concionis habendæ potestate privavit.' Gliscens invidia tandem plane erupit, et quinquennio post ejus consulatum a P. Clodio in exilium missus est. De hac invidia contumeliaque conqueritur Cicero pro P. Sextio. *Benn.*

Parum comperta] Parum explorata. Nam cum tanta esset rei magnitudo, profecto esset nobis manifesta. Quapropter comprehendi potest, mendacem et falsum esse in conjuratione Catilinæ. *Vall.*

CAP. 23 *Sed in ea*] Ad id respicit quod superius dixit, *Arbitris procul amotis*. Putabant quidem omnes arbitros et revelatores procul esse amotos, sed non fuerunt amoti, quia unus interfuit, scilicet Quintus Curius, qui revelavit. Et hoc est, *Sed in ea conjuratione*. Idem.

Q. Curius] *Quinti* dicebantur, qui quinto loco nati erant: ut Franc. Robortellus, vir multæ eruditionis, et hac ætate nostra inter doctos facile princeps, in libro suarum Annotationum scribit. *Zanch.*

Q. Curius] Citat Marcellus hunc locum, sed ibi perperam *Q. Curtius* excuditur. Apud Ciceronem vero l. I. ad Atticum legitur *Torius* pro *Curius*. Coler.

Haud obscuro loco] Nobili familia.

Flagitiis et facinoribus] Putavi pro *facinoribus* legendum *fænoribus*: tum quod ita legit Gellius IV. 17. tum etiam quod dixerit *flagitiis*, supervacaneum videatur *facinoribus*. Verum Nonii me auctoritas a mutatione deterret. Nam in verbo *facinus*, hunc locum recitat. Præterea differunt omnino *facinora* a *flagitiis*, nam et *facinus* interdum bonum est, et cum est malum magis habet quiddam quam *flagitium*. At superius quoque non uno loco *flagitium* et *facinus* conjunxit Sallustius. Flagitiosissima quoque facinora appellat in Jugurtha. *Ald. Manut.*

Coopertus] Sic Jugurthino; 'inopem et coopertum miseriis effecit.' Horat. 'Famosisque Lupo cooperto versibus.' Tacitus Annal. III. 'Ne quis vita probrosus, et coopertus infamia, provinciam sortiretur.' Cato apud Gellium l. XIII. 23. 'Quum nefarium facinus pejore facinore operire postulas.' *Ciaccon.*

Coopertus] Non leviter tinctus, sed plane imbutus.

Censores] Censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ: quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus Equitumque centuriis decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus, privatorumque locorum, vectigalia populi Rom. sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium ejus est, quod in populo per multos annos non censo, neque differri census poterat: neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Quare cos. M. Geganio Macrino ite-

rum, T. Quinto Capitolino quintum consule, primi cum a primoribus civitatis spretus honor esset, Papirius Semproniusque creati fuere: qui magistratus, etsi a principio quinquennalis, postea a Mamerco Æmilio dictatore cautum fuit, ut annua et semestris censura foret. Cujus rei causa ipse Æmilius, quod veterem censuræ statum præfinitum minuisset, a proximis censoribus tribu motus, et ærarius factus est, ut testatur Liv. l. IV. Dec. primæ. Ad quam licet a principio admitterentur patricii tantum, postea effectum est, ut alter patricius, alter vero plebejus crearetur. Demum eo dignitatis venit, ut Censura omnium magistratuum pene princeps esset. Nam universæ reip. supremum et perfectissimum locum habebat. Hæc cum alias res, tum vero ut moras vitasque discuteret maximo in imperio ac potestate erat: ut quæ de nuptiis, de liberorum procreatione, de vivendi ratione, de conviviis diligenter inquireret; nulla denique omnium cupiditatum ac illecebrarum erat, quam adoriri ac indagare non oporteret. His enim putabant longe facilius, quam publicis muneribus, aut iis quæ in oculis fiunt, hominum mores eum posse deprehendere, qui severitate disciplinæ, ne quis ad voluptatem uteretur, custodiret, et acrius coërceret, neque patriam ac consuetam vivendi disciplinam transgrederetur. His licebat, et integrum erat, e Senatu eos ejicere, et illis equum adimere, qui flagitiose ac intemperanter degerent. Ipsi quoque sacrificiorum precia curabant, et descriptionibus civium genera et reipub. officia distinguebant. Multa quoque Cicero in III. de Legib. refert, et Pædianus in primo commentario, et Gellius IV. 20. et VIII. 22. Et si quis eorum decessisset, alterum in locum ejus sufficere religio erat. *Zanch.*

Moverant] Ita Codex Fabricianus. Vulgo, *amoverant*. Riv.

Vanitas] Levitas. Appollinaris apud Gellium XVIII. 4. asserit, 'vanos proprie dici non ut vulgus diceret, desipientes, aut hebetes, aut ineptos: sed ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.' Nos autem quid hic significet *vanitas*, ex ipsius Sallustii, quæ sequuntur, verbis facile cognoscimus. *Cast.*

Neque reticere quæ audierat, neque sua et ipse scelera occultare] Est in quibusdam, ut et Merseburgensi, *neque suamet ipse scelera.* Quomodo Livius VIII. ab U. C. 'Epoto medicamento, suamet ipsæ fraude interierunt.' Sed et prior lectio placet: nam idem Livius VII. belli Punici secundi, 'Ita inde Annibal,' inquit, 'sua et ipse fraude captus abiit:' τὸ *prorsus*, quod mox sequitur, ad sequentia pertinet, ac perperam est a Gymnico superioribus additum, ut sit 'prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat;' pro nihil curabat. Livius, 'Queis neque quid facerent, neque quid dicerent, quidquam umquam pensi fuisse.' *Rivius.*

Reticere] Colerus legit *retinere.* Futilis enim erat homo Curius: deducta nimirum metaphora a vasis perforatis, quæ cassa, et rimosa non tenent ea, quæ injicis, unde et futiles dicuntur ii, qui audita non custodiunt, aut retinent, sed effutiunt. Isidor. l. x. 'Futilis, vanus, superfluus, loquax;' sed priorem lectionem servare melius est.

Reticere quæ audierat] Magno molimine magnas nugas agunt, qui mutatum volunt *reticere*, in *retinere. Gruterus.*

Suamet ipse scelera] Meus liber, *sua et ipse*, ut legi possit, *sua etiam ipse.* Ciaccon.

Cum Fulvia] Pandectæ Florent. pro *Fulvia*, habent *Julia* l. in quæstionibus, ff. ad L. Jul. maj. sed libra-

riorum procul dubio hic error est, cui ansam dedit literarum similitudo. *Popma.*

Muliere nobili] Id est, nobili genere orta. Plutarchus: 'Sed hoc,' inquit, 'Fulvia nobili genere mulier, clam noctu profecta, Ciceroni detexit:' hanc Florus 'vilissimum scortum' appellat. *Zanch.*

Consuetudo] Ita antiqui loquebantur, pro rem habere cum aliqua. Terent. Adelphis: 'Qui cum illa consuevit prius.' Ita etiam in Hecyra, et Phormione loquitur. Et Plautus in Cistellaria: 'En unquam cum quoquam viro consuevisti?' *Manut.*

Maria montesque polliceri] Proverbium est, quod usurpare solemus, cum de ingenti alicujus pollicitatione dicere volumus: idque cum quadam irrisione dicimus. *Zanch.*

Ferro] *Ferrum* pro gladio dixit per Metonymiam, ut ex materia intelligas rem confectam. Et quanquam hæc figura Poëtis familiarior sit, utitur ea tamen et Cicero nonnunquam, velut pro Cecina: 'In aliquem advenientem cum ferro invadere;' et, 'homines instructi et certis locis cum ferro collocati.' *Riv.*

Insolentiæ] Id est, insolitæ superbiæ, et immodestæ jactantiæ. *Bad.*

Insolentia] Badius *insolentiæ*, in gignendi casu, legit, et codex quoque vetustus: quod placet propter compositionem, etiamsi alii ablativum exponant, propter insolentiam. *Glar.*

Reipubl.] Aperuit enim Ciceroni. Papinianus Respons. lib. XIII. 'In quæstionibus læsæ majestatis etiam mulieres audiuntur: conjurationem denique Sergii Catilinæ Fulvia mulier detexit, et M. Tullium consulem indicium ejus instruxit.' Lex hæc extat l. VIII. ff. ad l. Jul. majestat. Dicit hic Papinianus M. Tullio consuli detexisse Fulviam, sed fallitur: ex Sallustio enim constat hoc factum fuisse ante consulatum Ciceronis, L. Cæsare et Q. Martio Coss. *Coler.* Dein Sallustius dicit, non tam Ciceroni quam pluribus evulgavisse; ultimo non accusavit Fulvia, sed tantum detexit.

Sed sublato auctore] Id est, Fulvia non solum quæ Catilina moliebatur, sed etiam modum et viam, qua id facinus perpetrare decreverat, ut ipsa audiverat a Curio, suppresso tamen Curii nomine, compluribus narravit. *Cast.*

Studia] Favores et animos hominum.

Accendit] Incitavit.

Æstuabat] Ardebat et stimulabatur odio, quia quodam odio populi maculari Nobilitas videbatur. *Vall.*

Si eum quamvis egregius, novus homo adeptus foret] In manuscriptis est, *homo novus;* quæ collocatio verborum melior; qua et Cicero fere utitur. Dicitur autem *homo novus*, qui nulla generis et prosapiæ nobilitate commendetur, et qui propter ignobilitatem a se ortus videatur, hoc est, qui nulla adjuvetur in adipiscendis honoribus commendatione majorum, quique nullas horum ostentare imagines, nec res gestas virtutesque jactare possit. Cicero Philippica VI. 'Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum hominibus nobilissimis omnibus honoribus prætulistis?' Idem in Sall. 'Ego,' inquit, 'majoribus meis virtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ suæ.' Utrobique significat, se esse hominem novum. Testatur et Plutarchus in vita M. Catonis, homines appellari novos ab Romanis τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐχ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὑτῶν, ut ipse inquit. Huic in Jugurtha Sallustius opponit 'hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum,' quem uno verbo *nobilem* dicimus. *Rivius.*

Post fuere] Meus liber, *profuere.* Ciaccon.

Post fuere] Postposita sunt.

CAP. 24 *Comitiis habitis*] Comitia fu-

ere curiata, centuriata, tributa. Curiata omnium fere antiquissima, in quibus populus curiatim, hoc est, divisus per curias, suffragia sua dicebat. In centuriatis centuriatim populus suffragia ferebat. Tributa porro comitia fuerunt, cum per tribus ex regionibus et locis suffragium ferretur: centuriata comitia ex senatus auctoritate fieri oportebat, qua in tributis opus non erat, ideoque temporibus primis post habita comitia fiebant quoque Patres auctores, id est, confirmabant, quæ populus suffragiis suis jussisset, donec, eo jure senatui adempto, constitutum fuit, ut antequam haberentur comitia, in incertum comitiorum eventum Patres fierent auctores, ut Gellius docet XIII. 14. In curiatis comitiis non licuit suffragium ferre, nisi iis, qui in curias erant relati. Qui autem extra urbem domicilia habebant, non erant in curias relati, et proinde ferendi suffragium jure minime gaudebant, non licebat enim curiata habere comitia, nisi intra pomœrium. *Sigonius, alii.*

M. Tullius, et C. Antonius] Cicero consul omnium consensu factus est: sed Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter nomen patris paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinæ: auctor est Pedianus. Cicero in Pisonem: 'Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas, non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit.' Anno urbis conditæ septingentesimo Cicero consul fuit, ut scribit Plinius IX. 39. *Zanch.*

Populares] Id est, fautores conjurationis. *Idem.*

Sua, aut amicorum fide sumtam mutuam] Meus liber, *mutuo.* Sed eam vocem additam opinor: *sumta* enim erit fœnore: sed dicit *sua fide sumere.* Ciaccon.

Fæsulas] Fæsulas ab Atlante conditas, easque ab ejus filia Fæsula appellatas esse, Politianus contendit lib. I. Epistolarum. Multas autem colonias huc a Sulla deductas significat. Campos eos qui inter Fæsulas et Aretium jacent, maxime opulentos esse frumenti, pecoris, omniumque rerum copia, Livius scribit. Modicus hodie vicus non procul a Florentia est. Vide Cluver. Ital. II. 3.

Ad Manlium quemdam] *Quemdam* ait, tanquam obscurum, ut quem neque superius inter insigneis conjuratos numerarit. C. *Manlium* paulo post vocat. Mirum vero, illum exercitus ducem electum. Verum oportuit præcipuæ audaciæ fuisse hominem. Commentarius, qui Vallæ adscribitur, ait, Fæsulæ principem fuisse: sed errat, ex Sallustii verbis non intellectis. *Glareanus.*

CAP. 25 *Hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis, satis fortunata fuit*] Maluissem, *commiserat; mulier genere, forma, viro, liberis satis fortunata; literis, &c.* præteritis ceteris vocibus. *Gruterus.*

Genere atque forma] Hinc apparet quod Sempronia primum gens patricia fuit, quamvis postea plebejam factam velint. Ejus in nummis, quos habemus, familiæ tres reperiuntur, Atratinorum, qui patricii fuerunt, Gracchorum qui plebeji, Pitionum, quos plebejos item fuisse arbitror. In æreo quodam nummo mentio quoque fit L. Sempronii Atratini, qui anno DCCXVII. in M. Antonii iterum consulis Cal. Jan. abdicantis locum factus est. Dio lib. XLIX. Qui et postea Antonianarum partium fuit. *F. Ursin.*

Viro atque liberis satis fortunata] Sustuli particulam *atque*, testimonio Frontonis adductus: amator autem brevitatis Sallustius hujusmodi particulas sæpe respuit. Eodem modo proxime legimus *psallere, saltare*, non ut est in vulgatis libris *psallere et saltare:* in quo Macrobii auctoritate nitor, quem video ita legisse III. 14. *Manut.*

Psallere et saltare] Quidam libri habent, *psallere et cantare.* Tamen sequor lubentius antiquissimum Fulvii librum, in quo diserte scriptum video *psallere et saltare:* nam *psallere* non idem est, quod saltare, sed potius fidibus canere. Itaque dixit Gellius XIX. 9. 'desideravit exhiberi, quos habere eum sciebat scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce, et qui psallerent.' Non enim necesse erat dicere, *canerent voce,* nisi et in verbo *psallerent* cantus inesset. Itaque, ut distingueret, dixit, *canerent voce.* Præterea psaltriam et fidicinam æque dici non ignoramus, et ψάλλω pro canto, ψαλμὸς pro cantu dicitur. Atque hanc lectionem ipse quoque Macrob. l. III. agnoscit. *Ald. Manut.*

Multa alia] Meus lib. addit, *præterea multa alia.* Ciaccon.

Sed ei semper cariora omnia, quam decus atque pudicitia fuit] Hunc locum sic expressit Tacitus Annal. XIII. 'Huic mulieri cuncta alia fuere præter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferre, et lascivia uti; famæ nunquam pepercit.' *Idem.*

Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuere] Sic legendum est ex pluribus libris. *Putschius.*

Verum ingenium ejus haud absurdum, posse versus facere] Nescio quid turbet τὸ *posse,* quo sublato concinnior sane erit oratio, *absurdum versus facere,* pro ad versus faciendos. Confirmat conjecturam Tacitus, qui eo vocabulo simili modo utitur: 'Sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferre, et lascivia uti.' Et III. histor. 'Ne absurdus ingenio famam urbanitatis per lasciviam peteret.' *Putsch.*

Multæ facetiæ] *Multa facetia,* est in meo libro, ut apud Plautum *Delicia,* et III. Hist. *Insidia prima.* Ciaccon.

Prorsus multæ facetiæ multusque lepos inerat] Charisius lib. I. *facetias* inter nomina pluralia tantum refert. *Facetiæ,* εὐομιλία, εὐστομία. Glossæ, *facetiæ* χάριτες ἐν ἀνθρώπῳ. Nolim igitur hic quicquam mutare refragrantibus libris: quamquam Apuleius Apologia sic loquatur: 'Atque ego scio nonnullos et cumprimis Æmilianum istum facetiæ sibi habere, res divinas deridere.' *Putschius.*

CAP. 26 *Ad cavendum dolus aut astutiæ deerant*] Meus liber, *ad cavendum dolos, astutiæ deerant.* Ciaccon.

De quo paulo ante memoravi] Morboniam ire juberem verba parenthesi ista conclusa, si liceret per libros: et næ Sallustius lectores suos habuit pro potoribus Lethes, si arbitrabatur in memoriam eis revocanda vix decem versibus ante memorata. *Grut.*

Dissentiret] Est in manuscriptis omnibus, quos ipse viderim, *Sentiret,* neque sensus id repudiat. Tametsi ne alterum quidem displicet, si subaudias, *ab ipso.* Riv.

Neque petitio] Falsum est, hærere in vett. edd. *petitiones.* Vicentina enim, nec non Mediolanensis, omnium primæ, alterum servant; comparetque idem in Veneta Læti, ut et Aldina anni cIↃ IↃ XXI, ceterisque aliquot seqq. et vero agit auctor de petitione consulatus Catilinæ: nam accipere *petitiones,* metaphorice; est sine ulla figura prodere fatuitatem suam. *Gruterus.*

Neque insidiæ quas consuli fecerat, prospere cessere] Lego *fecerat, processere.* Infra: *quod neque insidiæ consuli procedebant;* et alibi sæpe. *Ciacc.*

Quas Consuli fecerat] Sunt qui credant legendum: *Quas consulibus fecerat:* communem et receptam lectionem eo libentius secutus sum, quod subjicit paulo post: 'Interea Romæ multa moliri, consuli insidias tendere.' In nonnullis tamen Mss. inveni, *quas Coss. in Campo fecerat.* Sed prior plurium codicum testimonio comprobata est. *Popma.*

Neque insidiæ quas Consulibus in campo fecerat, prospere cessere] Revo-

cata lectio ex Orci cancris, servatur Pal. Naz. sec. tert. et Com. meo; visiturque etiam in Pal. quart. sed numero singulari, *Consuli*, hactenus mutilate editum, *quas Consuli fecerat*. Nam Ciceroni aliisque indicatum, Catilinam in ipso *Campo* diserte traditum pluribus, etiam Dioni l. XXXVII. Invenerat scripturam hanc nostram in nonnullis membranis Popma; non etiam retinuit, quod altera plurium comprobaretur codicum testimonio: male: ex vero namque P. Syrus, 'Est turba semper argumentum pessimi.' *Gruter*.

Quoniam quæ occulte tentaverat, aspere fœdeque evenerant] In manuscriptis et aliis antiquioribus est, *aspera fœdaque*: nec aliter legit interpres, quisquis is est. *Rivius*.

CAP. 27 *C. Julium*] Vetus codex habet *C. Junium*. Et fortasse is est, qui argenteo denario C. JUNI C. F. describitur. *Ursin*.

Quem ubique opportunum sibi fore credebat] Fere fecerim transpositis syllabis, *ubi quemque opportunum, &c.* Gruter.

Dies noctesque festinare] Varie hoc effert Sallustius, *Dies noctesque*. Item: *Diu noctuque*. De voce, *festinare*, vide Catonem ap. Gell. XVI. 14. *Ciaccon*.

Neque labore fatigari] Meus lib. *neque laboris face fatigari*; forte, *laboris fasce*. Idem.

Principes conjurationis] *Populares* hos appellat, cap. 22. 24. 52. sed c. 45. *Principes*, ubi intelligit Lentulum, Cethegum, &c. *Idem*.

CAP. 28 *Et cum eo L. Vaguntejus senator*] Manuscripta, *L. Varguntejus*: quamquam Plutarch. in vita Ciceron., hoc omisso, C. Cethegum provinciam cepisse consulis interficiendi testatur. *Rivius*.

Et de improviso domi suæ imparatum confodere] Abest ab uno *domi suæ*, ab duobus *imparatum*; quæ salvo sensu abesse posse nemo negaverit. Et hic est locus quem a brevitate tantopere commendant. *Putschius*.

Ubi intelligit quantum periculum Consuli impendeat] V. c. habet: *Ubi intellexit quantum periculum Consuli impendebat*: et paulo post, ubi in vulgatis editionibus est, *dolore injuriæ*, in v. c. abest vox *injuriæ*. Ursin.

Janua prohibiti] Sic in Jugurtha: 'Numidas insequentes manibus prohibuit.' *Ciaccon*.

CAP. 29. *Dolore injuriæ*] Dictio *injuriæ* abundat in meo libro. *Idem*.

Senatus decrevit, ut darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet] Τὸ *ut* in exemplaribus manuscriptis non est: ac elegantius omitti, quam addi videtur: tale illud Livii; 'Præscribit monetque Lilybæum firmo teneret præsidio.' Cæsar I. belli Civilis, 'Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid respub. detrimenti caperet;' pro, decretum ut darent. *Rivius*.

Darent operam Coss.] Ciceronem vide Catil. I. et alibi. *Ciaccon*.

Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur; exercitum parare] Non habet *per Senatum* Pal. tert. et poteramus eo carere, ut et aliquot verbis subsequis. Nam, aut valde hallucinor, aut auctor scripsit: *Eo permittitur exercitum parare, &c.* Reliqua omnia irrepserunt e glossa; et ea quidem quavis cloaca fœtidiore, eis quibus nota Respublica Romana. *Gruter*.

Aliter, sine populi jussu, nulli earum rerum consuli jus est] Manuscripta duo, *nullius earum rerum*; nisi quis *nulli* vetuste positum malit pro, *nullius*: quomodo Comicus dixit, 'Tam iners, tam nulli consili;' et in Truculento Plautus, 'Coloris ulli,' pro *ullius*. Nec enim τὸ *consuli* addendum puto. Sed ut hoc obiter addam, *Aliter* Sallustius, pro alioqui posuit; *jus*, pro potestate. *Rivius*.

Nulli earum rerum Consuli jus est] Dictiuncula postrema abundat; for-

san et antepenultima: ceterum libri meliores, videlicet Pal. pr. ac sec. Bongarsii ac Commelini, habent voce prima, *nullius*, de quo consulatur Rivius; Rivius, inquam, cui Sallustius civicam debet: nam et meo judicio, revocanda ab exilio lectio illa. *Gruterus.*

CAP. 30 *L. Senius Senator*] Expunxerim libens dictionem *Senator.* Neque enim periculum est, ut arbitremur subulcum quem recitasse literas in Senatu. *Idem.*

Quas Fæsulis allatas sibi dicebat, a Q. Fabio, in quibus scriptum erat] Locus hic corruptus et mancus fuit. Neque enim apparuit a quo litteræ Fæsulis missæ erant, quas L. Senius in senatu recitavit. Ego locum in omnibus editionibus depravatissimum Martiniani codicis ope adjutus, pristinæ integritati restitui. Quis autem hic fuerit Q. Fabius, etsi in tanta rerum omnium obscuritate non satis habeam constitutum, conjecturam tamen meam libenter adfero. Puto igitur hunc esse Q. Fabium Sangam, de quo paucis interjectis paginis, eodem in libro Sallustius: 'Itaque,' inquit, 'Q. Fabio Sangæ cujus patrocinio plurimum civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt.' *Popma.*

Quas Fæsulis allatas sibi dicebat; in quibus, &c.] Fere est, ut expungi debeat, verbum primum et antepenultimum. At ecce, tanquam si inopia summa esset et verborum et sensus plane mancus, Popma noster adhuc adsuit ex codice Martiniano, *dicebat, a Quinto Fabio, in quibus, &c.* euge! euge! nisi sciremus bajulum literarum, omnia perierant: at, ut taceam Glareanos, Rivios, Carriones, Ursinos, reliquos, affirmo libros Mss. quatuordecim quos ego excussi, libros item quos Bongarsius, non agnoscere *Q. Fabium:* nimirum aliis omnibus *Cunctator*, uni Popmæ est *Ludus.* Gruter.

Allatas] Addit ex Martiniano Codice Popma, *a Q. Fabio:* atque per eum Q. Fabium Sangam, cujus postea meminit Sallustius, intelligi existimat. Sed vetus lectio recte se habet.

C. Mallium arma cepisse] Ita nos correximus, cum antea in cunctis vulgatis impressisque libris *C. Manlium* legeretur. *Malliorum* autem familia, nobilissima, antiquissimaque fuit, ex qua multi celebres viri extitere, qui sæpius consulatum gesserunt. Ex his fuit et Cn. ille Mallius, P. Rutilii collega, ut a Valerio Maximo, lib. II. traditur: apud quem tamen, omnes fere libri, C. Manlium habent, contra veterem inscriptionem, quæ duorum consulum his verbis mentionem facit. AB. COLONIA. DEDUCTA. ANNO. XC. N. F. FULVIO. DVO. VIR. P. RUTILIO. CN. MALLIO. COSS. OPERUM. LEX II. Ne quid tamen dissimulem, liber quidam, in pergameno descriptus, quem mihi utendum dedit vir doctissimus, meique amantissimus, Guilielmus Canterus, *Mallium* habet, simplici L. nec aliter Plutarchus vocat in vita Ciceronis, οὗτοι γὰρ ἡγεμόνα Μάλιον ἔχοντες, et iterum, πρὸς τὸν Μάλιον. Ego tamen, *Mallium* legendum puto, consentientibus præsertim antiquis libris, et veteri inscriptione, quam paulo ante posui: et Canteri codex aliis in locis, nulla varietate, Mallium duplici ll. profert. *Popma.*

Senatus] Non. Marcellus de mutata declinatione agens, *Senati decreto* hic legendum adnotavit. Quam veram esse lectionem reor: et sic in altero manuscripto fuerat, sed erasum erat *i:* habet eodem modo exemplar Florentinum. *Riv.*

Q. Metellus Creticus] Nonius in *Senati*, ubi hunc locum citat, prænomen Metelli non ponit. *Ciac.*

Q. Metellus Creticus] Is consul fuit (ut memorat Asconius in Orationem in L. Pisonem) cum Q. Hortensio,

anno ab urbe condita 684. Cretam inde proconsul in populi Romani potestatem redegit: unde Creticus est appellatus. Sed de hoc Q. Metello plura Livius l. XCVIII. XCIX. et C. Florus libro tertio. Plutarchus in Pompejo. Dion. l. XXXVI. *Cast.*

Q. Metellus Creticus] Creticus, cognomen est a devicta Creta. Plures enim Q. Metelli uno tempore fuerunt: ex quibus duo consulares, Pius et Creticus: duo autem adolescentes, Nepos et Celer. Pedianus. *Zanch.*

Circumque ea loca missi] Quibus non pœnitet aliquando conjecisse, *circumque e loco missi*, nescio an non judicent, se adhuc obtinere antiquum, ac priore morbo impeditos: nihil enim altera lectione elevatius, nihil aptius. *Gruterus.*

Hi utrique ad Urbem imperatores erant impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum] In vetustis quibusdam est, *Utrique enim, &c.* sed in manuscriptis est vulgata lectio. Asconius Pedianus, *Ii, utrique*, legisse videtur. Nam perperam ibi quidam *secundo* legunt, quasi *ii* numerum notet, ac non potius pronomen sit. Hoc eos, qui locum citarunt, non observasse miror. *Rivius.*

Quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat] Eadem verba infra repetit III. Jugurth. *Ciaccon.*

Q. Pompejus Rufus] Opinor designari Q. Pompejum Rufum, filium ejus Q. Pompeji Rufi, qui consul cum L. Sulla fuit anno U. C. DCLXV. quique præturam urbanam gesserat, anno U. C. DCLII. et ab eo signatos esse denarios, in quibus honos hic Præturæ et Consulatus patris expressus est, sellæ curulis insignibus, cum hac inscriptione: Q. POMPEII Q. RUFUS Cos. *Ursin.*

Hisque permissum est, uti pro tempore] Legendum, *hisque permissum*, omisso verbo substantivo: quomodo et Merseburgense exemplar, et alia quædam habent. *Rivius.*

Præmium, servo libertatem] Sic et in Fabriciano. In ceteris fere, *præmium decrevere, &c.*: quomodo item in impressis vetustioribus; nisi quod in his fere *præmia* legimus, numero plurali, id quod minus probo. *Idem.*

Præmium, servo libertatem et H-S centum] In aliis codicib. adjicitur verbum *decreverunt*, ad hunc modum: *Præmium decreverunt servo libertatem;* quod nescio num consultius intelligatur, an ponatur. Vetustus certe codex habet, *Præmium decrevere.* In Livio autem non uno dumtaxat loco, 'Servi præmium est 25. millium æris, liberi C. millium:' hoc est Budæana supputatione servi 250. Coronati, liberi mille. Hic igitur servi præmium decuplo majus, liberi quintuplo. Nam centum H-S faciunt coronatos 2500. Ducenta vero 5000 coronatos. Utrum quia seculum hoc ditius illis apud Livium, an periculum reipubl. hoc majus visum magistratibus ac senatui? *Glareanus.*

Sestertia] Sestertius denarii quarta pars, atque idem alio nomine κατ' ἐξοχὴν nummus, quia frequentissimus ejus in rationibus usus. De hoc Vitruvius III. 1. 'In denario,' inquit, 'denos asses æreos constituerunt, et quartam ejus partem de duobus assibus, et tertio semisse sestertium vocarunt.' Æstimatio denarii eadem fere hodie, quæ Regalis Hispaniensis, id est, stuferi III. cum dimidio: quinarii et sestertii pro proportione. *Lips.* Vide Budæum de asse, et Agricolam de Ponder. monetar. Manut. de Quæsit. per epist. I. 8. et nuperrime Gronovium de Sestert.

Gladiatoriæ familiæ] Arbitror Sallustium per gladiatoriam familiam, servos gladiatores intelligere. Horum enim amicitiam Catilina contraxerat, ita ut nemo inter eos esset, paulo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateretur. Cicero invectiva secunda in Catilinam: 'Gladiatores quam sibi ille maximam manum,

et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen vestra continebuntur.' Portius Latro, in declamatione in Catilinam: 'Si L. Catilinam constat, dies omnes, omnium civium conscientia, sive in foro, sive in turmis agere; nunc stipatum catervis exoletum servorum, nunc vero gladiatoriis agminibus per ora vulgo palam obvolitare.' *Popma.*

Uti gladiatoriæ familiæ Capuam] Hic Commentatores nihil ad rem dicunt. Alius quidam ita exponit, uti *gladiatoriæ familiæ*, id est, *ipsi gladiatores in familias distributi, per municipia distribuerentur*, ne Romæ tumultum moverent, ut antea sub Spartaco factum est, atque hoc pro cujusque municipii opibus: quæ sententia non multum abest a vero. Illud *cujusque* Badius exponit, scilicet *familiæ*. Sed C. Cæsaris verba in oratione, quæ postea sequitur, ostendit de municipiis intelligendum. Ea ita habent ad finem ejus orationis, ubi de captivis sententiam definit: 'Sed ita censeo,' inquit, 'publicandas eorum pecunias, et ipsos in vinculis habendos per municipia quæ maxime opibus valent.' Hæc ille. *Glar.*

CAP. 31 *Quibus rebus permota civitas, atque immutata facies urbis erat*] Ferme est ut pronuntiem illud, *permota civitas*, natum a glossa; certe parum habet quod hic agat, ut etiam substantivum *erat*. Gruterus.

Neque loco, neque homini cuiquam satis credere] Totidem verbis in Jugurth. 'Neque loco, neque mortali cuiquam, neque tempori satis credere.' *Ciaccon.*

Neque bellum gerere, neque pacem habere] Sic Jugurth. 'neque prælium facere, neque otium pati.' *Idem.*

Ad hoc mulieres quibus pro reipub. magnitudine] Meus liber non habet, *pro*. Sed quid si legamus? *Ad hoc mulieres, quibus ille timor insolitus incesserat, pro reipub. magnitudine afflictare sese.*' Idem.

Quibus pro Reipubl. magnitudine] Hoc a quibusdam et inverse legitur, et perverse exponitur. Non est dubium Sallustium dicere velle, cum tam magnum ac tam potens esset Romanum imperium, ut non facile quisquam Romanis bellum inferret, insuetum ac insolitum fuisse omnibus, maxime vero mulieribus belli timorem. *Glar.*

Quibus pro Reipubl. magnitudine] Legendum juxta Gruterum, *Reipubl. magnitudine.* Sic et ad minimum decem membranacei. *Pro Reipubl. magnitudine*, invectum a Pomponio Læto; neque enim prioribus intererat editionibus. *Grut.*

Rogitare; omnia pavere, &c.] Pall. pretii edecumati nihil abeunt ab hac scriptura, nisi quod Naz. initio habuerit, *recogitare:* quibus ætas est recentior adjiciunt, *rogitare Deos, omnia pavere*, quod cur non etiam admittam, facit præcedens, *manus supplices ad cœlum tendere:* qui hoc enim facit, utique rogat Deos. Putarem potius repetendum, *rogitare omnia, omnia pavere;* ut dudum indicavi in libellis suspicionum. *Idem.*

Lege Plautia] Tulit hanc legem M. Plautius Silanus tribunus plebis, in eos qui vel vi rempub. oppugnassent, vel clam et dolo aliorum saluti insidias fecissent. Cicero de responsis Aruspicum: 'Deinde cum ille saxis, et ignibus, et ferro, vastitatem meis ædibus intulisset, decrevit Senatus, eos qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos, qui universam Rempub. oppugnassent, teneri.' Idem pro Milone: 'Hanc vero quæstionem, etsi non est iniqua, nunquam tamen Senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quæstiones; vel de cæde, vel de vi: nec tantum mœrorem, ac luctum Senatui mors P. Clodii adferebat, ut nova quæstio constitueretur.' Accedit et hujus orationis interpres Pedianus: 'Deinde,' inquit, 'post paucos dies apud Considium quæstorem, lege Plautia, de vi, subscriptione eadem,

accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis.' Sall. in Ciceronem: 'Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum, cum Terentia uxore, de Rep. consuluisti, cum legis Plautiæ judicia domi faciebatis.' Atque hanc Plautiam rogationem C. Cæsar oratione sua suasit: id quod ex Gellio intelligi potest: cujus verba XIII. 3. hæc sunt: 'Reperi tamen in oratione C. Cæsaris qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem pro necessitudine dictam, id est jure affinitatis.' *Popma.*

Dissimulandi caussa, et quasi sui expurgandi] Alii codices habent, *aut sui expurgandi;* meus, *dissimulandi caussa, tum sui expurgandi.* Legerem: *dissimulandi, an sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, in Senatum venit.* Tacitus sane assectator Sallustii maximus, hujusmodi locutionem frequenter usurpat: ut Annal. XV. 'Nihil metuens, an dissimulando metu:' et l. I. 'Legiones metu, an contumacia deseruere:' et II. 'Metu invidiæ, an ratus conscientiam satis esse:' et 'finem vitæ sponte, an fato implevit.' *Ciaccon.*

Sicuti jurgio lacessitus foret, in senatum venit] In aliis est ordo verborum mutatus, licet manente sensu. Sed ad hæc et similia est nobis connivendum, ne minutis in rebus occupari, καὶ περὶ μικρὰ σπουδάζειν videamur. *Rivius.*

Sicuti jurgio lacessitus foret] Forte: *si cujus jurgio:* vel: *si quo.* Gronov.

Sive præsentiam ejus timens, sive ira commotus] Vix mihi persuadeo lectionem loci hujus sinceram: utraque sane caussa indigna Cicerone. Itaque quamvis posset refingi, *sive præsentia ejus sive ira commotus;* capior potius suspicari pleraque a glossa, ac fuisse primitus; *Consul, præsentia ejus commotus, orationem, &c.* Gruterus.

Catilina ut erat paratus ad simulanda omnia] Manuscripta, *ad dissimulanda omnia:* et sic item ex impressis quædam, velut Beroaldinum et Venetum. *Dissimulamus* autem quæ sunt; *simulamus* quæ non sunt: sed et paullo ante de eodem Sallustius: 'Postremo dissimulandi caussa,' &c. quamquam vulgatam lectionem non rejicio, quam et Merseburgense habet. *Rivius.*

Ita ab adolescentia vitam instituisse, uti omnia bona in spe haberet] Alii, *haberent:* pro, ut omnia bona de ipso speranda et exspectanda forent. Perperam et Gymnicus et alii, *dicebat vitam instituisse:* quod verbum ex glossa addita, ut opinor, irrepsit in contextum: nam majore cum gratia et venustate abest. Ita Cicero, 'Habendas esse quam laxissimas habenas: caput enim esse ad bene vivendum securitatem:' et Virgilius Æneid. II. 'tunc Nisus et una Euryalus confestim alacres admittier orant, Rem magnam pretiumque moræ fore.' Supple, *dicunt.* Tale illud quoque in Jugurtha: 'Postero die cum Aulo in colloquio verba facit. Tametsi ipsum cum exercitu fame ferroque clausum teneat, tamen se rerum humanarum memorem, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub jugum missurum:' ubi perperam est in Veneto quodam, *tamen se dicit memorem:* quod verbum ex glossa addita irrepsit. *Idem.*

Ut omnia bona in spe haberet] Vocem *bona,* additam esse existimo. Sic enim loquitur sæpe Cicero: ut libro Epistolar. ad Famil. epist. III. 17. 'Omnia esse in Bruto tuo:' et l. XVI. 'Omnia habebo a te.' *Ciaccon.*

Ne existumarent] Perperam Gymnicus, *neque.* Riv.

In plebem Rom.] Ita quidem libri, sed nonne melius, *in populum Romanum?* errore orto ex compendio scripturæ P. R. *Grut.*

Perdita repub. opus esse] M. l. *perditam rempublicam opus esse:* ut Q. Claudius in Annal. apud Gellium XVII. 2. 'Nihil sibi divitias opus esse.' *Ciacc.*

M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ] Ita habent Aldi et Gothi codices. Alii vero pro quatuor ultimis verbis habebant duo hæc: *Novus homo.* Sed utrumque legi potest. *Glar.*

Inquilinus civis urbis Romæ] Aliquis superscripserat interpretationis caussa illis, *Inquilinus urbis,* civis Romæ: id postea a bardis hominibus redactum in contextum ipsum; meo quidem judicio. *Gruterus.*

Ad hoc maledicta] M. l. addit, *multa male dicta alia.* Ciacc.

Præceps] Id est furibundus quasi in præcipitium aliquod ex impatientia injuriæ agor. *Omnib.*

Incendium meum ruina restinguam] In manuscriptis est, *exstinguam:* quomodo et in aliis quibusdam: nec secus legit Felicius Durantinus, hæc verba citans. Verum mihi prior lectio magis arridet: nam et Cicero pro L. Murena, Catilinam ait Catoni judicium minitanti respondisse, 'si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.' Sed et Florus eodem modo: nam Sallustii verbis utens, 'Consul,' inquit, 'habito senatu in præsentem parricidam reum Cicero peroravit. Sed non amplius profectum quam ut hostis evaderet, seque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur.' Val. Maximus verbo *exstinguere* utitur: 'L. vero Catilina,' inquit, 'in senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente, Sentio, inquit, et quidem illud, si aqua non potuero, ruina exstinguam.' l. IX. c. de dictis improbis aut factis sceleratis. *Rivius.*

Incendium meum ruina restinguam] Veteres quidam libri, *Incendium meum ruina vestra restinguam.* Antiqui mei, uno excepto, cum vulgata, receptaque hodie lectione faciunt; nec aliter Florus, eadem de re loquens, 'Consul,' inquit, 'habito senatu, in præsentem parricidam reum Cicero peroravit, sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur.' Valerius Maximus IX. 11. 'L. vero Catilina M. Cicerone incendio ab ipso excitatum dicente: sentio, inquit, et quidem illud, si aqua non potero, ruina restinguam.' Et Cicero pro Murena; 'Catilinam ait Catoni judicium minitanti respondisse, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.' *Popma.*

Restinguam] Alii codices, et nominatim Gothi habent: *Ruina vestra exstinguam.* Quod quibusdam nimis audax dictum apud Senatum Romanum videri volunt. Verum quid puduit desperatum hominem? Ideoque nihil definio. *Glar.*

CAP. 32 *Deinde se ex curia domum proripuit*] In quibusdam est, *e templo proripuit.* priorem lectionem in Aldino quoque reperias et in manuscripto. Sed est idem sensus, utrocumque modo legas. Cicero in Catilinam obiter ostendit senatum ab se fuisse in ædem Jovis Statoris vocatum, remque omnem ibi ad P. C. delatam, eodemque Catilinam venisse, sui, ut hic Sallustius ait, purgandi caussa. Sed et Plutarchus in vita Ciceronis vocatum ab eo senatum ait *εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν Στάτορα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν,* ut ipse inquit. E quibus liquet, non inepte legi posse, *ex templo.* Sed hoc in medio relinquemus. *Rivius.*

Multa secum ipse volvens] *Ipse* vacat in meo libro. *Ciacc.*

Et ab incendio intelligebat urbem vigiliis esse munitam] Τὸ *esse* non habet codex Merseburgensis neque manuscriptus ille, cujus plerumque fidem sequor, nisi quod in spatio ipso quod versus dirimit, idem adjectum est. nec est in impressis paullo emendatioribus. *Rivius.*

Legiones] Ex decem cohortibus fit legio, sic dicta, quod leguntur milites in delectu. Instituta a Romulo hominum 3000. Regibus ejec-

tis fuit 4000. Bello Annibalis ad 5000 ventum est: a Scipione denique in Africam trajecturo facta est 6000. *Lips.*

Multa antecapere] Vacare opinor vocem *multa;* et legendum, *antecapere, quæ bello usui forent.* Ciacc. Perperam Gymnicus, *multa loca antecapere.* Rivius.

In Manliana castra profectus est] Hanc lectionem probo: non dissimulabo tamen, qui me scrupulus male habeat. Merseburg. codex, unus ex omnib. habet, *Maliana*, simplici *l*, sed et *Malius* ibidem fere semper, contra quam in aliis, reperitur: eodem modo apud Plutarchum in vita Ciceronis, Μάλιος. Interpretem miror, cur *Manilium* verterit; ubi Plutarchus, οὗτοι γὰρ ἡγεμόνα Μάλιον ἔχοντες. Sed et post, πρὸς τὸν Μάλιον, semel atque iterum *ad Manilium* vertit interpres, is qui vitam Ciceronis ex Græco in Latinum sermonem transtulit; nisi aliter fortasse, ac nos hodie, suo is in codice habuit: nam potest esse locus mendosus, quod ad hanc vocem attinet. *Idem.*

Quorum cognoverat] Meus lib. *quorum noverat.* Ciaccon.

Mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment] In quibusdam est *ut confirment:* sed prior mihi lectio magis arridet, quam et codices manuscripti habent. *Rivius.*

Aliaque belli facinora parent] Sic infra: 'cum convicti confessique sint cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse:' et infra: 'In urbe parata quæ jusserit.' Verum nihilominus legendum existimo, *patrent:* nam multo antea paraverant, reliquum erat ut patrarent. Sic infra: 'Roma socii incœpta patravissent:' et supra: 'Pessimum facinus patratum foret.' *Ciacc.*

Ad urbem accessurum] Infra: 'In urbe parata esse quæ jusserit; ne cunctetur ipse propius accedere: et, eoque magis properaret ad urbem accedere.' *Idem.*

Cum magno exercitu ad urbem accessurum] Sic fere Mss. et editi, præter unum in quo, *accursurum:* quod tamen haud temere probem, quamvis prima specie blandiatur oculis. *Gruterus.*

Cap. 33 *Imperator*] Scil. exercitus.

Violentia atque crudelitate fœneratorum] Sic Pall. omnes; itaque vix est ut accedamus codici antiquo, quem contulit Reip. nostræ literariæ gemma Bongarsius, *per violentiam Prætorum atque crudelitatem fœneratorum.* Natum enim, ex iis, quæ mox sequuntur: 'tanta sævitia fœneratorum atque Prætoris fuit.' *Gruterus.*

Crudelitate fœneratorum] Fœnus non omnino improbandum alibi et recte docet Salmasius. Sed sanguisugæ et pauperum flagella merito improbantur; quales erant trapezitæ et mensarii Romæ, ita dicti quod mensæ in foro positæ insiderent, et fœnerationi maxime operam darent. Atque hinc etiam scriptura mensæ nihil aliud erat, quam numeratio pecuniæ per mensarium facta. Et quia hi sæpe inhonesto lucro inhiabant, etiam in maximo plebis erant odio et invidia, quæ causa in seditionem sæpe erupit: atque ita eam in rem, ut pauperes levarentur, aliquando Quinqueviri constituti: et Livius auctor est se scriptum apud quosdam repperisse L. Genutium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerari liceret. De illis fœneratoribus intelligendum, cum fœnerari idem esse volunt atque occidere, atque majori pœna plectendum quam furem, sicuti ex LL. xii. tabularum refert Cato. Vide *Salmas.* et *Hottom.* de usur.

Plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus] Naz. ac Com. fuit initio, *Patriæ:* nec abhorruerim a variatione hujusmodi casuum, jam supra etiam usitata nostro. posset etiam nullo sensus detrimento tolli *sed.* Gruterus.

Fama atque fortunis expertes] Sic Cicer. de univers. 'Expertem reli-

quis quinque motibus eum orbem voluit esse.' *Ciaccon.*

Majores vestrum] *Vestrum*, reposui, pro, *nostri*, quod ita Gellium legisse cognovissem: is enim sic xx. 5. 'Importunissime fecerunt, qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam sincerissimam corruperunt. nam cum ita in Catilina scriptum esset, Sæpe majores vestrum, miseriti plebis R. vestrum aboleverunt; et, vestri perscripserunt: ex quo in plures libros mendæ istius indoles inolevit.' *Manutius.*

Sæpe majores vestrum miseriti plebis] Sic quidem Gellius xx. 5. Sed in multis exemplaribus *majores nostri* scriptum est, quod magis probo. Nam quum magistratus ad populum verba habebant, *majores vestri*, dicere solebant, aut *vestrum*, 'Majores vestri parandi juris,' &c. In orat. Macri: 'Majores vestri paravere.' In Senatu vero, *majores nostri:* ut post in orat. Cæsaris. Hic vero cum ad Imperatorem mandata sint, *nostri*, potius scribendum. *Ciacc.*

Sæpe majores nostri miseriti plebis] Sic vett. edd. sic Pall. sic Bong. sic Urs. sic Com. noster. Itaque valeat aliorum, *majores vestrum;* quod hic, mea sententia, locum commode habere non potest. *Gruterus.*

Miseriti plebis] Primo Decemviri anno Urb. CCCII. Rempublicam tenuerunt, hi duodecim tabulas proposuerunt, in quibus habebatur, UNCIALI. FŒNORE. AMPLIUS. NE. QUIS. EXERCETO. Fœnus autem pro libitu non semel agitatum auctumque fuisse, constat ex libris Annal. Taciti. Anno CCCXCVI. C. Marcio et Cn. Manlio Coss. hæc lex de Unciario fœnore a M. Duellio et L. Menenio tribunis plebis rogatio perlata est, et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque, ut inquit Liv. l. VII. Histor. Et rursus anno CCCVI. Tito Manlio Torquato et C. Plautio Coss. semunciarium tantum ex unciario fœnus factum est, inquit ibidem Livius. Tandem anno CCCXI. C. Marcio Rutilio et C. Servilio Ahala Coss. L. Genutius tribunus plebis legem tulit, ne fœnerari liceret. *Benn.*

Argentum ære solutum est] Patet sententia: et ita recitat Nonius in verbo, *Solvo:* præterea sic est in perantiquo Fulvii nostri libro. Nonnulli tamen ex ingenio legendum putarunt, *Argentum ære communi solutum est*, mutatione non necessaria. *Manut.*

Argentum ære solutum est] Sunt, qui *Argentum ære communi solutum est*, scribendum existimant. Sed hi aperte Nonii Marcelli auctoritate refelluntur, qui in verbo *Solvere* omissa dictione *communi* hæc profert. *Popma.*

Argentum ære solutum est] Etiam nostri Pall. voce auctiores, *ære communi solutum est;* sed non illi quibus auctoritatem aliquam circumdedit antiquitas remotior: iis quippe vocis ejus nec vola, nec vestigium. *Gruter.*

Argentum ære solutum est] Hoc factum anno U. C. 667. quo septimum Consuli C. Mario, paucis diebus post honorem initum mortuo, suffectus L. Valerius Flaccus *turpissimæ legis auctor fuit, qua creditoribus quadrantem solvi jussit*, ut loquitur Vellejus l. II. Sallustius *argentum* ait *ære solutum*, id est, sestertium asse, quia sestertius argenteus erat, as æreus. Vellejus dicit, *quadrantem solutum creditoribus:* nam quarta pars sive quadrans sestertii erat as, unde pro portione qui pro sestertio assem, idem pro asse quadrantem, pro dipondio semissem, pro victoriato dipondium, pro denario sestertium, pro mille nummis ducentos quinquaginta, denique pro omni debito quartam ejus partem solvit, ita ut tres perirent creditori. Vide l. I. de pec. vet. c. 5. *Gronov.*

Nisi cum anima simul amittit] Sic in Jugurth. 'Ærumnas cum anima simul amisisti.' *Ciacc.*

Neve nobis eam necessitudinem imponatis] Merseburgense volumen habet *necessitatem*, sed perperam. Nam

fere et Sallustius et alii vetustiores necessitudinem pro necessitate posuerunt: quæ est, ut ille ait, vis quæpiam premens et urgens. Quamquam alias necessitudo est jus quoddam vinculumque religiosæ conjunctionis. *Rivius.*

Cap. 34 *Senatum populumque Rom.*] Voces, *populum Romanum*, abundare existimo: dixit enim, *Si quid ab Senatu petere vellent.* Ciacc.

Senatum et populum Romanum semper fuisse] Legendum ex vetustis, *senatum populumque R.* quod et illa vetus scribendi ratio, quam quodam in exemplari, reperi, declarat. S. P. Q. R. Ita enim hoc loco Fabricianum volumen ac vetustissimum quodque ex impressis; licet codex Beroaldinus *senatum populi Romani* habeat. Duo e manuscriptis, *senatum P. R.* ut videlicet conjunctio illa ἐγκλιτική desit. *Rivius.*

Ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit] De duobus nempe Senatu ac Populo Romano locutus subjungit, *Eo:* fortassis, quia omnis penes populum potestas esset quando a Senatu ad Populum provocare licebat. *Glareanus.*

Criminibus] Meus liber, *criminationibus.* Sed ea vox expositoris esse videtur. *Ciacc.*

Fortunæ cedere] Sic Tacitus Histor. III. 'Vitellianorum animi, et ut quisque ordine anteibat, cedere Fortunæ.' *Idem.*

Earum exemplum infra scriptum est] Illud, *infra scriptum*, spurium quid redolet: certe minime requiras, si absit. *Gruterus.*

Cap. 35 *L. Catilina Q. Catulo salutem*] Mss. nostri vetustiores, *L. Catilina salutem Q. Catulo.* Vaticanus vero codex in quo soli visuntur orationes, adhuc amplius *Salutem dicit Q. Catulo:* ut fere suspicer fuisse tantum *L. Catilina, Q. Catulo*, omissis ceteris; quæ frustra requiras in Pal. nono et undecimo. *Idem.*

Re cognita, grata mihi] Meus liber: *Re cognita mihi magnis in meis periculis;* forte scriptum fuit, *re gnara mihi.* Tacit. xv. 'Idque nulli magis gnarum, quam Neroni:' et xii. 'At nobis ea pars militiæ maxime gnara est:' ut vox, *cognita* expositio sit vocis *gnara.* Ciacconius.

Quam medius fidius licet veram cognoscas] Est hoc modo in cunctis fere quæ ipse viderim exemplaribus: nec male, ut opinor. Ceterum Servius in iv. Æneid. *recognoscas* legit, nisi sint mendosi codices. Sed memoriane lapsus, an quod sic legendum putarit, haud equidem scio. Porro si sic legas, innuit hoc verbo Catilina, Catulum quoque aliquid ea de re scivisse, de qua ipse sese purgat. Nam *recognoscimus* ea fere quæ scimus. Cicero, 'Non videtur hæc multitudo cognoscere ex me caussam voluisse, sed ea quæ scit, mecum recognoscere.'—Idem, 'Declarat se non tum illa didicisse, sed reminiscendo recognoscere:' sic alias sæpe. Utra lectio verior, judicent alii; ego vulgatam hodie magis probo: quamquam Felicius Durantinus, *agnoscas* legisse videtur. *Rivius.*

Quam mediusfidius veram licet cognoscas] Ita omnes mss. præter Pal. nonum, in quo, *quam mediusfidius licet ut verum agnoscas:* haud ignoro quidem citari a Servio l. IIII. Æneid. 'Quæ mediusfidius vera licet mecum recognoscas;' sed nec hoc ignoro Grammaticos sæpe recedere ab ipsis auctorum verbis. Certe *cognoscere* idem notare quod *recognoscere*, patet ex capite XLVII. 'Cum prius omnes signa sua cognovissent.' Interim et in his dictionibus, et in superioribus aliquot triginta latere ulcera, plura, plane mihi persuadeo: quæ cum non etiam eruamus ope manuscriptorum, per nos sic perpetuo maneant, licet. *Gruterus.*

Non quin æs alienum meis sumptum nominibus] Τὸ *sumptum* non est in ullo manuscripto, quod sciam; nec id sententia magnopere exposcit. Nam *meis*

nominibus ad verbum *solvere* pertinet; pro, quibus ipse debeo, non satisfacere. *Rivius.*

Non quod æs alienum meis sumptum nominibus] Pro *quod*, alii *quin* legunt, et negationem sequente versu ante verbum *possunt*, sustulerunt: *quin* enim cum subjunctivo, pro *ut non* efferri solet, ut in hoc Æneidos III. 'Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti, Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.' Annotavit hoc Valla quoque. Ceterum illud *sumptum*, non habent omnia exemplaria. Vetustus codex ita habet: *Non quia æs alienum meis nominibus sumptum ex possessionibus solvere non possim.* Glar.

Non quia æs alienum, meis nominibus ex possessionibus solvere non possem] Magna est lectionum hujus loci diversitas. Quidam libri: *Non quia æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem.* Quidam: *non quin æs alienum meis nominibus solvere possem.* Quidam etiam: *non quia æs alienum meis sumptum nominibus.* Ego hanc codicum veterum scripturam respuo, nostramque quam hoc loco reposuimus, multo elegantiorem ac veriorem puto. *Popma.*

Non quin æs alienum meis nominib. ex possessionibus, &c.] Ita editio Aldi Romani; neque aliter Pal. quintus. Nam tert. et duodecimus, *non quin æs alienum meis nominibus, ex possessionibus:* at reliqui mss. ætate priores, accedunt editionibus primis, habentque; *non quia æs alienum meis nominibus, ex possessionibus:* posteriores vero; *non quia æs alienum meis sumptum nominibus, ex poss.* Commelinianus meus hic foliolo destituitur. *Gruterus.*

Meis nominibus] Sciendum *nomina* proprie dicta de hujuscemodi debitis dici, quæ sine usuris contraherentur. Ideo et pararii proxenetæque interpositi, qui pecuniam mutuam quærentibus, quam sine usura acciperent, creditores conciliarent, qui sic dare vellent. Tabulæ igitur illæ, per quas nomina fiebant, et in quæ referebant nomina debitorum creditores, quibus sine usura crediderant, diversæ a Kalendario. Nam Kalendarium liber quoque rationum sive tabulæ, in quibus perscribi solita nomina debitorum, sed sub usura pecuniam debentium: quia enim Kalendis pecuniam fœnore occupare consueverant fœneratores, et usuræ pensiones erant menstruæ, inde Kalendarium nomen. In Kalendarium autem regerebantur ipsa etiam instrumenta debitorum, qui non tantum de sorte reddenda, sed etiam de usuris solvendis caverant, vide l. uxor. de Legat. III. et l. 1. ff. de Ann. Legat. Ceterum inde καταχρηστικῶς apud auctores probatos nomen pro quolibet debito etiam usurario positum passim legitur. *Salmas.*

Cum et alienis nominibus liberalitas Orestillæ, &c.] Sic quidem editio prisca, et Pal. quart. oct. non. sed præter auctoritatem membranarum vetustiorum. Naz. enim; *sed et alienis nominibus liberalitas Orestillæ.* Pal. vero sec. et und. et duod. *et cum alienis nominibus:* tert. *et alienis*, sine illo *cum:* sextus refert; *sed cum alienis:* quintus, et decimus; *cum etiam et alienis:* sept. *cum alienis*, sine *et*. At enim Polonicus ille perscripserat; *cum et alienis liberalitas Orestillæ*, absque voce *nominibus.* Miræ discrepantiæ! unde adducor suspicari; *non quin æs meis nominibus, ex possessionibus solvere possem; alienis, liberalitas Orestillæ, suis filiæque copiis;* exterminata voce *persolveret:* repetitoque ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *solvere posset.* Ut velit; tantum sibi superesse in bonis, ut propria nomina iis exsolvat: tantum in Orestillæ et filiæ ejus; ut nomina aliena, pro quibus fidejusserat. *Gruterus.*

Honore honestatos videbam] Forte Sallustius, *honoros videbam* scripsit. Sic enim hoc nomen a Tacito usurpatur, a Sallustio ut pleraque sumptum, quantum existimo. Plinius *inhonorus* dixit. 'Inhonorus, neque in templo ullo Hercules.' *Ciacc.*

Honore honestos videbam] Ita fere in recentioribus, et in Merseburgensi, quibuscum facit Felicius Durantinus. Sed Fabricii codex habet, consentientibus manuscriptis duobus, *honore honestatos*, pro *decoratos et amplificatos*, nec est in impressis quibusdam secus: verum hoc lectoris judicio, ut et alia fere permittimus. *Rivius.*

Honore honestos] Est in cunctis fere quæ ipse viderim exemplaribus: *Honore honestatos.* Nos, *honore honestos*, scripsimus: idque antiquo more dictum. Plaut. in Captivis: 'Qui me honore honestiorem semper fecit et facit.' Confirmat et hanc lectionem Felicius Durantinus. Quamvis non negem *honore honestatos*, eleganter ac Latine dici. Cicero in oratione pro domo sua: 'Tamen ne,' inquit, 'eum tua voce violabis, quem post nefarium scelus consulum superiorum tot vides judiciis Senatus P. R. totius Italiæ honestatum.' *Popma.*

Honore honestos videbam] Mss. omnes editique, *honore honestatos.* Itaque id forsan revocandum; quamvis stet pro alio, Rivii Merseburgensis notæ minime protritæ. *Gruterus.*

Spes dignitatis conservandæ] Oppido obscurus hic est sensus: Commentatoribus autem facilis. Ciceronem hercle vehementer notat Catilina de falsa criminatione ad Populum, per quam videri vult repulsam passus, non conscientia de culpa, ut paulo ante ipse loquitur. Ergo innocenti sibi id ab inimico factum Catulo conqueritur, ea spe, si quando populus resciscet ea innocenti facta, restituturus sit eum in integrum. Hoc igitur nomine honestas spes secutus sum, inquit, reliquæ dignitatis conservandæ. *Glar.*

Haveto] Omnes antiqui, et impressi codices, *Aveto* habent. Ego invitis libris, omnibus, *Haveto* scripsi: atque ejus scripturæ, cum multa et manifesta vetera monumenta adferre possim, pauca, quæ sunt eminentissima proponam, et primum illud Ciceronis, quod in Zacintho extare dicitur: MARCE. TULLI. CICERO. ET. TV. TERTIA. ANTONIA. HAVE. et: JULIAE. S. P. F. THAIDI. HAVE. THAIS. DII. TIBI. BENE. FACIANT. Est et alia quædam inscriptio vetus, id liquido demonstrans his verbis: IPSE. TECUM. NUNC. LOQUOR. HAVE. IGITUR. MEA. HADRIANA. *Popma.*

CAP. 36 *Apud C. Flaminium Flammam in agro, &c.*] Ausus sum facinus mali exempli, unius solius Nazariani codicis fide introducta voce nova: sed enim cum is sit antiquitatis ultimæ, et omnibus literis id tueatur, nec solum, sed adpictum habeat margini, *alias Flaccum*, nefas putavi derogare ævo tam prisco: præsertim cum necessario requiratur hic nomen tertium, si distinctum voluerit hunc Flaminium a mille aliis. *Flammam* inter cognomina, satis notum ex Inscriptionibus, et Historiis. *Gruterus.*

In agro Reatino] In nonnullis legitur: *In agro Aretino;* quam scripturam et Vincentius Castiloneus se in suis aliquot antiquis codicib. reperisse testatur. Nos interim vulgatam lectionem retinemus. *Popma.*

Dum civitatem antea solicitatam armis exornat] Codices in pergamenis descripti, *dum vicinitatem:* illud, *ab eo*, quod Gymnicus habet, non reperitur in manuscriptis, ac ne in codice quidem Beroaldino. *Rivius.*

Cum aliis imperii insignibus] Insignia præcipue Consulum fuere veteri Rep. fasces duodecim cum lictoribus, sella curulis, prætexta toga, eaque domi sumpta primo magistratus die ante Deos Penates (Livius l. XXII. in fin.) scipio eburneus in manu sive sceptrum. De quo scipione minus quidem vulgata res, magnis tamen auctoribus mihi certa. De quo loquitur Dionysius Halicarnassæus l. III. De Papyrii quoque scipione eburneo loquitur Livius l. III. et Valerius Max. de priscis Coss. l. IV. c. 4. inquit, 'nec eis fuit rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere.' *Lips.*

Præter rerum capitalium condemnatis] Emendatum quidem calamo recenti in Naz. *condemnatos*, sed alterum item conspicias in reliquis membranis omnibus, excepto Pal. quarto. *Gruterus.*

Delectum] Modus delectus fuit talis, Consules positis sellis curulibus sedebant, et summæ rei præsidebant: tribuni administrabant et exsequebantur per partes. Ipse delectus fiebat in Capitolio augustissimo loco. In campo delectum habitum tanquam novum notat Dionysius: sed eo factum, quo tribunitiæ intercessiones vitarentur, quibus ibi non erat locus. Eligebantur ex tribubus et classibus, ducta sorte: vel ut æmulatio tolleretur, ne hæc illi posthabita videretur, vel querela de onere oriretur, si forte delectus non iret per omnes. Præsidentibus itaque Consulibus, sedentibus tribunis, tribus vocata in centurias suas ivit, exceptis senioribus. Ex singulis tum centuriis, et pro censu ac classe, milites citati nominatim. Itaque, tabulæ ad manum, in quibus nomina, ætates, et opes scripta. Aliquando etiam sorte capti, raro tamen, nec nisi in re tumultus. Quin et hoste vicino aut repentino aliquo periculo imminente, militem confuse ac raptim, capiebant et educebant. Contumaces vel in vincula conjiciebantur vel damno affecti, bona eorum direpta et vendita, nonnunquam in servitutem rapiebantur, imo ad mortem. *Lips.*

Ea tempestate mihi imperium pop. Rom. &c.] Hæc est vulgata lectio, multorum mss. cod. fide comprobata. Non dissimulabo tamen pervetusti cujusdam libri scripturam: *Ea tempestate imperium P. R. multo maxime miserabile mihi visum est, cui cum ab occasu ad ortum solis omnia armis domita parerent, &c.* Popma.

Namque ex duobus senatus decretis] In mss. atque aliis vetustis est illa præpositio *ex* omissa. id quod rectius esse puto. Sed et *senati* habet volumen ipsum Fabricianum, qui est genitivus antiquus. Est inscriptio quædam in agro Veronensi, qua in inscriptione genitivus hic reperitur: SEX. ATTILIUS. M. F. SARANUS. PRO. COS. EX. SENATI. CONSULTO. INTER. ATTESTINOS. ET. VEICETINOS. FINIS. TERMINOSQUE. STATUI. JUSSIT. pro, ex senatusconsulto. Sisenna item apud Nonium, 'ex senati consulto' dixit historiarum III. *Rivius.*

Neque castris Catilinæ quisquam omnium excesserat] Omnes impressi codices: *Neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat.* Nos unius codicis fidem et auctoritatem secuti, *neque castris Catilinæ quisquam omnium excesserat*, scripsimus. Sic et Cæsar l. IV. de bello Gall. 'Nam cum omnibus suis domo excesserant, Rhenumque transierant.' *Popma.*

Ex castris discesserat] Ita etiam autographi, et vett. edd. nihilo pejus eo, quod nobis ex unico libro oggerebat Popma, *castris excesserat.* Gruterus.

Tanta vis morbi, atque uti tabes plerosque civium animos invaserat] Sic fere in vetustis: τὸ *atque* non est in eo quod Gymnicus excudit. *Rivius.*

Tanta vis morbi atque uti tabes] Pal. octav. et nonus, non habent illud, *atque*; quod tamen constanter in codd. primæ notæ. Si non significat idem quod apud Virgilium illo versu Georg. I. 'Atque illum in præceps prono rapit alveus amni;' videtur turbandæ potius sententiæ, quam constituendæ. Forsan tres illæ voces *atque uti tabes*, sunt a glossa, arcessita huc aliunde, ut probaret, *morbum*, hoc loco, quod alio *tabem* nominarat. *Grut.*

CAP. 37 *Neque solum illis aliena mens erat*] Meus liber, *alia mens erat*: ut infra: 'Longe mihi alia mens est P. C.:' et infra; 'haud sane alio modo belli eventum exspectabant.' *Ciacc.*

Quoniam egestas facile habetur sine

damno] Et hanc sententiam facilem omnes putant: mihi haud quaquam intellecta, nisi distinguamus post *habetur*, ac postea inferamus ἀσυνδέτως *sine damno*; qualia multa sunt, præcipue apud hunc auctorem. *Glareanus.*

Sicuti in sentinam confluxerant] Quemadmodum usu venire solet, ut quicquid humoris corrupti in corpore sit, id totum ulcus ad se contrahat, quicquid aquæ in navi est, id ad sentinam confluat: ita in civitate quotquot improbi sunt, ad aliquem unum improbitate insignem concurrunt. *Zanch.*

Sentinam] Sentina est fundus navis, sive ima interior pars, nam ut carina est ima pars exterior, et quasi venter, sic sentina interior alvus, quæ, quia mali odoris esse solet, quod in eam sordes omnes confluant, idcirco pro loco sceleribus contaminato, vel etiam pro ipsis perditis hominibus sumitur, sicuti et pro sordibus sumpsit Valer. Maximus, II. 7. cum dicit: 'hac turpi et erubescenda carina vacuefactus exercitus noster.' A Sentina dicti Sentinatores, quibus cura sentinæ delegata in navi. Paulinus ad Macatium de naufragio: 'unum ex omni numero nautarum senem sentinando deputant:' hinc et sentinare, id est, satagere ad sentinam, periculum vitare, ut Festus docet, et Gellius XIX. 1. 'Tum postea complorantibus nostris omnibus, atque sentinantibus, dies tandem illuxit, sed nihil de periculo atque sævitia remissum.' At in vulgatis Codicibus contaminatissimus fuit ille locus; ut notat Scaliger. Vide et Lil. Gyrald. de Navig. c. XI. et Polluc. in Onomast.

Ex gregariis militibus] *Gregarii milites* nonnullis dicuntur tumultuarie collecti, verum *gregarii milites* dicuntur, qui nullum ordinem ducunt, et nullum gradum dignitatis habent: quod ex subjectis exemplis maxime intelligimus. Sallustius in Jugurth. 'Namque edicto primo adjumenta ignaviæ sustulisse dicitur, ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: ne lixæ exercitum sequerentur: ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum, aut jumentum haberet.' Valerius Maximus l. II. c. 7. §. 2. hanc eandem rem narrans, sic inquit: 'Protinus namque lixas a castris summovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit: in agmine neminem militum ministerio servorum jumentorumque (ut arma sua et alimenta ipsi ferrent) uti passus est:' quod si gregarii milites ii essent (ut illi volunt) qui tumultuarie collecti sunt, non dixisset Valerius, 'Neminem militum,' &c. *Zanch.*

Ætatem agerent] Tres mss. libb. *Vitam agerent*, ut in oratione Catonis: 'qui demissi in obscuro vitam agunt.' Sed frequentius apud Sallustium, 'ætatem agerent,' legimus: ut, 'Sine metu ætatem agerent.' 'In excelso ætatem agunt.' 'In exsilio ætatem agere.' 'Per luxum, atque ignaviam ætatem agunt.' 'Procul a republ. ætatem agere:' et ideo nihil muto. *Popma.*

Regio cultu ætatem agerent] Ita nostri Pall. omnes; ut mirer quosnam excusserit libros Popma, quorum tres asseveret præferre, *vitam agerent*: nam resipere glossam vel pueri sentiunt. *Gruterus.*

Sibi quisque, si victoria in armis foret, talia sperabat] Quanto in manuscriptis rectius, *sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat*: ita nimirum sensus ipse postulat. Valde mehercule miror oscitantiam impressorum, quia talia non advertant. Ego hic fidem antiquorum codicum, contra consensum recentiorum, sequendam nobis puto. *Rivius.*

Sibi quisque, si victoria in armis foret, talia sperabat] Vetustiores codices, et nominatim Gothi habebant: *sibi quisque, si in armis forent, ex victoria talia sperabat*: quæ lectio reprehendi non potest: quamquam ego neutram reji-

cio. *Glareanus.*

Si in armis foret ex victoria talia sperabat] Recte: atque ita in libro meo. Alii: *Si victoria in armis foret.* Ciaconius.

Reipublicæ juxta ac sibi consuluisse] Sic infra: 'Ita cuncti suæ hostiumque saluti juxta pepercerant.' *Idem.*

Conturbari rempubl. quam minus ipsi valere mal.] Quidam pro *minus* legit *nimis*, diversa sane sententia: quod haud scio quam probem. *Glareanus.*

Ideo malum id adeo multos post annos in civitatem reverterat] Legendum *Id adeo malum*, ex vetustis. Ita Livius II. ab U. C. 'Id adeo malum ex provocatione natum.' *Rivius.*

Id adeo malum multos, &c.] Sic solum Pall. sept. et oct. reliqui; vel, *id eo malum multas*, quomodo expressum item in edd. priscis; vel, *ideo id malum.* Gruterus.

Reverterat] Hanc scripturam perantiquus quidam liber agnoscit. In aliis *redierat* scriptum offendi; quæ an purior et elegantior sit lectio, alii erunt judices. *Popma.*

CAP. 38 *Nam postquam Cn. Pompejo, et M. Crasso Coss. Tribunitia potestas restituta est*] Pædianus in Divinatione: 'Primus Sicinius trib. pl. nec multo post Quinctius, et postremo Palikanus perfecerunt, ut Tribunitiam potestatem populo darent Consules Cn. Pompejus Magnus, et M. Licinius Crassus,' &c. Ad quam rem indicandam in denariis Palikani Rostra Libertati sacra impressa sunt. *Ursinus.*

Tribunitia potestas restituta est] Scribit Appianus in II. belli Civil. Pompejum, cum a Curione tribuno plebis Senatus fuisset dissolutus, vehementer pœnituisse, quod tribunitiam potestatem a Sulla immutatam atque disjectam, denuo ipse in pristinum statum redegisset. *Zanch.*

Homines adolescentes] Tribuni enim plebis adolescentes creabantur, quod et Vellejus Paterculus testatur. *Zanch.*

Adolescentes] Ut fuit C. Cornelius, qui postea reus majestatis a Cicerone defensus est: item Rullus, qui Cicerone consule Agrariam legem ferre conatus est, quo tempore etiam Labienus rempublicam perturbavit. Cicero, Asconius, Dion. postea Curio et Antonius omnium seditiosissimi sceleratissimique fuerunt. *Cast.*

Homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus ætas animusque ferox erat, cœpere, &c.] Primum videtur vox postrema resecanda: deinde, transpositis vocibus, restituendum, *homines adolescentes, quibus ætas animusque ferox, summam potestatem nacti, cœpere, &c.* vel sane interpolata sunt postrema, scripsitque auctor initio, *ætate animoque feroces, cœpere.* Potest quidem etiam defendi vulgata; ut nimirum non omnibus eandem ætatem, eandem attribuat ferociam: sed subtilius videtur quam verius. Si quis illa, *homines adolescentes* abjicienda putaret, non nimis ab eo dissentirem. *Gruterus.*

Summam potestatem nacti] Decimosexto anno post reges exactos, plebe a patribus in montem secedente, quinque tribunos, ut nonnulli tradunt, sibi plebs creavit: ut vero Cic. et Liv. duos, tresque ab illis duobus collegas cooptatos fuisse: hos neque juri dicundo, nec querelis civium noscendis, sed auxilio ferendo adversus consules, et illos qui insolenter in plebem insurgerent, utque præsides libertatis, custodesque essent, creatos accepimus. Liv. 'Brutus concionem congregans plebi consuluit, uti sacrum, inviolabilemque sancirent eum magistratum, lexque in hunc modum lata est: TRIBUNUM. INVITUM. TANQUAM. UNUM. E. MULTIS. NEMO. ILLUM. COGITO. AGERE. NEQUE. VERBERATO. NEQUE. ALTERI. UT. VERBERET. IMPERATO. NEQUE. OCCIDITO. NEQUE. OCCIDI. IUBETO. SI. QUIS. AUTEM. PROHIBITORUM. HORUM. ALIQUID. FECERIT. IMPIUS.

EXECRABILISQUE. ESTO. BONA. EIUS. PUBLICANTO. AD. SACRA. CERERIS. ET. QUI. ALIQUEM. HAEC. AGENTIUM. OCCIDERIT. CAEDIS. EXPIATUS. ESTO.' Et infra: 'Tricesimo deinde anno a primis tribunis plebis, decem creati sunt, bini ex singulis classibus: itaque, cautum est, ut postea crearentur.' Plutarch. in Problem. contendit, hunc non esse magistratum: primum, quia purpurati non incedunt ut ceteri magistratus: et quia nec lictores habent, nec in sella curuli sedentes jus dicunt, nec initio anni, sicut ceteri magistratum ineunt, sed quarto ante idus Decembris, nec creato dictatore potestatem deponunt, sed quum omnis potestas et imperium ad Dictatorem redeat, soli omnium magistratum retinent, quasi imperium nudum gerentes, et alium quendam locum in republ. obtinentes, hique inter ceteros magistratus vocationem non habent, sed tantum prehensionem, ut Gellius scribit XIII. 12. Prehendere enim Tribuno pleb. licet, et in carcerem ducere consulem, prætorem, censoremque, C. Curiatii exemplo, qui tribunus pleb. D. Brutum et P. Scipionem Coss. viros honestissimos in vincula conjecit, ut in III. de Legibus Cicero tradit: et M. Drusi, qui Philippum Consulem, quia se concionantem interpellare ausus fuerat, in carcerem præcipitem egit, ita ut multus sanguis e naribus profunderetur, ut Valerius Max. IX. 5. scribit. Ipsique injuriam, quæ coram fieret, coërcere, et mulctam irrogare Dictatori, Consuli, ceterisque magistratibus poterant, ut ex Livio patet, et Tribunorum maxima erat in prohibendo potestas: uno enim prohibente, nihil alii, et si complures sint, efficere possunt. Id quoque animadvertendum est, quod tribunis pleb. intrare curiam non licebat, sed ante valvas positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, ut siqua ex eis improbassent, rata esse non sinerent: itaque veteribus Senatusconsultis T litera subscribi solebat: eaque nota significabatur, illa Tribunos censuisse, Valer. Max. l. II. tametsi posteriori tempore, tribunum frequenti senatu de rebus ad populum pertinentibus Senatum consuluisse, ibique subsellia habuisse, apud Livium, Ciceronem, Dionem legimus. Hique plebem consulere, et rogationes ad populum, ac super his leges promulgare, quæ plebiscita appellantur, poterant, ut Gellius l. XV. scribit. *Zanch.*

Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senatus sub specie pro sua magnitudine] In Florentino Venetoque est, *sub senatus specie:* pro eo quod est, quasi dignitatem senatus tueretur, quam esse quam amplissimam e rep. foret. In manuscriptis non est *sub:* id forsan in spatio quispiam, quod versus dirimit, annotarat super hac dictione *specie:* dein irrepsit, ut fit, in contextum: atque inde forsan est legi cœptum, *senatus sub specie, pro sua magnitudine,* id est, *pro sua potentia.* Aur. Augustinus in III. de civitate Dei, quædam e Sallustio citat, quæ hunc locum mirifice declarent: 'Plurimæ,' inquit, 'turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationem affectabant; bonique et mali cives appellati, non ob merita in remp. omnibus pariter corruptis; sed uti quisque locupletissimus et injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur.' *Rivius.*

Senatus sub specie, pro sua magnitudine] Alibi erat, *sub senatus specie.* et distinguendum post *specie.* Deinde inferendum *pro sua magnitudine.* Porro utriusque expositio post sequitur: 'Pars,' inquit, 'quo Senatus auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia

certabant.' *Glareanus.*

Nitebatur pleraque nobilitas, Senati specie, pro sua magnitudine] Ita nulla litera plus minusve editio vetus, et plerique Pall. utique ætate priores: nam sequioris notæ, *Senati sub specie;* uti antehac passim vulgabatur, sed minus recte. *Gruterus.*

Senatus sub specie] Simulantes se defendere Senatus auctoritatem: verum id agebant suæ potentiæ causa, sicuti de Sulla legitur. *Zanch.*

Neque illis modestia, neque modus contentionis erat] Vox postrema ad Gemonias scalas trahenda, forsan etiam pronomen *illis.* Gruterus.

Cap. 39 *Bellum maritimum*] Mithridates initio belli cum populo Romano suscepti, aliquot homines in naves imposuit, ne tam libera esset Rom. in Asiam navigatio: cum vero bellum exarsisset, hi aucto numero, prædonum more, ut mare, ita insulas et urbes maritimas, ipsam denique Italiam infestabant, qui annonæ commercia intercluserunt. Hi Cilices appellati sunt: vel quia primi Cilices fuerunt, vel quia se in Ciliciam receptabant. In horum societatem recepti sunt prædones, exules, fugitivi, servi. Eorum numerus ita crevit, ut naves amplius mille haberent, tam multa præda locupletati sunt, ut inauratis rudentibus, purpureis velis, remis subargentatis uterentur. Cum igitur socios et provincias populi Romani, atque Italiam impotenter vexarent, omnibusque mercatoribus mare clausum esset, adversus eos Cn. Pompejus lege Gabinia factus Imperator bellum incredibili celeritate confecit. De hoc bello scripserunt amplius Florus, Appianus, Plutarch. in vita Pompeji. Livius l. IX. 'Cn. Pompejus lege ad populum lata, persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra 40 dies toto mari eos expulit: belloque cum his in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis, agros, et urbes dedit.' *Zanch.*

Atque Mithridaticum missus est] Auctore Livio libro C. 'C. Manlius Tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit, ut Pompejo bellum Mithridaticum mandaretur.' Ibidem: 'Cn. Pompejus ad gerendum bellum adversus Mithridatem vicit:' et lib. CI. 'Cn. Pompejus Mithridatem nocturno prælio coëgit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria, Phœnicia et Cilicia, regnum Armeniæ restituit.' Bellum autem Mithridaticum spacio annorum 40 confectum fuisse, Appianus et Florus scribunt. *Idem.*

Ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere] Pal. Naz. *ipsi noxii,* quod suam etiam admitteret interpretationem nisi vellet auctor, ipsos innoxios fuisse, hoc est, neminem iis ausum nocere. *Gruterus.*

Quo plebem in magistratu] Id est, terrebant judiciis Tribunos plebis, ne plebem in potentes exagitarent, atque in Senatum criminando accenderent. *Ciaccon.*

Dubiis rebus novandis spes oblata est] Vocem *dubiis* vacare existimo. *Ciacc.* sic et *Ursinus.*

Novandis] Non inepte ora editionis mediæ, *Novandi;* id enim malim, quam ut inducatur vox, *dubiis,* ut visum Ciacconio et Fulvio Ursino. *Gruterus.*

Æqua manu] Pari: ut dubia adhuc esset fortuna, incertusque exitus belli. *Cast.* Sic Tacitus l. I. 'Inde hostibus terror, fiducia militi, et manibus æquis abscessum.' *Ciacc.*

Neque illis, qui victoriam adepti forent] Plus quam alienigena vox est, *forent,* posset etiam brevius scribi, *neque victoriam adeptis;* relegatis verbis ceteris. *Gruterus.*

Qui ad Catilinam initio profecti sunt] Dictio finalis æque ac princeps, otiosa mihi est, imo odiosa. *Idem.*

In his erat Fulvius] Nihil juvat sensum dictio *erat.* Idem.

In his erat A. Fulvius] Prænomen

Fulvii hoc loco restituimus, adjuti ab antiquis exemplaribus. *Popma.*

Parens necari jussit] Quidam libri, *parens necari præcepit:* quo verbo in eadem significatione et in Jugurthino utitur. *Idem.*

Necari jussit] Antiquioribus temporibus eo rigor patriæ potestatis se extendebat, ut indicta causa filium morti tradere licitum esset. Quod abolitum l. ult. C. de Patr. Potest. Ita enim credebant prudentissimi mortales, legis hujus duritiem pietate plerunque paterna exstingui. Nam, ut ille loquitur, pro magno peccato paulum supplicii satis est patri. Ex antiquo autem jure et hoc remansit, quod filium contumacem pater judici offerre possit, qui ex præscripto patris pœnam infligeret, l. III. C. de Patr. Pot. Fuit et illud usitatum, domestica patres in filios habere judicia. Solebant tamen vel Senatum, vel Principem, vel necessarios et propinquos consulere. Moris autem erat eos, quos in consilium advocaverant, domi exspectare. T. Arrius, vel, ut nonnulli legunt, Tarrius, filio parricidii intentati reo, Augustum consilii judiciique participem fecit. Venit Princeps, neque erubuit intra privatos penetrare penates, quia patris non Principis erat cognitio. Sedit pater tanquam accusator simul et judex, assedit quoque Princeps, rogavitque ceteros propinquos, ut sententiam tabulæ committerent, ne Principis auctoritas reliquorum vota ad se traheret, atque dissensum impediret. Filius Massiliam relegatus est. Cum itaque dicit Sallustius, *necari jussit;* patriam ostendit potestatem, quæ in filium patriæ hostem animadverti præcepit. Hæc etsi dura, tamen et justa sunt. Quippe *magnis sceleribus*, ut alibi scribit Seneca, *jura naturæ pereunt*. Thys.

Sed cujusque modi genus hominum] Mss. Pall. etiam Bong. ac Com. Prætulit tamen Carrio, *cujuscumque modi;* quomodo antiquitus editi. *Gruterus.*

Quod modo bello usui foret] Abundat iterum vox, *modo;* quin etiam, *foret:* et vero glossarchi esse commentum, detegit positura incerta. Mss. optimi eam expresserunt quam exhibuimus: in ceteris est, aut, *quod modo usui bello foret;* aut, *quod modo usui foret bello.* Idem.

CAP. 40 *Allobrogum*] Sunt Galliæ Narbonensis populi juxta Rhodanum. Hinc Ptolemæus: 'postea a parte Orientali Rhodani fluvii septentrionales sunt Allobroges, quorum mediterranea civitas Vienna:' hæc ille. Romano autem imperio tum parebant, ut testatur Strabo l. IV. Geogr.

Allobrogum] Stephanus: Ἀλλόβρογες ἔθνος δυνατώτατον Γαλατικὸν, ὡς Ἀπολλόδωρος. Interpres vetus Juvenalis: 'Allobrogæ,' inquit, 'Galli sunt. Ideo autem dicti Allobrogæ, quoniam brogæ Galli agrum dicunt. Alla autem aliud.' Quod sane verum esse nostra vernacula lingua prodidit: nam et nos novalia (broeck) hodieque vocamus. Alla autem sive (al) Gallicam, sive Germanicam esse testatur vox *Alemannus.* Et Ausonius alibi dixit: 'in his al Celtarum posuit.' *Coler.* Vetus commentator Horatii: 'Allobroges sunt Galli rufi et Sequanici dicti, incolentes illum tractum Alpium, qui est a Vesontio in Germaniam, qui vehementer res novas affectant, unde et ducibus suis raro fidem servant, habentque flavum præcipue capillum.' Vide Strab. l. IV. Cimbri autem hodie *Albrogit* rufos et in totum versicolores appellant; sed melior est prior sententia: neque hic dicitur a rufo colore nomen accepisse. Allobrox quasi Albtoeck locum totum paludosum denotat. dict. vet. Belg. Broeck; Venne, ollant, goir, palus. Vid. Gloss. Pontan.

Præterea quod natura Gallica gens bellicosa esset] Codices in membrana descripti *gens Gallica:* ut adjectivum postponatur: et sic exemplar quoque

Beroaldinum. *Rivius.*

Natura Gallica gens bellicosa] M. Cato Orig. 2. apud Charisium l. II. 'Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem, et argute loqui.' Just. ex Trogo l. XXV. 'Neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque pulsi regno, ad alios quam ad Gallos confugerunt: tantus terror Gallici nominis, sive armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. itaque in auxilium a Bithyniæ rege invocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt; eamque Gallogræciam cognominarunt.' Cicero de harusp. responsis: Artibus Græci, Galli robore, Hispani numero, Pœni calliditate valent. *Manut.*

Præterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile] Scripsissem potius, *præterea natura bellicosos, facile*: ita, inquam ego scripsissem, qui Sallustius non sum, cui tamen nihil præscribo. *Gruterus.*

Gallica gens bellicosa esset] Gallos inter ferrum et arma natos feroces cum suopte ingenio, tum adversus Romanum populum, Livius testatur l. x. Idem in I. Decad. 3. de Annibale loquens: 'Trahere secum tot excitos Hispanorum populos, concitaturum avidas semper armorum Gallicas gentes.' Idem alibi: 'Gens ferox, et ingenii avidi ad pugnam, cum procul visis Romanorum signis, ut extemplo prælium initura, explicuisset aciem.' D. Brutus in quadam epistola ad Ciceronem, 'Gallos' dicit 'omnium bellicosissimos.' Justinus l. XXIV. 'Ex his portio in Italia consedit, quæ et urbem Romanam captam incendit, et portio Illyricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præter ceteros callent) per strages Barbarorum penetravit, et in Pannonia consedit. Gens aspera, audax, bellicosa.' Idem libro XXV. 'Denique neque reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque pulsi regno, ad alios, quam ad Gallos confugerunt: tantus terror Gallici nominis, sive armorum invicta fœlicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.' Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris, atque æstus fuere, primaque eorum prælia, plus quam virorum, postrema minus quam fœminarum esse, Livius et Florus scribunt. Apud Romanos nulli bello Gallico immunitas erat, ut ait Cicero pro M. Fontejo, et auctore Appiano l. II. In sacerdotum et seniorum lege, quæ de immunitate lata est, exceptum fuit, nisi Celticum bellum instaret: eo enim instante sacerdotes, senioresque in armis esse oportebat: nam Gallica gente nulla Romanis formidabilior. *Zanch.*

Negotiatus] Umbrenus fuit libertinæ conditionis. Nobilibus enim sive patriciis apud Romanos interdicta erat mercatura. Testatur et Philosophus l. III. Polit. c. 3. legem fuisse apud Thebanos, ut nemo Reipub. admoveretur, nisi per decem annos mercatura destitisset. Et Plato alibi vilibus ministeriis annumerat mercaturam. Sed recte multum interesse inter vilem et magnificam negotiationem respondit M. Tullius Cicero. Romanis certe Senatoribus quocunque modo indecora habita est omnis negotiatio. Legem aliquando Claudiam adversus Senatum latam legimus, ne Senator, quive Senatoris pater est, maritimam navim plusquam trecentarum amphorarum haberet; eam enim sufficere ad vectandos fructus ex agris. Quid ibi Livius florentissimus auctor? hoc ita constitutum tradit, quia omnis quæstus patribus visus est indecorus. Extat et in eam rem Imp. rescriptum in l. VI. C. de

Dignitat. sed utique etsi hæc ita constituta a Romanis, honesta procul dubio negotiatio etiam laudem meretur: fulcit Remp. dum opes variorum populorum in gremium patriæ veluti effundit, dum sæpe immensa maria metitur, ut votis et desideriis nostris satisfaciat, et tam dissitas gentes commercii fœdere jungit. Ita ligatur sibi invicem totus orbis. *Thys.*

Principibus civitatium] Ita a manu prima Pall. Naz. *Grut.*

Foro] Forum Romanum incipit a Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus est, et secundum longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus protenditur: secundum latitudinem a Palatini radicibus ad viam sacram, et Saturni ædem. Variis nominibus appellatum fuit. Ut enim Poëtæ nomine apud Græcos Homerus, ita fori, in Urbe, Romanum accipitur. Ovid. de Ponto: 'Te modo Campus habet, densa modo Porticus umbra, Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.' Per campum, Martius: per porticum umbrosam, Pompeja: per forum, Romanum his versibus intelligitur. Romanum dictum a dignitate Urbis, quod præ ceteris esset ornatissimum propter ædificia, et frequentissimum propter judicia. Etiam forum Latium et forum Magnum a Victore et Ovid. III. Fastorum dicitur. Ad extremum dicitur forum Vetus in vita M. Antonini apud Herodianum. Hoc in tres partes dividit et varia in eo hominum studia describit Plautus in Curculione: 'In foro infimo boni homines, atque dites ambulant, In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri, Confidentes, garrulique et malevoli. Supra lacum, Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit vere dicier.' Per lacum significat Curtium, quem describit Fastor. Ovid. VI. Prope eum fuerunt rostra et statua Marsyæ coronati, ad quam homines litigantes conveniebant. Horat. 'Deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras Surgendum sit mane, obeundus Marsya.' De qua re itidem Plin. XXI. 3. E regione Marsyæ alius locus erat, ad quem conveniebant fœneratores, quem Libonis puteal nominabant, inter porticum Juliam et arcum Fabianum, ut Persii interpres scribit. Persius: 'Si puteal multa cautus vibice flagellas.' *G. Fabric.*

Miseriis suis remedium morte exspectare] In Fabriciano est, *mortem sperare:* in ceteris, *mortem exspectare.* Riv.

Miseriis suis remedium mortem exspectare] Mire hic variant exemplaria vetusta. Quædam habent, *miseriis suis remedium morte exspectare:* quibus consentiunt impressa nonnulla. Alia: *miseriis suis mortem sperare.* Alia: *miseriis suis mortem, et non remedium spectare:* quæ melior sit scriptura judicabunt alii: nos interim nihil mutamus. *Popma.*

Miseriis suis mortem exspectare] Monet Naz. alias legi, *sperare,* et ita habet noster Commelinianus et Pal. quintus ac sextus, neque displicet. *Gruterus.*

Hæc ubi dixit, Allobroges in spem maxumam adducti] Me non nolente, triga verborum princeps, rescindi posset a reliquis; tanquam invecta a Scholiaste. *Idem.*

Nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent] Legendum e Veneto, *quin cupidissime, &c.* pro, *quod non.* Irrepsit ex glossa addita, ni fallor. *Rivius.*

Ab Roma aberat] In manuscriptis est, *Roma aberat,* omissa præpositione. Sed prior lectio verior, id quod e Prisciano colligi l. XV. potest. 'Inveniuntur tamen' (inquit) 'et cum præpositionibus nomina civitatum sæpe prolata, et maxime apud historicos.' Livius in 8. U. C. 'Venerant et ab Lanuvio Antioque Auxilia.' Sallust. in Catilin. 'Nam tum Brutus ab Ro-

ma aberat.' Cicero modo omittit præpositionem, ut in Epistolis. 'Quod video omnes bonos abesse Roma.' Addit, ut in Verrinis: 'Abesse a domo paulisper maluit.' *Rivius.*

Brutus Roma aberat] Ita Mss. nostri omnes, ita Bongarsii; sine præpositione, qua frustra onerarentur editiones aliæ. *Gruterus.*

Præterea Gabinium accersit] In vetustis *arcessit:* sed eodem sensu. nam est utrumque in veterum scriptis frequens. *Rivius.*

Quo major auctoritas sermoni inesset] V. l. *adesset.* Sed Tacit. Annal. 13. 'Quo plus auctoritatis inesset consiliis.' *Ciacconius.*

CAP. 41 *Diu in incertum habuere*] Sic solum Pal. tert. ceteri omnes *incerto*, etiam Comm. meus et Bongarsiani. ideoque sequendi. *Gruterus.*

Pro incerta spe, certa præmia] Nam Senatusconsultum factum fuerat, ut si quis indicavisset de conjuratione, quæ contra Rempubl. facta erat, præmium servo libertatem, et sestertia centum darent: libero impunitatem ejus rei, et sestertiorum ducenta millia. *Zanch.*

Illis volventibus] Id est, animo hæc reputantibus.

Tandem vicit fortuna Reipublicæ] Tacitus Annal. IX. 'Affuit ut sæpe alias fortuna P. R.' Ex quo legendum existimo hic *fortuna P. R.* non *Reipub.* Cic. Philipp. II. 'Sustulit illum diem fortuna P. R.' licet in antiquo libro sit, *fortuna reipub.* ut Gab. Faërnus testatur. Fortuna P. R. in nummis aliquando. *Ciacc.*

Tandem vicit fortuna Reipubl.] Fere reposuissem, *fortuna populi Romani;* quod invenissem in editionum prima, *fortuna P. R.* sed ei nullæ adlubescebant membranæ; et habet rationes luculentas quibus se tueatur vulgata lectio. legatur modo Tacitus l. XIV. Annalium. *Gruterus.*

Fortuna Reip.] Legitur et *Fortuna P. R.* atque ita aliquando in nummis invenitur argenteis: FORT. P. R. *Ursin.*

Fortuna] Veteres cuique suam Fortunam assignarunt, quæ cursum vitæ moderaretur: quin et Fatum et Fortunam sæpe confudit antiquitas. Nam quod fatum est respectu Dei, respectu hominum non male Fortuna dicitur. Ita Fortunam senum et puerorum dixit Manilius l. II. Astronom. Quid autem sit sors fortunæ explicat Scaliger in Manilium. Neque aliter hæc interpretatur ipse Augustinus, cum dicit: 'Fortuna intelligenda est, pro his rebus, quæ fortuito videntur accidere, cum hæc ipsa tamen, quæque fortuita videntur, causis occultis divinitus dentur.' Hinc orientales aliquando Fortunam cum ipso Deo confuderunt. Gad enim et Fortunam et ipsum Jovem denotat, sive τὴν ἀγαθὴν τύχην. Rabbini, גדה sive Geda dixere, Persæ Goda, quod et nostro Germanico *Godt* simile est. Fortunam autem singulis rebus ingenitam credidere gentiles. Unde et Fortuna Primogenia dicta est. Genius enim et Fortuna eadem, sicuti docet Sosipater Charisius. Et sicuti Fortuna et Genius singulis attribuebantur mortalibus, ita muris, civitatibus, Reipub. eadem erat superstitio. In Romana Urbe publice cultus fuit Genius sive Fortuna Urbis, ut Seneca tradit. Vide et Dionem Cassium l. XLVII. et L. Regni Genius laudatur a Claudiano, Genius Publicus ab Ammiano commemoratur, qui veluti anima erat imperii Romani. Atque Fortunam Reip. vel ut alii habent P. R. si ita hic intelligamus, absurdum nequaquam erit. *Thys.*

Q. Fabio Sangæ] Appianus: 'Legati ob id ipsum ambigentes, rem Fabio Sangæ annunciant (erat autem is Allobrogum patronus in urbe, ut ceteris populis olim Romæ adesse mos fuit) ab hoc Cicero certior factus, legatos ab Urbe discedentes et cum illis Volturcium intercepit, eosque in

Senatum subito inducit.' *Zanch.*

Cujus patrocinio] Mos fuit priscorum, ut singulæ nationes, civitatis patronos Romæ peculiares haberent, in quorum essent clientela, ut Siculi patronos Marcellos et Ciceronem habebant, Lacedæmonii in tutela Claudiorum extiterunt: ita Fabius Sanga patronus fuit Allobrogum. *Idem.*

Civitas] Allobrogum regnum tempore secundi Punici belli fuisse, Livius scribit l. XXI. Quorum multas civitates fuisse auctores tradunt; sed una erat præcipua, unde appellabantur. Cicero quoque in 3. Invect. Allobrogum civitatem dicit: 'quid vero, ut homines Galli ex civitate male pacata, quæ gens una restat, quæ popul. Rom. bellum facere posse, et non nolle videatur, spem imperii, et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, vestram salutem suis opibus anteponerent, id nonne divinitus factum esse putatis?' *Zanch.*

Rem omnem, uti cognoverant, aperiunt] Minime video, cur non supervacua videri queant, *uti cognoverant.* Grut.

Aperiunt] Hujus Allobrogum proditionis, sciendum est, strictim meminisse Horatium Epod. oda 15. 'Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer, Novisque rebus infidelis Allobrox.' Ubi hoc ad illud tempus refertur, inquit Porphyrio, quo Catilinæ factio conjuravit, et pene legati Allobrogum illi consenserant. Sed Juvenalis quoque versus illi mire huc faciunt: 'Quid Catilina tuis natalibus, atque Cethegi, Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos Nocturna, et flammas domibus templisque paratis, Ut braccatorum pueri Senonumque minores, Ausi quod liceat tunica punire molesta. Sed vigilat consul: vexillaque vestra coërcet. Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romæ Municipalis eques, galeatum ponit ubique Præsidium attonitis, et in omni ponte laborat.' Cic. lib. I. epist. 1. ad Atticum adtestatur, se novam orationem (quas Consulares vocat) habuisse ad populum, quo die Allobroges involgarunt. Cic. l. II. de suo Consulatu: 'At clades patriæ, flamma ferroque parata, Vocibus Allobrogum, patribus populoque patebat.' *Coler.*

CAP. 42. *Gallia citeriore atque ulteriore*] Gallia vel est Cisalpina, vel Transalpina. Cisalpina togata dicta, finiturque Alpibus et amne Rubicone, Italiæ antiquo limite: ita dicta quod more Romanorum toga uteretur. Transalpina vel est Comata, vel Braccata. Comata, ut volunt, a comam nutriendi studio dicta est. Hæc rursus in tres partes distinguitur: Belgicam, Celticam, Aquitanicam, sub qua et Aremorica. A Scalde ad Sequanam Belgica, ab eo ad Garumnam Celtica, inde ad Pyrenæi excursum Aquitanica. Ptolemæus tamen in quatuor partes distribuit, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam, et Narbonensem. Quarum Aquitania a Pyrenæis montibus ad Ligerim usque juxta eundem extenditur. Narbonensis tamen Gallia a ceteris Braccata dicitur, Plinio judice, Italia verius quam provincia. Narbonensis autem provincia continebat, ut arbitror, totam Occitaniam, Provinciam, Delphinatum, et Sabaudiam, denique et Septimaniam. Magnitudinem situmque ita delineavit in urbibus Ausonius: 'Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris, Excludunt Italos Alpina cacumina fines, Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi, Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno, Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ, Usque in Tectosegas, primævo nomine Volcas, Totus Narbo fuit.' *Pontan.*

In agro Piceno, Bruttio] V. c. habet *Brettio;* quæ vera scriptura est, nam Græca numismata habent, ΒΡΕΤΤΙΩΝ. *Ursinus.*

Bruttio] Bruttium Græcis *βρεττία.*

et apud Athenæum l. v. apud Diodorum Siculum in Eclogis, aliosque auctores βρεττανία dicitur. Dionysio Afro Brentii quoque appellantur. De iis ita Justinus xxiii. 1. ubi de Agathocle rege agit: 'Primi igitur hostes illi Brutii fuere, et qui fortissimi tum et opulentissimi videbantur, simul et ad injurias vicinorum prompti; nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant: auctores quoque suos Lucanos bello vicerant;' et mox, 'Horum igitur (Lucanorum scil.) ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati præda, cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius, Siciliæ tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat. Quorum castellum proditum sibi per Bruttiam mulierem expugnaverunt: ibique civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus statuerunt, Bruttiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis originis suæ auctoribus bellum fuit. Qua victoria erecti, quum pacem æquo jure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt, tantasque opes brevi consecuti sunt, ut perniciosi etiam regibus haberentur. Denique Alexander rex Epiri, quum in auxilium Græcarum civitatum cum magno exercitu in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab his deletus est.' Vide et Diodorum l. xvi. qui et ideo Brettios appellatos scribit, quod servi essent et fugitivi Lucanorum. De iisdem scribit Strabo l. xvi. qui et peninsulam appellat Brutionum agrum. Limites autem ejus fuere ad Hetruscum mare Laris amnis; ad Siculum mare et Tarentinum sinum Sybaris fluvius. *Cluver.* Leopard. l. iv. Emend. c. 13.

Apulia] Mari Adriatico contermina inter Dauniam et Calabriam, quæ et Japygia appellata fuit.

Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex Senatusconsulto, cognita caussa, in vincula conjecerat] Sic Gymnicus, ac recte. Ceterum est in quibusdam, ut et Merseburgensi, et Florentino, *ex sociis caussa cognita:* quæ res misere interpretem torsit. Compendiaria illa per notas scribendi ratio ansam errori præbuit. *Rivius.*

Q. Metellus Celer Prætor, ex Senatusconsulto, caussa cognita, in vincula conjecerat] Ita Mss. nostri, omnibus quidem literis Pal. sec. duabus tantum, S. C. Naz. ac Com. quod et in suis invenerat religiosæ industriæ Bongarsius noster. Pal. tertio tantum visitur inter lineas: at reliqui objecere nobis, *ex sociis Catilinæ caussa cognita:* stulte. Æque stulte, Carrionis editio, *ex sociis caussa cognita.* Gruterus.

Item in citeriore Gallia C. Muræna, qui ei provinciæ legatus præerat] Felicius Durantinus putat librariorum culpa hic mendose legi, C. Muræanam citeriori Galliæ legatum præfuisse, quod ea tempestate Galliæ transalpinæ Cicero Muræanam præfuisse tradat. Fuit autem C. Muræna legatus, frater L. Murænæ consulis designati. *Rivius.*

CAP. 43. *Paratis, uti videbatur, magnis copiis, constituerat*] Commentarius, qui Vallæ adscribitur, supplet, *paratis a Catilina.* Sed ego ambigue tamen id dictum existimo. Lector judicet. *Glareanus.*

Paratis, ut videbatur, magnis copiis] Naz. ac Com. *ut videbantur,* lectione non ita inficeta. *Gruterus.*

Constituerat, uti cum, &c.] Iidem Mss. *constituerant.* Idem.

Magnis copiis constituerat] In Naz. et Com. apud Gruterum legi notatur, *constituerant:* quod haud dubie verius, *Lentulus cum ceteris constituerant.* Ut apud Livium xxi. 60. 'Ipse dux cum aliquot principibus capiuntur.' Ubi plura hujusmodi congessimus. *Gronov.*

Belli gravissimi invidiam] Meus liber, *gravissimam invidiam*: sic infra, 'Magnam illi invidiam conflaverant.' *Ciacconius*.

Belliquc gravissimi invidia optimo Consuli imponeret] Alii codices, et nominatim Gothi, habent *invidiam*, in accusandi casu: quasi diceret, in ejus humeros imponeret belli gravissimi invidiam. Sane non video, quomodo *impono* pro *decipio* hic locum habeat. *Glareanus*.

Eo signo dato, proxima nocte, &c.] *dato*, non est in Mss. nec in impressis vetustioribus. Sed nec Felicius Durantinus addit: addit tamen Aretinus. *Rivius*.

Cetera multitudo conjurationis, suum quisque negotium exsequeretur] Est quidem in Mss. duobus, *suum quæque negotium*; sed in meo *quisque* legitur. Refertur enim ad sensum, non ad vocem; estque id apud historicos frequens. *Idem*.

Sed ea divisa hoc modo dicebantur] Turbat hic potius, *sed*, quam ut adjuvet sententiam. imo ceteris vocibus omnibus, si quis moverit status controversiam, en et me paratum subscribere nomen. posset tamen tolerari, *ea divisa hoc modo: Statilius, &c.* Grut.

Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent] Cicero in III. invectiva in L. Catilinam, testatur L. Cassium, quem Sallustius infra in Galliam profectum scribit, sibi procurationem incendendæ urbis depoposcisse: et in IV. trucidandi senatus partes a Lentulo datas Cethego, ceteros cives interficiendi Gabinio, quem incendiis præponit Sallustius, urbis inflammandæ Cassio, totius Italiæ vastandæ diripiendæque Catilinæ. Itaque non per omnia consentiunt Cicero ac Sallustius. Sed et pro Sulla Cicero, 'Cum Catilina,' inquit, 'egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur, Cassius incendiis, Cethegus cædi præponeretur, Autronio ut occuparet Etruriam præscriberetur:' et reliqua. *Rivius*.

Filii familiarum] Particulam *Sed*, quæ in cunctis impressis libris reperitur, delevimus, sententiam nostram confirmante antiquo Prisciani codice, quem habet Sixtus a Popma. *Popma*.

Dies prolatando] V. c. *Protelando*, quod mendum est. Nam *prolatando* habet Tacitus libro V. cum ait: 'Sed ubi diem ex die prolatabant:' et paulo post, v. c. habet: 'Quod signatum ad cives suos perferunt:' nisi forte illud *suos* additum sit. *Ursinus*.

Dubitando, et dies prolatando] Fulvii liber, *Protelando*, et in Jugurtha, c. 73. *Protelandis consultationibus*, non, ut in vulgatis libris, *Prolatandis*. Manutius.

Et dies prolatando] Sic omn. Mss. quod perplacet Ursino. at mihi potius, quod offendit in suo codice, *protelando*. Gruterus.

Natura ferox, vehemens animo] Illud *animo*, omissum fuerat quibusdam in codicibus: sed cum alia adjectiva suos habeant ablativos, videtur hic quoque ponendus. *Glareanus*.

CAP. 44. *Quod signatum ad cives perferant*] Meus liber addit, *ad suos cives*. Ciacc.

Cum his P. Volturcium] Lege ex Mss. *cum his Titum Volturcium, &c.* Ita vocatur alibi: 'Dum hæc in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum, et Tito Volturcio,' &c. *Putschius*.

Titum Vulturcium] Ita, ex vero, omnibus perscriptum literis, in edd. primoribus, in Mss. cunctis, ut mirer sinistram illius audaciam, qui hic substituerit *Publium*. Gruterus.

Quarum exemplum infra scriptum est] Exemplum litterarum ad Catilinam Lentuli, sic est in vetustis quibusdam, ut apud Ciceronem Oratione III. in Catilinam: 'Qui sim, ex eo quem ad te misi cognosces. Cura, ut vir sis, et cogita, quem in locum sis progressus, et vide, quid jam tibi necesse,

Cura, uti omnium tibi auxilia adjungas; etiam infimorum.' In manuscriptis tamen idem reperitur litterarum exemplum, quod in hisce recentioribus, nimirum hoc: 'Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse. Consideres, quid tuæ rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.' *Rivius.*

Qui sim, ex eo quem ad te misi cognosces] Mirum in omnibus codicibus hæc verba alia atque alia inveniri. Aldinus codex, et Gothi nostri habent, ut vulgo legitur. At in aliis quibusdam vetustioribus, ita leguntur: 'Qui sim scies ex eo, quem ad te misi: cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus: et vide quid jam tibi sit necesse: cura, ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.' Qui hæc in Aldino codice emendarunt, in tertia Ciceronis Invectiva non mutarunt, ubi ea verba haud aliter atque hic præscripsi (excepta prima periodo, *Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces*) leguntur; verum ita nostra ætate emaculantur codices. Ceterum hæc ultima verba: *Cura ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum:* plane ostendunt proxime dein sequentia, hæc verba, *quo consilio servitia repudiet?* interrogative legenda, non enuntiative, quod tamen fere in codicibus neglectum videmus. *Glareanus.*

Quo consilio servitia repudiet] Videntur interrogationis notula insignienda, uti placuit Glareano. *Gruterus.*

CAP. 45 *C. Pomptino*] *Pomptinius* est apud Ciceronem, et Dionem Πομπτῖνος, ac alios. Male vulgo *Pomptinio.* In Epitome Liviana *Cn. Potitius* vitiose. *Ciaccon.*

C. Pomptino] Ita Cicero, et Dio, qui Πομπτῖνον edit. Sed rectius habet v. c. *Pomptinio:* nam ita dicunt exstare in veteribus numismatibus. Et in Epitome Liviana CIII. manuscripta, *C. Pomptinius* est, pro eo quod mendose in vulgatis libris habetur, *C. Politius.* Ursin.

Rem omnem aperit, cujus rei gratia mittebantur] Codices in membrana descripti, *cujus gratia mittebantur:* et eodem modo Badianus. Sed in aliis ita fere est, ut hodie legitur. Quamvis autem Hieronymus hoc in Rufino carpat, tamen pace viri dicam, sæpenumero apud optimos quosque ac primæ notæ scriptores reperitur antecedens, jungiturque cum relativo ipso. Terent. in Heaut. 'Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi licere id facere quod illi fecerunt, putat.' Cæsar, 'Ultra eum locum, quo in loco Germani consederant:' et, 'Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent:' et 'Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant:' et, 'Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret.' Ita sexcenties fere apud eundem reperias. Sed et Cicero in Verrem, 'Advenit dies, quo die ex instituto,' &c. *Rivius.*

Rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur] Sic membranacei omnes. Carrionis editio ejecit voculam *gratia;* qua tamen sublata, locus obscuratur. *Gruterus.*

Permittit illis homines militares, sine tumultu præsidiis colloc.] Illud, *sine tumultu*, ambiguæ distinctionis est, ad priora ne referas, an ad posteriora. Vetustiores paulo codices ad priora referunt, et a *præsidiis collocatis*, novam ordiuntur lectionem. Alii malunt ad posteriora referre. Judicet Lector, mihi ambiguum relinquitur. *Glareanus.*

Ita agant. Permittit illis homines militares sine tumultu, &c.] Sic putavi distinguendum, auctoritate meliorum codicum, et typis, et calamo exaratorum. Nimis licenter Carrio, nimis incuriose posteriores eum secuti, a quibus exclusum est, *permittit illis.* Neque enim quicquid supervacuum

nobis videtur: statim etiam propria auctoritate resecandum est; non: non: Iredices sumus, non vindices. *Gruterus.*

Homines militares] Sic infra: 'Homo militaris, quod amplius annos XXX. tribunus.' *Ciacc.*

Occulte pontem obsident] In Manuscriptis *obsidunt*, conjugatione tertia. *Rivius.*

Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt] In codice Fabriciano est, *venere*. Idem.

Galli, cito cognito consilio sine mora] Lege, *Galli cognito consilio, &c.* Nam superabat vox illa *cito*. Putschius.

Galli, cito cognito consilio] Quam magis verso præcedentia ac sequentia, tam magis spurium quid latere videtur in tribus vocibus postremis. Nam quid hic attinet addere, *cito cognovisse consilium Gallos;* quos scimus, noctem qua proficiscerentur ideo indicasse Consuli, ut deprenderentur? quin jam illis tale quid constabat antequam exirent Roma: itaque si quis trigæ illius jugulum petendum putaverit, ei ego libens sicam. *Gruterus.*

CAP. 46 *Quibus rebus confectis, omnia propere*] M. l. *Quibus rebus ita confectis eam propere:* forte *ea*. Ciacc.

Pœnam illorum sibi oneri, immunitatem perdundæ reip. caussam fore credebat] In impressis vetustioribus non reperi *caussam;* nec in ipsis manuscriptis, quorum plerumque fidem sequor: sed nec magnopere sensus requirit. quare tollendum censeo. *Rivius.*

Impunitatem perdundæ reipubl. fore credebat] Quidam codices, *produndæ reipubl.* habebant. Sane *prodere remp.* tam in usu est atque *perdere* apud disertos: nihil tamen definio. *Glareanus.*

Perdundæ reipubl. fore credebat] Postrema dictio rursus mihi supervacua. Non est mihi dubium vix continere linguam suam Magistellos, ne ea me votis interficiat; tanquam qui cor et cerebrum auctoris eviscerem. Sed quid? feriant ut libet, dum in alia omnia vota descendant Scaligeri, Thuani, Bongarsii, Casauboni, Rigaltii, Dousæ, Velseri, Lipsii, Centeri, Vulcanii, aliorumque quibus cor sapit. *Gruterus.*

Itemque quemdam Cæparium Tarracinensem] Aldinus codex mutavit in *Q. Cæparium,* cum in Ciceronis Oratione tertia omnes codices atque adeo ipsius Aldi *M. Cæparium* habeant. Verum in propriis nominibus hæc omnia prosequi, in Livianis Decadibus expertus sum, quam sit prope impossibile; maxime in Romana historia. *Glareanus.*

Ceparium Terracinensem] V. c. habet: *Ceparium quendam Tarracinensem, &c.* ut supra: *P. Volturcium quendam Crotoniensem:* sed scribendum, *Terracenensem*, ex antiquo marmore. *Ursinus.*

Terracinensem] Scribe, *Tarracinensem.* Tarracina enim, non Terracina dicitur a Cicerone, Plinio, Mela, Paterculo, Ptolemæo, et aliis. Livius autem Tarracinas vocat Decadis primæ l. IV. *Cast.*

Tarracinensem] Tarracina urbs Volscorum, quam antea ab asperitate loci *Trachinnem* appellatam fuisse, Strabo l. v. auctor est. Ovidio Trachas dicitur, ita enim loquitur: 'Minturnæque graves, et quæ tumulavit alumnus, Atiphatæque domus, Trachasque obsessa palude.' Ita et Livius urbem pronam in paludes dixit. Plinius *Tarracinam* lingua Volscorum *Anxur* appellatum esse tradidit, quo vocabulo Poëtæ maxime utuntur: ubi et Jupiter ejusdem nominis colebatur. Virgilius: 'Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici Litus arant, Rutilosque exercent vomere colles Circæumque jugum; queis Jupiter Anxurus arvis Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco.' Coloniam quoque illuc deduxisse Romanos Livius auctor est. *Cluver.*

Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens perducit] Sic in quibusdam, ubi Gymnicus, consentientibus manuscriptis, *in senatum perducit:* quamvis autem nec Aretinus hoc addit, mihi tamen relinquendum esse videtur. *Rivius.*

Concordiæ] Templum Concordiæ Camillum vovisse, Ovidii carmina quæ sequuntur, ostendunt: 'Furius antiquus populi superator Hetrusci Voverat, et voti solverat ille fidem. Causa quod a Patribus sumptis secesserat armis Vulgus, et ipsa suas Roma timebat opes.' Hoc templum in foro fuisse, refert Plutarchus. Varro autem inter Capitolium et forum, cui adstipulatur S. Pompejus. Erat enim aut in foro, aut foro proxumum; nam et Valerius Max. commemorat Sempronium Aselionem pro æde Concordiæ sacrificium facientem ab ipsis altaribus a creditoribus fugere extra forum coactum. Octo ingentes columnæ hodieque extant in radice Capitolini montis. In pronao ejusdem templi fuit Victoria. Ejusdem templi etiam Cic. meminit Philip. 5. Habebantur præterea in hoc templo Senatus et orationes, ut idem pro Sextio et Lampridius testantur. Ita enim Lampridius inquit: 'Cum Senatus frequens in curiam, hoc est, in ædem Concordiæ, templum auguratum convenisset.' Varii alioqui fuere conventus in curia Hostilia, in Capitolio, alibi pro ratione temporum. S. Pompejus ex Nicostrato memoriæ prodidit, 'senacula Romæ tria fuisse: unum,' inquit, 'ubi nunc ædes Concordiæ, inter Capitolium et forum, in quo solebant magistratus cum senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur.' Martian. II. 10.

CAP. 47 *Volturcius interrogatus de itinere, et de litteris*] In Manuscriptis et aliis antiquioribus est illa copula *et* omissa, majore cum gratia et venustate, quam si addatur. *Rivius.*

Quid aut qua de causa consilii habuisset] Ordinem puto, *quid consilii, aut qua de causa habuisset:* vetus codex Gothi habebat: *Postremo quid consilii, aut qua de causa abiisset.* Est tamen dicendi hoc genus notandum. Et *fide publica,* hoc est, *impunitate promissa Vulturcio,* recte expositum est; quippe cui paulo post præmia decernuntur. Cum vero inquit: *nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum, &c.* Hic quamquam distingui potest, illud tamen *ex Gabinio,* etiam ex legatis auditum intelligi vult. Idem vetus codex distinguit post *legatos.* Sed vide, ut oppido eleganter voluerit Sallustius impostoris tergiversationem Lectori ob oculos ponere. Nam ita facere solent, qui omnia et simulant et dissimulant. *Glarean.*

Primo fingere alia omnia, dissimulare de conjuratione] In hunc modum est hic distinguendus locus, contra quam in recentioribus habetur: nam, *alia omnia,* prioribus addes, non sequentibus. *Rivius.*

Alia omnia] Ex antiqua formula Sallustius posuit, pro contraria et diversa. 'Nam,' ut Festus ait, 'cum Consules sententiam senatores rogarent, ominis gratia, ne dicerent, qui non censetis, præibant, his verbis: qui alia omnia, in hanc partem; cum prius dixissent, qui hoc censetis, illuc transite.' *Ursin.*

At Lentulum dissimulantem coarguunt] Rectius in v. c. *Ac Lentulum, &c.* et paulo post: *Abdicatus magistratu, &c.* cum in vulgatis libris sit: *Abdicato magistratu.* Quod non ita resipit veterem formulam Romanam. *Ursin.*

Sibyllinis] Nugæ sunt et deliria Grammaticorum, qui Sibyllam quasi σιοῦ βουλὴν dictam existimant. Neque enim, ut volunt, σιοὺς Deos appellant Æoles, sed Lacones, ut Hesychius docet. Præterea nulla Sibylla

Æolica, ut hoc nomen ex Æolicis vocibus componi debuerit. Postremo βύλλα pro βουλὴ neque Æolicum, neque Græcum est. Plures Sibyllæ: unam tamen innuit Plinius, per quam Cumanam intelligit, quam cum Erythræa confundit, cujus Strabo meminit l. xiv. Cumana autem fuit, quæ libros tres Tarquinio obtulit. Hallucinatur autem Solinus, qui Cumanam diversam ab Erythræa fecerit, quod Plinii quem sequitur, menti est contrarium, qui unicam tantum Sibyllam agnovit. Erythræa fuit origine, Cumana postea habitatione. Sibylla autem tantæ fuit apud Romanos auctoritatis, ut tres Sibyllæ statuas fuisse prope rostra scribat Plinius, illiusque libris maxima habita auctoritas. Sueton. in Augusto: 'quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.' *Salmas.*

Sibyllinis] Porro uti in Sibyllinis oraculis, quæ hodie extant, pleraque Sibyllam non redolent, et a Christianis contexta sunt, ita quædam tamen, quæ ex iis citant antiqui Patres, Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Tertullianus, in hodiernis quoque inveniuntur, quæ tamen ipsa an γνήσια sint Sibyllæ, dubitare licet: hoc utique apparet habita fuisse pro Sibyllinis veris, quandoquidem Patres iis utuntur ad refutandas gentes. Unde vero Sibyllarum nomen promanaverit Græci admodum nugantur. Ego certe vocem esse Orientalem, non dubito, et deflexam esse a סבל, id est, *portare*. Ita et Heliogabalus quasi *portator Dei* dictus. Habebant autem incolam Pythium, unde et Græcis ideo ἐγγαστρίμυθοι vocantur. Talis erat quoque species vatum, qui Euryclitæ appellati fuere, in quibus fatidicus spiritus inerat, ita dicti ab Eurycle, cujus meminit Aristophanes in Comœdia, cui titulus Σφῆκες, et Plato in Sophista. Apparet autem Orientalem vocem esse, quod antiquissima Sambethe appellata fuerit, a Saba, unde Bacchus quoque oriundus fuit, et plures ἐνθουσιασμένοι. Hinc etiam Bacchantium clamor, εὐοῖ σαβοῖ, ὕης ἄττης, καὶ ἄττης ὕης, ut testatur Strabo: adde quod Pausanias in Phocicis dicat, ὑπὸ τῶν Λιβύων λέγουσιν ὀνομασθῆναι: et Justinus Martyr Babyloniam esse docet, quæ postea Cumæa appellata est: et postea, ut testatur Hermeas Philosophus in scholiis in Phædrum, omnes mulieres τὸν μαντικὸν ἑλοῦσαι βίον dictæ fuere Sibyllæ. Sibyllam igitur ἐγγαστρίμυθον fuisse credidit antiquitas, et inde nomen accepit. Quamvis pauciores tales fuerint, quam vulgo creditum est. Plurimas enim melancholicas vel furore correptas fuisse existimo. Pleraque etiam quæ de vatibus et oraculis dicuntur, melancholiæ adscribimus. Impostura quoque hic maxime locum habuit. Ideoque cum minus creduli esse homines inciperent, oracula et vates defecerunt. De Ethnicis vatibus loquor. Divinos enim ex instinctu Dei Prophetas certissima oracula effudisse ex eorum scriptis apparet. Reliqua vaticinia aut imposturæ, ut dixi, aut melancholiæ adscribo. Imposturæ autem quæstus occasionem dedit. Non nego tamen dæmonem aliquando se immiscuisse. Sed dicat quis, maximi scriptores Cicero et Plutarchus refragantur. Cicero hanc vim quandam, ut ipse inquit, diffundere Deos longe lateque voluit, quam cum terræ cavernis includant, tum hominum naturæ implicent. 'Nam terræ,' inquit, 'Pythiam Delphis incitabat, natura Sibyllam.' Prius Plutarchus quoque docet, quando oracula telluris vaporibus adscribit. Sed velim mihi ostendant, quo pacto res inanima et rationis expers, qualis est terra, præsentium aut futurorum cognitionem

habere possit. Introduxerunt igitur gentiles tales præcipue mulierculas, quæ furorem arte simulare norant, vel quæ atra bile laborarent. Quæ quidem intemperies quantos sæpe motus agitet, alibi ostendimus. *Thysius.*

Fatum] De fato vide Gell. vi. 2. et xiii. 1. et Macrob. de som. Scipionis. *Zanch.*

Præterea ab incenso Capitolio] L. Scipione et Norbano Coss. ante Sullæ dominationem, Capitolium, quod a Regibus plus quadringentos annos manserat, exustum est, cujus incendii causa omnes latuit. Scribit Appian. l. i. et paulo post: 'Eisdem diebus Capitolium igne conflagravit, quod opus nonnulli Carbonis fuisse dicebant, alii, consulum, aut Sulla mittente patratum: veruntamen incerta, nec ipse de ea re, a quo confecta fuerit, satis habeo quod dicam. Ter enim Capitolium eversum est, et ter instauratum.' Plutarch. in Publicolæ vita: 'Primum,' inquit, 'ut diximus, a Tarquinio exædificatum dedicavit Horatius, bellis autem civilibus igni consumptum est: at secundum instauravit Sulla. Dedicationi autem Catulus inscriptus est, Sulla morte intercepto: hoc autem rursus in Vitellii seditionibus eversum ac dirutum. Tertio Vespasianus ea, qua in ceteris felicitate usus, de integro reficere aggressus opus perfecit: sed instructi deinde a se templi eversionem non vidit: sed tanto Sullæ fortuna præstitit, quod illum mors ante consecrationem eripuit, hic ante desolationem decessit. Una enim cum Vespasiani interitu inflammatum Capitolium, incensumque est. Hoc autem quartum a Domitio perfectum et consecratum est. Dicitur autem Tarquinius in fundamentis templi quadraginta millia argenti librarum impendisse, et in ultima instauratione 12. millia talentorum impensa excessit.' Idem in vita Sull. 'in Sylvio servum Pontii numine afflatum, sibi obviam venisse scribit, qui diceret se a Bellona missum, ut belli potentiam atque victoriam nunciaret. Quod si non maturaret, Capitolium incendio periisse; quod ipsum, et qua die prædictum ab homine fuerat, obvenit: ea vero fuit pridie nonas Quintilis, quas nunc Julias vocamus.' Vide et Corn. Tacit. l. ix. vide et supra B. Cat. c. 18. *Idem.*

Haruspices] Haruspex dicitur, qui ex harugis, id est, hostiis inspectis futura prædicit. Terent. in Phormione: 'Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi negotii incipere.' Hunc locum exponens Donatus, inquit, 'Haruspex ab harunga derivatur, quæ est hostia: et hara, in qua concluditur et servatur.' Haruspices, auctore Augustino, lib. de Civitate Dei, sunt, qui exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura prædicunt: et haruspices quoque illi nuncupantur, qui haras in agendis negotiis operibusque custodiunt. Haruspicium primus invenit Delphus, ut ait Plinius viii. 56. Haruspicinam irridet Cicero in ii. de Divinatione, ubi dicit alios alio modo exta interpretari, nec esse omnium unam disciplinam. Cato mirari se ajebat, quod non ridebat haruspex, haruspicem cum vidisset. *Zanch.*

Haruspices] Apud Romanos si quid insueti accidisset, nunciatumve esset, ad haruspices mox veteri more institutoque referebatur, qui docerent, quid Dii præmonstrarent, quidve poscerent: veteri autem lege sancitum erat, ut priusquam augurandi scientia Romanis innotuisset, hæc ad Hetruscos deferrentur. Verba legis sunt: PRODIGIA. ET. PORTENTA. AD HETRUSCOS. HARUSPICES. SI. SENATUS. JUSSERIT. DEFFERUNTO. HETRURIÆQUE. PRINCIPES. DISCIPLINAM. DISCUNTO. QUIBUS. DIVIS. DECREVERINT. PROCURANTO. IISDEM. FULGURA. ET. OSTENTA. PIANTO. AUSPICIA. SERVANTO. AUGURI. PARENTO. Ex hac lege

decreto senatus sex optimatum filios Hetruscis in disciplinam tradi solitos, ut augurandi artem addiscerent, proditum est. Qua quidem arte Fesulæ claruerant, ubi et domicilium et collegium augurum fuit. Et initio ita a Romulo constitutum fuisse legimus, ut in tribus centuriis Ramnensi, Tatiensi, et Lucerum singuli essent augures, qui sacris cæremoniis prædictionibusque, et explanationibus eorum, quæ Dii monuissent, præessent: postea duobus adjectis, collegii numerus in quinarium excrevit (imparem enim esse debere numerum arbitrati sunt) donec tandem ne ultra novem augurarentur, Senatusconsulto cautum fuit. Sulla demum collegium, quindecim adjectis, ad viginti quatuor usque propagavit. Semel collatus auguratus, viventi non adimebatur, etiam gravissimis intercedentibus causis. In mortuorum loca legebantur alii comitiis Curiatis, quæ Pontificis maximi dicebantur, non a populo universo, sed minore parte, et iis, quibus sacerdotia conferre et demandare curæ erat. Nonnunquam a duobus unus nominari, et a toto deinde collegio acciri et cooptari poterat. Munus erat augurum et haruspicium præcipuum, auspicia captare et contemplari, id est, signa rerum futurarum Deorumque monita: et lætane essent illa, an piacularia; quidve apportarent, prosperane, an calamitosa expiandaque sacrificiis, et luctu publico, scrutari ac præmonere. Dignitas eorum tanta fuit ut velut internuncios et interpretes Deorum eos coluerit antiquitas. Quippe et Romulum haruspicinam fecisse, et ne quid, quod decretum esset, haberetur ratum, sine auguriorum consensu et suffragatione, constituisse annotatum. neque comitia haberi sine iis poterant. *Peucer.* de divinat. Vide et Camerar. de Divinat. et Boisardum.

Signa sua] Id est, sigilla ipsius Lentuli, ut nunc vulgo dicitur: in annulis virorum clarissimorum capita insculpebantur, hisque literas obsignabant. Valer. Max. III. 5. scribit, e manu Scipionis detractum esse annulum, in quo caput Africani patris insculptum erat. Tranquillus in Augusto: 'In diplomatibus libellisque et epistolis signandis sphynge usus est: mox imagine Magni Alexandri, novissime sua, Dioscuri manu sculpta, qua signare insecuti quoque principes perseveraverunt.' *Zanch.*

Signa] Signa multum differunt a sigillis: Signa quæ epistolis, quæ contractibus, quam publicis quam privatis, olim imponebantur, annulo fiebant signatorio. Sicuti et nunc epistolas claudimus. Sigilla vero posterioris ævi appenduntur funiculis, non ab annulis signatoriis imprimuntur, sed ab impressis grandioribus et ad hoc factis. Tympana vocat Robertus Montensis in supplemento Sigeberti. Græci extremo imperio τυποτήριον et βουλωτήριον appellarunt, antiquiores σφραγιστήριον. Latini signaculum, quin et ipsa instrumenta βούλλας sive bullas dixere. Ita enim vocavit infima Latinitas hujusmodi dependentia sigilla bullarum nomine, quia et bullæ formam haberent, et eodem modo dependerent ex chartis, ut illæ apud Romanos ex pectore prætextatorum. *Salmas.*

Ut abdicato magistratu Lentulus] Meus liber, *abdicatus magistratu.* Ciacconius.

Liberis custodiis] Liberas vocat sine vinculis. Ambros. in epist. Pauli: 'Habebantur in libera custodia.' Tradebantur autem viri illustriores magistratui, ut ex hoc loco videre licet, et Dione l. II. *Coler.*

Itaque Lentulus] Hinc deprehenditur error Plutarchi et Appiani, qui dicunt, deprehensos conjuratos Prætoribus in custodiam datos esse: nam nemo ex iis qui infra ab Sallustio nominantur, tunc (quod sciam) Prætor erat: hos autem eo anno Præ-

tores fuisse comperimus, Q. Metellum Celerem, Q. Pompejum Rufum, L. Valerium Flaccum, C. Pomptinium, Lentulum Suram, C. Sulpitium, de quo supra, cum de Cethego loqueremur, mentionem fecimus, C. Cosconium, de quo Cicero in Orat. pro Sulla. Appianus addit Cethegum; sed (ut supra diximus) decipitur. *Cast.*

P. Lentulo, Spintheri] Valer. Max. IX. 15. 'Generosissimus consulatus collegio Lentuli et Metelli fuit; qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter ex quodam asseclarum cognomen Spintheris traxit: alter nisi Nepotis a moribus accepisset, Pamphili retiarii, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.' *Zanch.*

P. Lentulo Spintheri] Id est, P. Corn. Lent. qui postea Spinther in consulatu, quod Spintheri histrioni simillimus erat, cognominatus est, ut referunt Valer. IX. 15. et Plinius VII. 12. Consul autem fuit cum Metello Nepote, anno post Urbem conditam 696. in quo magistratu maximam gloriam adeptus est, quod Ciceronem reduxit. Cicero et Dion l. IX. in Civilibus bellis Pompejanas partes secutus est, ut discimus cum ex aliis, tum maxime ex Cæsare. *Cast.*

Qui tum ædilis erat] Seu curulis. Plin. IX. 39. 'hic P. Lentulus Spinther ædilis curulis, primus in prætexta usus dibapha improbatur: qua purpura quis non jam,' inquit, 'triclinaria facit?' Spinther ædilis fuit, Urbis conditæ anno septingentesimo, Cicer. Consule.

Qui tum ædilis erat] Postquam tribuni plebis creati fuerunt, plebs petiit a Senatu, ut permitteret sibi binos viros quotannis plebejos creare, qui omnia tribunis subministrarent, quæ eis opus essent: et ut judicarent eas causas, quas ipsi eis permitterent, ac sacrorum publicorumque locorum, et affluentiæ forensis curam haberent: quod cum a Senatu concessum foret, viros duos creavere, quos ministros tribunorum, et collegas judicesque vocaverunt, hique ædiles plebei dicti sunt: deinde cum iterum plebs contentione maxima cum patribus certavisset, ac tandem ut alter ex consulibus plebejus fieret, obtinuisset, patres pro communicato plebi consulatu, ædilitatem simul et præturam vindicarunt. Primum ædiles curules Cn. Quintum Capitolinum et P. Cornelium Scipionem, ex patribus creaverunt: postea cum Julius Cæsar rerum potiretur, tunc primum sex ædiles creati sunt: duo patricii, qui Cereales dicti, quia curam gererent annonæ forensis, copiæque cibariorum: quatuor vero ex plebe, ut Dion l. XLIII. his verbis meminit: *καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος, πρότερον καὶ ἀγοράνομοι, τότε πρῶτον, δύο μὲν καὶ ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους. ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν.* Horum præcipuum munus erat, urbis, ædium sacrarum, publicarum, curam agere, ad eosque absentibus vel impeditis consulibus summa rerum, et majestas consularis imperii sæpe delata est: hi præcipue curabant, ut ædificia publica privataque fierent, ut templa, theatra, fora, porticus, curiæ et basilicæ, atque mœnia magnificis operibus reficerentur et ornarentur, quod Cic. in III. de Legibus ostendit: 'Sunto ædiles, curatores urbis, annonæ, ludorumque, illisque ad honoris amplioris gradum primus accessus esto.' Idem in 7. Verr.: 'Nunc sum designatus ædilis, scio mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia, Cereri, Libero, Liberæque faciundos: mihi Floram matrem populi plebisque Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos: mihi totam urbem tuendam esse com-

missam.' Hique eis, qui plus quam lege definitum erat, agri possiderent, diem dicere, matronas adulterii accusare, fœneratores coërcere, et obsonia inhibere, atque in exilium mittere poterant; itemque ad ipsos Senatusconsulta in ædem Cereris deferebantur. *Zanch.*

Q. Cornificio] Hic est, qui petiit consulatum cum Cicerone et repulsam tulit. Cicero epistolarum ad Atticum l. I. et Asconius in expositione Orationis in Toga candida. *Cast.*

Q. Cornificio] Hic, ut opinor, in veteri denario dicitur, Q. CORNIFICIVS. AVG. IMP. Imperator scil. ex Africa Provincia, in Consulatu Ciceronis competitor, et in auguratu collega, ut in Epistolis Ciceronis ad eum scriptis intelligimus. *Ursinus.*

CAP. 48 *Gaudium atque lætitiam*] Lætitia, ut ait Festus, demonstratur gestu corporis: gaudium est in animo sine gestu aliquo exteriore. Cic. l. IV. Tusculanar. quæst. inquit: 'Nam cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur: cum autem et inaniter et effuse animus exultat, tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest: quam ita definiunt, sine ratione animi elationem.' Et paulo ante: 'ut sit lætitia præsentium bonorum, libido futurorum.' *Zanch.*

Namque alia belli facinora] Sic supra, 'cædem, incendia, aliaque belli facinora.' *Ciacc.*

Quidam L. Tarquinius] Post expulsos reges, *Tarquiniorum* nomen adeo Romanis invisum fuit, ut eo nomine nemo, quod apud scriptores exstet, fuerit appellatus: nam quod ex Sallustii Historiarum l. III. a Servio, Nonioque adducitur, 'medius inter Tarquinium et dominum Perpennam,' in antiquo lib. Farnesiano legitur, *Medius inter Tarquitium et dominum Perpernam.* Hic ergo, *Tarquitius*, legendum videtur. Apud Tacit. etiam Annal. XII. ubi in vulg. est, 'Statilium Taurum opibus illustrem, hortis ejus inhians, pervertit, accusante Tarquinio Prisco,' legitur in scripto libro *Tarquitio.* Ciacc. Nec item aliter in argenteis denariis quam C. TARQUITIUS nominatur *Ursin.*

Quidam L. Tarquinius] Frustra nobis obtrudetur Tarquinius, nisi id etiam confirmarint auctoritate sua libri scripti. Nostri omnes pugnant pro Tarquinio: et vero, Lector, vise inscriptionum nostrarum volumen; invenies id nominis, pagina XLIV. II. CCCCLXXI. 7. DCCCXXII. I. DCCCCXCVI. 6. *Grut.*

Aliique de conjuratione deprehensi] Exemplaria calamo descripta *ex conjuratione:* sed est idem utrobique sensus, et utrumque Latine dicitur. *Riv.*

Properaret ad urbem accedere] Pall. Naz. aut Com. non habent dictiunculam *ad*, et abesse potest: quamvis magis suspicer haud eam modo supervacuam, sed et sequens *accedere.* Gruter.

Quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius periculo eriperentur] Sic est e codice Fabriciano legendum. Quibus in verbis hæc a vulgata lectione discrepent, facile est videre. Primum addendum est *et, quo et ceterorum*, dein *e periculo* legendum. *Rivius.*

Tametsi verum existumabant] Meus liber *vera* habet. *Ciacc.*

Tanta vis hominis] Id est, tanta potentia. Nam præterquam, quod dives erat, gratissimus quoque populo habebatur, propterea quod facilis ad opem ferendam indigentibus erat: nam summa in appellandis civibus ac salutandis humanitas gravissimum illum populo faciebat; nemini enim tam sordido tamque humili Romanorum occurrebat, cui salutatus ipse salutem non redderet, ac proprio nomine compellaret. *Plutarch.*

Magis leniunda] Sic in manuscriptis. Vulgo *lenienda.* Rivius.

Plerique Crasso ex privatis negotiis obnoxii] Legendum, *ex negotiis privatis*, ut adjectivum sequatur. Sic enim est in manuscriptis, et in impressis vetustioribus. *Idem.*

Frequens senatus decrevit] In Manuscriptis iisdem, *decernit*. Idem.

Neque amplius potestatem faciundam] Alii libri addunt, *sui: sui potestatem faciundam.* Ciacc.

Esset mentitus] Gellius XI. 11. ex verbis P. Nigidii inter mendacium dicere et mentiri differentiam ponit: 'Qui mentitur,' inquit, 'ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur.' Item hoc addit: 'Qui mentitur, fallit quantum in se est: et qui mendacium dicit, ipse non fallit, quantum in se est.' *Zanch.*

Erant eo tempore] Libri Augustani: *Fuere eo tempore.* Magis Sallustian. Supra: 'Fuere item, ea tempestate, qui,' &c. *Putschius.*

Tantam illam contumeliam] Alii lib. non habent *illam*. Sed infra: 'tanta mala ista effugiatis.' *Ciacc.*

Tantam illam contumeliam sibi a Cicerone paratam] Sic et Aldus. In antiquis rectius, *ab Cicerone impositam:* sic enim codices in membrana descripti. Jam *contumeliam imponere* est alicubi apud Ciceronem. 'Quibus tu,' inquit, 'privatim injurias plurimas contumeliasque imposuisti.' Eodem modo Florentinum. *Rivius.*

CAP. 49 *Q. Catulus*] Q. Lutatius Catulus omnium confessione Senatus princeps, qui consul fuerat cum M. Æmilio Lepido anno ab Urbe condita 675. hic (ut narrat Paterculus) cum dissuadens Gabinii legem, qua maritimum bellum Pompejo mandabatur, in concione dixisset, esse quidem præclarum virum Cn. Pompejum, sed nimium jam libere imperare reipublicæ: neque omnia esse in uno reponenda, adjecissetque: 'Si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis?' succlamavit universa concio: 'Te, Quinte Catule.' Cicero in Pisonem sic de hoc Catulo locutus est: 'M. Q. Catulus princeps hujus ordinis, et auctor publici consilii frequentissimo Senatu parentem patriæ me nominavit:' quæ verba adscripsi, quoniam Plutarchus et Appianus dicunt, Catonem, non Catulum, parentem patriæ Ciceronem appellasse: verum cum Cicero, Livius, Sallustius, Plinius, Tranquillus, Paterculus, Florus, Valerius, Eutropius, et alii hunc *Q. Catulum* vocent, unus (ut puto) Appianus C. appellat. *Cast.*

Q. Catulus, et C. Piso neque gratia] Refert Tranquillus Cæsarem inter conjuratos in Senatu nominatum fuisse, sed credo id factum horum subornatione. 'Recidit,' inquit, 'rursus in discrimen aliud inter socios Catilinæ nominatus, et apud Novium Nigrum Quæstorem a L. Vettio indice, et in Senatu, a Q. Curio, cui quod primus consilia conjuratorum detexerat, constituta erant publice præmia, Curius e Catilina se cognovisse dicebat. Vettius etiam chirographum ejus Catilinæ datum pollicebatur: id vero Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cum implorato Cicer. testimonio, quædam se de conjuratione ultro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit.' *Zanch.*

C. Piso] Etsi eo tempore quidam Cn. Pisones Romæ fuerunt, ut ex Hircio et Valerio cognoscimus: tamen non dubito, quin hic legendum sit *C. Piso:* is enim consul fuerat cum Acilio Glabrione, et postea Galliam administravit, ut ex Cicerone ad Atticum l. I. et Dione l. XXXVI. notum est. Inde reus factus, a Cicerone tum consule defensus est, et quoniam consul fortis constansque fuerat, incolumis est reipublicæ conservatus, ut ipse refert Cicero in oratione pro Flacco: quæ omnia conveniunt cum iis, quæ infra Sallustius ait: 'Piso oppugnatus in judicio pecuniarum

repetundarum propter cujusdam supplicium injustum:' accedit præterea auctoritas vetusti codicis, in quo *C. Piso* legitur. *Cast.*

Neque precibus, neque gratia, neque pretio Ciceronem impellere quivere] Manuscriptum, *neque gratia, neque precibus, neque pretio.* Rivius.

Neque gratia, neque precibus, neque pretio, &c.] Extant isthæc omnia in Pallat. sed alio positu. Nazarian. enim ac Pall. secun. quint. septim. oct. decim. duodecim. *neque precibus, neque gratia, neque pretio.* At Pallat. tert. sext. non. *neque precibus, neque pretio, neque gratia:* solum undec. retinet, *neque precibus, neque gratia:* nam est in quarto; *neque precibus, neque gratia, neque precio:* posset illud *neque precibus* videri supervacuum; non est: nam et tria hæc etiam invenias junctim apud Auctorem ad Herenn. lib. tertio. *Gruterus.*

Impellere quiverunt] Ita reposuimus adnitente Prisciano, cum ante vitiose legeretur, *potuerunt*. Infra: 'neque inde maxima vi depelli quiverunt:' et mox: 'Neque diutius Numidæ resistere quivissent.' Verba illa, *neque precibus,* absunt a tribus libris. *Putschius.*

Uti per Allobroges aut per alium indicem] In Mss. non est illa repetitio præpositionis *per:* nisi quod in Fabriciano eadem est in spatio addita, quod versus dirimit. *Rivius.*

Nam uterque cum illo graves inimicitias exercebant] Hic ordo verborum et hæc collocatio est in manuscriptis. Porro, *uterque exercebant,* peculiaris est loquendi ratio historicorum. *Id.*

Piso oppugnatus in judicio pecuniarum repetundarum] Quamvis et descripti calamo libri sic habeant, non est in plerisque tamen, *pecuniarum:* et melius atque elegantius subauditur; irrepsit autem ex glossa. Ascon. 'Fuit,' inquit, 'Catilina patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum.' Idem, 'Nam judicium quoque secutum repetundarum.' Non negaverim tamen apud Ciceronem addi solere: ut, 'Clamares te lege pecuniarum repetundarum non teneri.' et, 'Piso Frugi legem de pecuniis repetundis tulit.' *Idem.*

Pontificatus] Suetonius Julio c. 13. Ovid. l. III. Fastorum: 'Cæsaris innumeris quos maluit ille mereri Accessit numeris Pontificalis honor. Ignibus æternis æterni nomina præsunt Cæsaris, imperii pignora juncta vides.' Quo strenue defunctus Pontificales libros scripsit, qui citantur alibi a Festo, Varronemque bibliothecæ præfecit, qui ei libros suos rerum Divinarum inscripsit. Lactantius I. 6. 'Marcus Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem Max. scripsit.' *Putschius.*

Pontificatus] Romæ fuit collegium Pontificum honoratissimum, quod Numa Pompilius primus instituit, qui Pontificem Marcium, Marci filium, ex patribus elegit, eique sacra omnia exscripta, exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde sumptus, pecunia erogaretur, ceteraque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum plebs veniret, ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo turbaretur: nec cœlestes modo cærimonias, sed justa quoque funebria, placandosque Manes, ut is Pontifex edoceret. Liv. l. I. Pontifices auctore Dionysio, l. II. sunt rerum maximarum domini, mulctareque consueverunt, quos viderint jussis suis minime obsequentes: ipsi vero neque Senatui, neque pop. Rom. rationem reddere coguntur. defuncto autem eorum aliquo, alius in demortui locum substituitur, non a populo electus, sed ab eis ipsis, quicunque maxime idoneus ex civibus videtur: isque ita sacerdotium proba-

tus accipit, si bonorum eidem civium auguria eveniant. *Zanch.*

Extrema ætate] In fragmentis: 'Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre sua veneno interfecta.' *Putschius.*

Adolescentulo Cæsare] Anno ætatis 36. Pontifex enim maximus nominatus, et post ædilitatem creatus est: quæ cum biennio distet a quæstura, et quæsturam Cæsar gesserit anno ætatis 33. quod Suetonius declarat, Pontificatum consequi non potuit ante annum 36. Sic Cicero Curionem l. II. Famil. Ep. 1. *adolescentem*, et Ep. 12. l. II. ad Attic. *juvenem* nominat, cum ea epistola septem annis ante illam ad Curionem scripta sit. Nam in ea, Clodii tribunatum petentis mentio fit, eæ vero ad Curionem omnes, præter ultimam gratulationis officio fungentem, Calvino et Messalla Coss. scriptæ sunt: quo certe anno videtur Curio major annis 30. fuisse, cum biennio post trib. pleb. fuerat, Sulpitio et Marcello Coss. ut patet ex Ep. 12. l. II. Fam. In oratione etiam pro Muræna vocatur *adolescens Ser. Sulpitius*, cum minor annis 30. certe non esset. Habita enim oratio illa a Cicerone Consule: Sulpitius autem post annos 11. consulatum gessit. Et l. II. de Orat. cum dixisset Cicero de L. Crasso, non multa eum, quæ quidem exstarent, et ea ipsa adolescentem, scripta reliquisse, postea in lib. de Claris Orat. ejus orationem quam habuit pro Servilia lege, annos natus 34. exstare significat. *Manut.*

Magnam illi invidiam conflaverat, usque adeo ut illi equites Rom.] Manuscripta *usque eo;* sed eodem sensu; quod ipsum frequens apud Ciceronem est. *Rivius.*

Qui præsidii caussa cum telis erant circum ædem Concordiæ] In Mersebergensi est, *circum Concordiæ*, ut subaudias *ædem*, quomodo in similibus: velut 'ad Juturnæ' apud Ciceronem: 'ante Castoris,' apud eundem. Sic Plautus 'in Veneris' inquit, pro *in fanum Veneris.* Testatur autem Porphyrio alicubi, libenter facere auctores, ut hac ellipsi utantur, cum de locis sacris loquuntur. In ceteris manuscriptis est vulgata lectio. *Id.*

Circum ædem Concordiæ] Perperam Carrionis editio expunxit *ædem*, etsi enim sæpius subaudiatur, haud tamen eam perpetuo subticent auctores. hic certe comparet in Mss. omnibus, etiam Bongarsianis. *Gruterus.*

Seu animi nobilitate impulsi] Dictio ultima fere vacat. Ceterum ambigamus, magis ne hic quadret *mobilitate*, (quod editionibus jam omnibus invexit auctoritas Carrionis, et se sustentat alioquin fide codicum antiquiorum) an vero *nobilitate*, quod in membranis ceteris. Placuit mihi ultimum, ob caussas positas a me in Suspicionibus. *Idem.*

CAP. 50 *Liberti et pauci ex clientibus Lentuli*] Sic Mss. Pall. non *libertini;* quomodo antea editi. Sub *libertis* alii isti comprehenduntur: et verosimilius est plus sategisse recentiore affectos beneficio. *Idem.*

Vicis] De vicis vide Onuphrium. Ex multiplicatis domibus fit vicus. Ex vicis urbs. Urbani autem vici a via dicuntur, teste Varrone, quod ex utraque parte viæ sunt ædificia. Vicus extra urbem pluribus connexis ædificiis pagus dicitur l. 198. de V. S.

Atque libertos suos, lectos, et exercitatos in audaciam, orabat uti, &c.] Hæc positura in nullis visitur Mss. in nullis patrum memoria cusis: omnes enim, *exercitatos, orabat in audaciam, uti:* quod velim excutiant quibus otium est. Nam mihi fere duæ illæ voces suspectæ fiunt, tanquam ab interprete; et hercle non comparent in Palatino codice, quem signavi nota undecimi. *Gruterus.*

Grege facto] Id est, multitudine facta. *Vall.* Sic Jugurth. 'Romani grege facto locum capere.' *Ciacc.*

Quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant] Sic Mss. antiquiores: alii, ut etiam Bongarsii, *qui in custodia traditi erant.* Pal. præterea quartus et undecimus præfert, *qui in custodiis traditi erant;* sextus vero, *quid de iis facere debeant qui in custodiis tenebantur;* duodecimus denique, *qui custodia traditi erant.* Quæ mira varietas coëgit, ut aliquando hariolarer, scriptum primitus Sallustio *quid de custodiis fieri placeat,* abactis ad corvos vid. verbis ceteris omnibus. *Custodias* enim significare ipsos qui sub custodia tenentur jam sæculum est quod docuerint Critici. Videantur Animadversiones nostræ in Senecæ Epistol. 70. *Gruterus.*

Qui in custodiam traditi erant] Tacitus Hist. 1. 'Quod reliquos cæsorum ad pontem Milvium et sævitia Galbæ in custodiam habitos, in numerum legionis composuerat.' Servius ad II. Æneid. 'Includuntur in carcere: et, includuntur in carcerem.' *Ciacconius.*

Sullanus] Nos, *Silanus,* ex vetustis lapidibus, item Dione, Plutarcho, et Appiano scripsimus: huic nupsit Servilia Catonis soror, M. Bruti mater: quare Cicero de Claris orat. eum scribit fuisse vitricum Bruti. *Castil.*

In sententiam Tiberii Neronis] Suetonius in Cæsare, ubi de Prætura ejus, aliquanto hæc variat. Nam periculum Cæsaris, quod ab equitibus imminebat, longe majus facit; verum et alia variat. Invenies enim in plerisque codicibus ejus, *L. Autronium*: non, *Publium.* 'Decium vero Sullanum' ait 'non piguisse sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipse sensisset exceptam.' Sallustius in Tiberii sententiam isse ait. *Glareanus.*

Quod de ea re, præsidiis additis, referendum esse censuerat] In Fabriciano ceterisque vetustioribus est, *præsidiis abditis:* quomodo interpres quoque. In iisdem, *referundum censuerat,* omisso illo verbo *esse,* quod nec Merseburgense volumen habet. *Rivius.*

Quod de ea re præsidiis abditis referendum censuerat] Ita etiam Pall. emaculatiores. Nam quart. *additis:* quint. *additus:* octav. *abdicatis:* quod ultimum arripuit editio Læti; antepenultimum vero ea priores. Ego me ex his non expedio; cum non satis subveniant Cicero, Plutarchus, Appianus, Suetonius, alii. *Gruterus.*

Abditis] Hoc optimis codd. attribuit Gruterus: alios *additis, additus, abdicatis* exhibere ait: nec sibi expeditum, quid voluerit auctor, cum non satis subveniant Cicero, Plutarchus, &c. Voluit autem non prius hanc relationem faciendam, quam consules jure SC. cujus supra meminit, militem conscripsissent, et statione armata curiam munivissent ob metum tumultus. Idque solitum fieri, testantur Clodius et Milo. de illo Cicero l. I. ad Atticum: 'Clamare præclari Areopagitæ se non esse venturos, nisi præsidio constituto.' De hoc Suetonius Julio: 'ut si privatus redisset, Milonis exemplo circumpositis armatis causam apud judices diceret:' non potuit igitur aliter scripsisse quam *additis.* Tacitus XVI. annal. 'Additum et præsidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque equitum alæ.' *Gronov.*

CAP. 51 *Omnis homines*] Existimat P. Victorius l. XXXI. Var. lect. c. 10. respexisse Sallust. ad orationem Cleonici apud Thucydidem: *μηδὲ τρίσι τοῖς ἀξυμφοροτάτοις, ἢ ὀργῇ, οἰκτῷ, καὶ ἡδονῇ λόγων καὶ ἐπιεικείᾳ ἁμαρτάνων.* *Ciacconius.*

Omnes homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet, &c.] Aristoteles rhet. lib. *Ὁ δ' ἐκκλησιαστὴς καὶ δικαστὴς ἤδη, ἐπὶ παρόντων καὶ ἀφωρισμένων κρίνουσι. πρὸς οὓς καὶ τὸ φιλεῖν ἤδη, καὶ τὸ μισεῖν, καὶ τὸ ἴδιον συμφέρον συνήρτηται πολλάκις· ὥστε μη-*

κέτι δύνασθαι θεωρεῖν ἱκανῶς τὸ ἀληθὲς, ἀλλ' ἐπισκοτεῖν τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ καὶ λυπηρόν. Et Demosthenes: ἐν τῷ περὶ ἐν Χεῤῥονήσῳ· Ἔδει μὲν τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν, &c. Item Thucydides l. III. in concione Diodoti: Νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε καὶ ὀργήν· ὧν τὸ μὲν μετὰ ἀνοίης φιλεῖ γίγνεσθαι, τὸ δὲ μετὰ ἀπαιδευσίας, καὶ βραχύτητος γνώμης. *Manutius.*

Neque quisquam omnium libidini simul et usui paruit] Alibi ita legitur: *neque hominum quisquam libidini simul et usui paret:* quæ lectio mihi non displicet: nec scire possum, quid variare voluerit, quisquis hæc nobis nuper emendavit. Idem paulo post conjunctivum *consuluerint*, mutavit in *consuluerunt*, præteritum indicativi. *Glareanus.*

Ubi intenderis ingenium, valet] Tacit. 'Languescet alioquin industria; intendetur socordia.' et Jugurth. 'Intendere officia,' dixit. *Ciacconius.*

Animus nihil valet] Hæc omnino inducenda esse me monuit amplissimus Jacobus Bongarsius, quod a Sallustiana brevitate aliena sit hæc infaceta repetitio, quam suspicionem auget Ms. in quo sic legitur: *animus: nihil valet, in faciendo rectum.* Putschius.

Magna mihi copia est memorandi] Sic Jugurth. 'quod per amicitiam maxima copia fallendi erat;' et, 'habere eum magnam copiam societatis.' *Ciacconius.*

Qui reges, aut qui populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerunt] Manuscripta *consuluerint:* quomodo et Latinitatis ratio postulat; nisi si quis ἑτέρωσιν esse modi velit. Sed et codex Badianus eodem modo habet, et ceteri vetustiores. *Rivius.*

Memorandi qui reges atque populi] Sic fere manu exarati, tempore antiquiores, nisi quod nonnulli eorum, *qui populi atque reges.* Antea vulgabatur superfluitate nimia, *memorandi, Patres conscripti, qui reges, aut qui populi.* Mallem adhuc, *qui reges, qui populi,* ut est in Pal. quarto: sed nec reticeo extare in Naz. a manu prima: *memorandi, quæ reges atque populi ira aut misericordia impulsi consuluerint:* sine vocula *male.* Gruterus.

Sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est] Fabricianum, *consultatum est:* sed dissentientibus fere ceteris. *Rivius.*

Bellis Punicis omnibus] Tria enim Romani cum Carthaginiensibus bella gesserunt. Primum bellum susceptum fuit, quia Messana, Siciliæ civitas pop. Rom. socia quereretur de impotentia Pœnorum: quare popul. Rom. Appio Claudio Cos. primum fretum ingressus est, fabulosis infame monstris, æstuque violentum: sed adeo non exterritus est, ut ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum regem tanta celeritate vicit, ut ipse ille se prius victum, quam hostem videre fateretur: et deinde Duillius consul in Sicilia adversus classem Pœnorum pugnavit, primusque Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob hanc causam ei perpetuus honos habitus, ut revertenti cœna tibicines canerent, et funale præferretur. Polyb. l. I. scribit, L. Lutatium consulem in Sicilia quoque pugnasse contra Carthaginienses, duce Amilcare, Carthaginiensiumque naves quinquaginta fractas vel submersas: septuaginta plenas captas fuisse, reliquas fugisse ferunt: e Carthaginiensibus vivi capti, præter eos qui inter certandum perierant, ultra decem millia hominum. Inde ab Lutatio cum Amilcare fœdus percussum est, de quo late Polybius eod. l. Duravit id bellum annos quatuor et viginti, quod et Livius l. IX. primæ Decadis testatur. Secundi vero belli Punici causa Annibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum transitus fuit,

a quo Saguntus sociorum popul. Rom. civitas, octavo mense capta est: de quibus injuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur, cum satisfacere nollent, bellum eis indictum est. Annibal superato Pyrenæo saltu per Gallias, fusis, qui obsistere ei conati erant, ad Alpes venit: et laborioso per eos transitu, cum montanos quoque Gallos obvios aliquot prœliis repulisset, descendit, ibique sexdecim annos contra Romanos prospere pugnavit: tandem a Scipione Africano, qui primus victæ a se gentis cognomen invenit, bello finis impositus est: de quo multa Livius, Plutarch. et Florus tradunt. Tertii Punici belli initium altero et sexcentesimo anno ab Urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatum omnino est: inter M. Porcium Catonem, et Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant, alter vir optimus a Senatu judicatus erat, diversis certatum est sententiis, Catone suadente bellum, et ut omnino deleretur Carthago, Nasica dissuadente: placuit nihilominus, eo quod contra fœdus naves haberent, et extra fines exercitum duxissent, quodque socio populi Romani et amico Massinissæ arma intulissent, et quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minime recepissent, bellum eis indici, priusquam ullæ copiæ in naves imponerentur. Uticenses legati Romam venerunt, se suaque dedentes: ea legatio veluti maximum belli omen grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Legati triginta Romam venerunt, per quos Carthaginienses se dedebant. Catonis sententia pervicit, ut decreto perstaretur, et ut Consules quamprimum proficiscerentur ad bellum. Macrino igitur consule, terra marique fervebat obsidio: operis portus nudatus: et primus sequens jam murus, tantum Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat, quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa respubl. finem belli reposcebat. Hunc Paulo Macedonico procreatum, Africani illius magni filium, in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos everteret. *Zanch.*

Cum sæpe Carthaginienses et in pace et per inducias] Perperam est in recentioribus alterum *et* omissum, non quidem ullo cum detrimento sensus, sed elegantiæ orationis tamen. *Rivius.*

Multa nefaria facinora fecissent] In Merseburgensi est, *nefanda:* sed eodem sensu. Est et apud Ciceronem 'nefandum scelus.' Idem alicubi 'scelus nefarium facere' dixit. Item, 'scelestum et nefarium facinus.' *Id.*

Nam si digna pœna pro factis eorum reperiretur, novum consilium approbo] Manuscripta, *reperitur*, indicandi modo, tempore præsenti: quo quidem et tempore et modo in statim subsequentibus cumque his cohærentibus utitur, *Sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, &c.* Idem.

Victis acciderent] Occidere victos passim jus belli appellatur. Alcon ad Saguntinos apud Livium: 'Sed hæc patienda censeo potius, quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra conjuges, ac liberos belli jure sinatis.' Et eleganter Cyprianus: 'Homicidium, cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publice geritur; impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.' Plus dicit Seneca: 'Quodcunque libuit facere, victori licet.' Quin et sacra, et profana eripere militare jus erat: Belli legem appellavit Cic. pro Servilio, et Plautus in Amphitr. 'Deduntque se, divina humanaque omnia.' Et de sacris profana facere posse JC.

innuit in l. inter stipul. §. sacrum. et l. continuus. §. cum quis. ff. de. V. O. In quantum cetera licita sint, id est, impunitatem habeant, vid. Grot. l. III. 4. et 5. de jur. bell.

Rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentum complexu: matres familiarum pati quæ victoribus collibuissent] Sic Cicero Fam. l. v. Ep. 10. 'Tot ingenuos, matresfamilias.' Et oratione III. in Antonium: 'Matresfamilias, virgines, pueri ingenui abripiuntur.' In Verrem quoque: 'Mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas.' *Manutius.*

Matresfamiliarum] Auctore Boëtio libro Commentariorum in Topica Ciceronis secundo, tribus modis uxor habebatur: usu, farre, coëmptione: sed confarreatio solis Pontificibus conveniebat. Quæ autem in viri manum coëmptione convenerant, hæ matresfamilias vocabantur: quæ vero usu vel farre, minime: coëmptio vero certis solennitatibus peragebatur: ut sese in communicando invicem interrogarent. Vir ita, An sibi mulier materfamilias esse vellet? respondebat, velle. Itaque mulier in viri manum conveniebat, et vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem: et erat mulier materfamil. viro loco filiæ. Quam solennitatem in suis institutis Ulpianus ponit: ex sententia vero Gellii, materfamilias appellata est ea, quæ in mariti manu mancipioque esset, quando non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui heredis locum venisset. Materfamilias non ante dicebatur, quam vir ejus paterfamilias hoc nomine dictus esset: nec possunt plures hoc nomine in una familia præter unam appellari: sed nec vidua, nec quæ sine filiis appellari potest. Fest. Matrona vero, ut obiter et id dicamus, dicta est, quæ in matrimonium cum viro convenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent: dictaque est non a matris nomine adepto jam, sed cum spe et omine mox adipiscendo: unde et ipsum matrimonium dicitur. Gellius. Festus ait: 'Matronas appellabant eas fere, quibus habendi stolas jus erat: et matronæ a magistratibus non submovebantur, ne pulsari, contrectarique viderentur, neve gravidæ concuterentur. Sed nec viri earum, sedentes cum uxoribus in vehiculo, descendere cogebantur.' *Zanchius.*

Compleri] Variant hic veteres libri, cum sic nonnulli, alii *impleri* habeant: et quanquam idem est utrobique sensus, prior tamen lectio verior: nam in Jugurthino: 'Luctu atque cæde omnia complentur.' D. quoque Augustinus, libro primo de Civitate Dei ad Marcellum, *Compleri*, non *Impleri* legit. *Popma.*

Scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accenderet] In vetustis, *accendet.* quomodo et Badianum exemplar. Quoddam e manuscriptis, *accendat*, ut δυνητικῶς ponatur, seu modo potentiali, ut vocant, pro *accendere possit.* Rivius.

D. Silanum virum fortem atque strenuum, certe scio, quæ dixerit, studio reip. dixisse] Volumen Fabricianum, *certo scio*, quomodo et Cicero ipse loquitur. nam is τῷ *certo* fere utitur, quoties quid sine dubio scire se significat. *Idem.*

Verum sententia ejus non videtur mihi crudelis (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena a rep. nostra videtur] Manuscripta, *Verum sententia ejus mihi non crudelis*, omisso verbo illo *videtur:* id quod brevitati Sallustianæ magis convenit: nam postea τὸ *videtur* sequitur. *Idem.*

Aliena a Rep.] Crimina nonnunquam impunita manere ipsius Reip. interest; majus aliquando periculum in pœna, quam in crimine. Suprema salutis publicæ lex esse debet. Nemo membra urit, secat, ut perniciem toti corpori inferat. Multi morbi qui-

ete sanantur, agitatione recrudescunt. Sæpe humores non movere purgando, via ad sanitatem est. Præcipue aliquando reos non punire Politicum est, si principem locum in Rep. teneant, magnas et validas clientelas habeant, inde metuenda sit præsens seditio. Heracleenses, ut Aristot. Polit. lib. v. tradidit, cum de crimine quodam pronunciassent, seditione ingenti tota concussa est Resp. Aliquando unius effusus sanguis sanguine totam regionem involvit. Satius itaque sæpe est crimina declinare, quam vindicare. Hippias, Themistocles apud Græcos, Coriolanus, Marius, Cinna, Cæsar, Antonius hostes appellati, vere hostes effecti sunt, maximumque postea Reip. intulere detrimentum. Ita autem absolvere, ut postea quis dolo perimatur, Politicæ considerationis est. *Thys.*

Te, Silane, Consulem designatum] Non video aut emphasin aut gratiam, in vocibus duabus postremis; si quis expungendas putaverit, ei accessero suffragator. *Gruterus.*

De timore, &c.] Cum duo proposuisset, metum et injuriam, et de metu dicere supervacaneum esse dixerit; aliam partem de injuria omisit, nisi librarii vicio deest, ut existimo. *Ciacc.*

Cum præsenti consilio] Ita emendavimus ex v. c. cum vix aliter constet sensus. Ita dictum ut Ciceroni: 'Hercules tantus ac tam præsens Deus.' Præsens est propitius. Varro rerum divinarum apud Servium: 'Juturna inter proprios Deos, nymphasque ponitur;' legendum, *inter propitios Deos. Propitios* idem quod *præsentes;* nam *proprios* apud Varronem nullum sensum habet, quod superiora Servii declarant. Dicta Juturna a juvando, ut idem Varro. 'Juturna nympha,' inquit, 'quæ juvaret; itaque multi ægroti, propter nomen, hinc aquam petere solent.' *Putsch.*

De pœna equidem possum dicere, id quod res habet] Ejice verbum *dicere;* quod nimis turbat elegantiam Sallustianam: præcessit enim, 'de timore supervacaneum est disserere.' *Putsch.*

De pœna, possumus equidem dicere, quod res habet]. Præstat istud longe lectioni nupere vulgatæ, *possum equidem dicere;* quæ et plus invidiæ habet, et minus auctoritatis: et vero, primam illam custodiunt Mss. pene omnes, editique ante Pomponium. *Gruterus.*

In luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curæ, neque gaudio locum esse] Idem supra: 'Miseriis suis remedium mortem exspectare.' Et in Jugurtha: 'Morte graviorem vitam exigere.' Cicero quoque l. IV. Ep. 13. 'Sæpius mihi veniebat in mentem, queri, quod ita viverem, quam gaudere quod viverem.' Et v. 15. 'In ea tempora nostra ætas incidit, ut cum maxime florere nos oportet, tum vivere etiam puderet.' Et VI. 3. 'Ita vivere, ut non sit vivendum, miserrimum est: mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem.' Et VII. 3. 'Ubi non sis qui fueris, non esse cur velis vivere.' Idem quoque oratione 4. in Catilinam: 'Mortem sapientes nunquam inviti, fortes etiam libentes appetiverunt.' Et Livius l. II. Dec. III. 'Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit.' De Græcis autem Euripides in Theseo: Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾶστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ. Et idem: τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται. Et Xenophon in Rep. Lacedæmoniorum: Ἄξιον δὲ τοῦ Λυκούργου καὶ τόδε, ἀγασθῆναι, τὸ κατεργάσασθαι ἐν τῇ πόλει, αἱρετώτερον εἶναι καλὸν θάνατον ἀντὶ τοῦ αἰσχροῦ βίου. Et Æschylus: Κρεῖσσον γὰρ εἰς ἅπαξ θανεῖν ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πασχεῖν κακῶς. Contra autem in Jugurtha: 'Queis,' inquit, 'turpis vita integra fama potior fuit.' *Manutius.*

An quia lex Porcia vetat, aut aliæ

leges? Item condemnatis civibus non animam eripi, &c.] Legendum ex antiquis, *An quia lex Porcia vetat? At aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti jubent.* Sic et manuscripta habent, et sensus ipse postulat, modo et sequentia spectes, et locum accurate totum excutias. *Rivius.*

Aut alias leges: item condemnatis civibus non animam] Hoc loco et incerta distinctio est, et quid hæc verba sibi velint, minus certum: tum quid ad hanc argumentationem faciant, haud equidem scio. Lector ipse judicet. Quidam putant, *aut aliæ leges,* interrogative legendum: ac deinde inferendum, *item condemnatis civibus, &c.* quod rursus de lege Porcia intelligi volunt, et de aliis item legibus. Statim post: 'Quid autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos?' Aldinus codex bis *aut* legit; *aut acerbum, aut nimis grave:* et *conjunctos,* pro *convictos:* quorum neutrum mihi placet. certe Gothi nostri codex habet, *convictos;* non *conjunctos.* Glareanus.

An quia lex Porcia vetat] Porciam legem designat, quæ ut ait Livius l. x. 'pro tergo civium Romanorum lata est.' De qua ita Cicero pro C. Rabirio: 'Porcia lex,' inquit, 'libertatem civium lictori eripuit.' In denariis autem argenteis Porciæ familiæ, quos P. Porcius Læca signavit, hujus legis symbola expressa sunt hæc. Vir togatus, sive ut in aliis, magistratus in sella sedens curuli, qui medius inter lictorem, et eum qui provocat, civis Romani libertatem lictori, ut inquit Cicero, eripit; cum hac inscriptione, Provoco. *Ursinus.*

At aliæ leges item, condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti jubent] Liber ille Polonicus, *sed in exsilium permitti jubent;* quomodo etiam Pal. quart. sext. nam tert. et nonus exhibent; hic quidem, *at aliæ leges item de condemnatis civibus vitam eripi, sed in exilium mitti jubent;* ille vero, *at aliæ leges in condemnatis civibus non animam eripi sed in exitium mitti jubent.* Vix fit mihi dubium quin revocandum sit, *non animam eripi, sed in exilium permitti jubent:* ut dudum prodidi in Suspicionum libellis. Adeantur Notæ nostræ ad Senecæ Epist. 113. ad Mart. l. x. Epigramma 12. tantum ambigo, an non præterea, ob varietatem membranarum, tolli possint illa *condemnatis civibus* ceu commentum interpretis; ut subintelligantur *conjurati.* Gruterus.

Sin quia levius est] Vox *quia* abundare videtur. *Ciacconius.*

Qui convenit in minori negotio legem timere, cum eam in majori neglexeris] In Mss. ceterisque vetustioribus est, *minore, majore:* id rectius esse puto. Quod in Merseburgensi *observare* legitur, ubi nos *timere,* librarii mendum esse suspicor. *Rivius.*

At enim quis reprehendet, id quod in parricidas reip. decretum erit] In nonnullis est, *reprehendat:* idque melius, ut mihi videtur pro, *reprehendere possit.* Perperam in Badiano, *At tu dices, quis reprehendet, &c.* τὸ *dices* in spatio forsan quod versus dirimit, adscripserat quispiam: id postea irrepsit in contextum, incuria, ni fallor, librarii. Legendum igitur ita uti hodie fere est in exemplaribus; ut sit hypophora, cui mox idem per anthypophoram: 'Tempus, dies: fortuna, cujus libido gentibus moderatur.' *Idem.*

At enim quis reprehendet] Ita Mss. auctoritatis certæ: non *reprehendat;* ut editio Læti. Nam prima *reprehendit id.* Gruterus.

Cujus libido gentibus moderatur] Sic in orat. de repub. ordinand. 'Per superbiam cunctis gentibus moderantur.' *Ciacconius.*

Quid in alios statuatis] Forte, *quid in illos.*

Omnia mala exempla ex rebus domesticis orta sunt] Repræsentavi lectio-

nem Com. mei nec non Pal. pr. sec. senectutis omnes non contemnendæ: alii quippe, *omnia mala exempla ex bonis rebus orta sunt*, quod etiam retinent edd. antiquæ usque ad Aldinam; in qua *ex bonis initiis orta sunt*. Non male, si liceret præter libros quidvis inducere scriptoribus. Mihi hic mussandum est, nisi velim prælatos antiquissimis tres ævi infimi Pallat. inquam octavum, nonum, et dec. in quib. diserte: *omnia mala exempla ex bonis orta sunt*: et vero si attendamus menti auctoris, lectio istorum verissima est. *Gruterus.*

Sed ubi imperium ad ignaros cives, aut minus bonos pervenit] *Cives*, non reperi in vetustis. In Fabriciano est, *ad ignaros ejus*, id est, *imperii*: nam hoc supra scriptum erat in spatio ipso quod versus dirimit. *Rivius.*

Sed ubi imperium ad ignaros] V. c. habet, *ignavos*. Et paulo post videtur legendum: *tabulas, vestes*, pro eo quod vulgo legitur, *tabulas vestras*. Nam paullo supra dixit: 'Nam uti quisque aut domum, aut villam, postremo vas, aut vestimentum alicujus concupiverat.' *Ursin.*

Ad ignaros aut minus bonos pervenit] Probe factum a Carrione, quod ejecerit vocem *cives*, quæ antea adhærebat illi, *ignaros*, in ed. Aldina et seqq. non etiam prioribus; in quibus non magis visitur quam in membranis nostris. *Gruterus.*

Lacedæmonii devictis Atheniens.] Vide Justinum libro quinto, cap. octavo, nono, et sequent. Seneca de Tranquillitate, 'triginta tyrannos' vocat. 'Poteratne' (inquit ibidem) 'illa civitas conquiescere, in qua tot Tyranni, tot Satellites erant, nec spes quidem ulla recipiendæ libertatis animis poterat offerri;' et in sequent. eosdem *dominos* indigetat. Agellius libro decimoseptimo, capite vigesimo primo: 'Ad annum conditæ urbis trecentesimum quadragesimum septimum, triginta illi tyranni præpositi sunt a Lacedæmoniis Atheniensibus.' *Putsch.*

Triginta viros] Id factum esse ad annum fere Urbis 347. Gellius tradit XVII. 21. *Ciacconius.*

Triginta viros] Quomodo eversa fuerit Democratia Atheniensium prolixe Lysias orat. contra Agoratum. Lacedæmonii victores pacem nolebant, nisi ad decem stadia muri Atheniensium diruerentur. Theramenes Lacedæmona missus fraudibus eo rem perduxit, ut universi muri longi subverterentur, naves traderentur Lacedæmoniis, Piræei quoque muri subruendi erant, Triginta viri instituti. Constitutis autem Triginta, statim de iis qui illorum machinationibus restiterant, sententia in senatu lata est: quamvis ex populo etiam bis mille suum tribunal, judicandique auctoritatem haberent. Judicii modus hic fuit: Triginta sedebant subselliis. Duæ autem mensæ ante ipsos erant collocatæ: non enim in urnas calculum, sed in mensam omnium conspectui mittere oportebat. Ita ex metu nemo habuit liberum judicium. Ut autem uno verbo dicam, quotquot ad senatum judicii causa vocati sunt, quo tempore qui Triginta imperabant, capitis omnes condemnati sunt præter unum Agoratum. Ipsis itaque initiis, secus atque Sallustius existimat, Triginta illi Remp. male administrarunt. Quam enormia postea eorundem crimina fuerint, ut ne majora fingi potuerint, vel oratione comprehendi, docet Lysias contra Eratosthenem. Privata simultas pro crimine erat. Locupletes cives occidebantur, ut opes eorum sibi vindicarent tyranni, pauperes duos cum divitibus prehenderunt, ne divitiarum causa fecisse viderentur; tota Resp. innocentium sanguine, tumultu, factionibus turbatur. *Thys.*

Qui remp. eorum tractarent] Sic et manuscriptum volumen. In impressis vetustioribus, non est *eorum*, ac omitti citra detrimentum sensus po-

test. *Rivius.*

Hi primo cœpere pessumum quemque] P. Victorius ex Xenophontis lib. de rebus Græciæ, sumtum docet, ἔπειτα πρῶτον μὲν, &c. *Ciacc.*

Ea populus lætari, et merito dicere fieri] Merseburgense, *ea re populus lætari:* sed perperam; nam nec aliter Priscianus citat quam habet vulgata lectio: quamvis non ignorem, hoc verbum pereleganter cum ablativo jungi. *Rivius.*

Juxta bonos et malos libidinose interficere] Quid si legas, *juxta bonos ac malos?* Ego tamen, dissentiente manuscripto nihil mutare ausim. *Idem.*

Stultæ lætitiæ graves pœnas dedit] Manuscriptum *graveis.* Idem.

Homines scelestos et factiosos] In impressis vetustioribus est illa *et* copula omissa; idque Sallustianum magis. *Idem.*

Postremo vas, aut vestimentum alicujus concupiverat] Manuscripta, *postremo aut vas, aut vestimentum;* geminata videlicet conjunctione disjunctiva. *Idem.*

Dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset] Manuscriptum, *uti is,* quomodo et alias fere. *Idem.*

Trudebantur] Tranquillus et alii *ducebantur* dicerent; nempe ad supplicium. *Ciacc.*

Quam Sulla omnes suos divitiis explevit] Legendum, *omneis suos,* ex vetustis. *Rivius.*

Arma atque tela militaria a Samnitibus] Hoc notatu dignum: nam non temere apud alios reperias auctores: nisi quis hunc locum corruptum putet, et pro *Samnitibus, Sabinis* legendum, aut alium quempiam populum, ab Roma non nimium distantem. *Glareanus.*

Tela militaria ab Samnitibus, &c.] Athenæus lib. vi. καὶ περὶ Σαμνίτων δὲ ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν. Vide et Livium l. i. de Magistratuum insignibus. *Manutius.*

A Samnitibus] Samnites sunt populi Italiæ, qui inter Picenum, Campaniam et Apuliam jacent. Sabinos cum Samnitibus forte confudit; nam e Sabinis originem trahunt Samnites. Hinc Strabo l. v. ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες, τούτων δ' ἄποικοι Σαμνῖται: id est, *Sabinorum antiquissima est gens et indigena; ab his originem duxere Samnites.* Varro de Lingua Latina l. vi. 'hoc enim a Sabinis orti Samnites tenuerunt.' Eidem et Sabelli Virgilio, Horatio, Livio, Plinioque dicuntur. *Thys.* Neque mirum est arma et tela militaria a Samnitibus sumpsisse, cum totius Italiæ fuerit bellicosissima natio. De qua Florus i. 16. 'Populus Romanus Samnites invasit, gentem, si opulentiam quæris, aureis atque argenteis ornatam armis, et discolori veste usque ad ambitum: si insidiarum fallaciam, saltibus fere et montium fraude grassantem: si rabiem et furorem, sacratis legibus humanisque hostiis in exitium urbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiorem. Hos tamen L. annis per Fabios et Papyrios patres eorumque liberos ita subegit Populus Romanus, ac domuit, ita ruinas ipsarum urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur.' Posterioribus quoque temporibus, bello sociali et in civili Mariano ingens eorum apparuit in arma ardor. Quod Strabo l. v. ostendit. Vide *Cluv.* Ital. iii. 8. Quin et ipsi Samnites ab hasta nomen accepere: Festus, 'Populis Samnitibus nomen impositum ait Verrius propter genus hastarum, quæ Saunia appellant Græci.' Paulus autem Diaconus ii. 20. Samia non Saunia hastas fuisse dictas scribit: 'quarta decima,' inquit, 'Samnium intra Campaniam et mare Adriaticum, Apuliam, a Piscaria incipiens habetur. In hac sunt urbes Theate, Aufidena, Hisernia, et antiquitate consumpta Samnium, et ipsa harum provinciarum caput ditissima Beneven-

tus.' Porro Samnites nomen accepere olim ab hastis, quas ferre solebant, quasque Græci Samia appellant. Ubi vides diversum sentire a Festo. Sane Samia magis Latina vox quam Græca videtur. Hinc *Samiare* antiquum verbum acuere, et *Samius* acutus. Tutius igitur est ex Festo restituere Diacono *Saunia*. Hesychius: σαυνίον, ἀκόντιον βαρβαρικὸν, quam lectionem Plinius confirmat III. 12. Samnitium, quos Sabellos et Græci Saunitas dixere. Corouidem faciat Livii locus de armis Samnitum: 'Samnites præter ceteros apparatus, ut acies sua fulgeret, novis armorum insignibus fecerunt. Duo exercitus erant, scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. Forma erat scuti, summum latius, qua pectus atque humeri teguntur fastigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis causa. Spongia pectori tegumentum, et sinistrum crus ocrea tectum, galeæ cristatæ.' *Col.* Hanc armaturam postmodum mutasse, Græcanicam autem assumpsisse magnus auctor Polyb. l. VI. testatur.

Tuscis] Codices in membrana descripti, *ab Tuscis*. Ciacc.

Tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est] Τὸ *legibus* in quibusdam non est; sed quia id codex habet Fabricianus, nihil immuto. Sæpe enim veteres antecedens repetunt, ipsique relativo adjungunt; id quod alias quoque est a nobis annotatum. Sed et *tum lex Porcia*, pro *tunc*, manuscriptum habet. *Rivius.*

Tum lex Porcia, aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exsilium, &c.] Nihil defuerit ad sensum, si inducerentur aliquot voces, fieretque, *tum lex Porcia, aliæque paratæ, quibus exsilium, &c.* Gruter.

Per municipia] Observa morem Populi Romani in reorum custodia. Nam quos in carcerem non conjiciebant, eos vel militibus vel fidejussoribus, vel etiam sibi committebant, ut ait l. I. ff. de Custod. reor. vel eos magistratibus custodiendos tradebant: vel per oppida Italiæ dividebant: cujus moris nobile exemplum in illis mille Achæis quos bello Persei confecto Romani in Italiam acciverunt. Quemadmodum autem ad magistratus, sive privatos fidejussores aut vades periculum ex evasione custodiarum spectavit, sic ad urbes sive municipia, quibus rei fuerant traditi, ita ut oppidani pro hostibus et perduellibus haberentur, sicuti a Dione observatum est. *Casaub.*

CAP. 52 *Ceteri verbo, alius alii varie assentiebantur*] In quibusdam antiquioribus est *assentiebant*, sed eodem sensu. Nam quamvis hodie fere *assentior* dicimus, veteres tamen et *assentio* dicebant, ut est a Gellio annotatum; sed et Cicero sæpe est hac terminatione usus. Diomedes tamen *assentiebantur* hic legit lib. I. quo loco testatur non *assentio* solum, sed et *assentior* dici. *Rivius.*

Alius alii varie assentiebantur] Viri docti mendosum hunc locum putant. Ego in tanta codicum convenientia, insuper accedente Diomedis accuratissimi scriptoris auctoritate nihil quicquam mutandum duxerim. Plures dixisse sententiam, quam hic a Crispo commemorantur, docet Tullius lib. duodecimo, Epistola ad Atticum XXII. et Flavius Vopiscus in Aureliano. Itaque vult Sallustius propter varias sententias, varium variorum fuisse assensum. *Putsch.*

Longe mihi alia mens est, P. C. cum, &c. et cum, &c.] Demosthenes Olynthiaca tertia: Οὐχὶ ταυτὰ παρίσταταί μοι γινώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν εἰς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω, τοὺς μὲν γὰρ, &c.

Et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo] Duo e manuscriptis, *mecum ipse repeto*: nec aliter Florentinum. *Rivius.*

Atque focis suis] Domibus suis: *focus* enim proprie locus est, ubi ignis servaretur: et Diis Penatibus sacer erat. Unde Cato in libro de Re Rustica ait: 'Focum purum circum versum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat: Calendis nonis festus dies cum erit, coronam in focum indat:' per eos itaque dies Lari familiari pro copia supplicet: nam Lar est ipse focus. *Zanch.*

Focis] Lares focis præerant; Lar autem sive Lars est Hetrusca vox et Principem denotat. Ausonius: 'Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.' Quia autem antiquissimis temporibus in ædibus defuncti sepeliebantur, hinc et pro Diis familiaribus culti. Hinc et Latrones, Larunes, Arunes, et in pejorem postmodum partem latrones. Vide Gesner. Mithridat.

Nam cetera maleficia] Ita libri vetustatis minimæ; nam mediæ, *maledicta;* supremæ, *malefacta;* quomodo etiam editio prima. *Gruter.*

Tabulas vestras] Supra: 'nam uti quisque aut domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicujus occupaverat.' *Ciaccon.*

Non nunc agitur de vectigalibus, neque de sociorum injuriis] Codex Fabricianus, *non de sociorum injuriis:* id quod et acrius est et lepidius eodem modo ex impressis quidam. *Rivius.*

Multosque mortales ob eam caussam adversus habeo] In Mss. est, ut et impressis vetustioribus, *multosque mortaleis ea caussa, &c.* pro, ob eam caussam; quomodo Terent. 'Nec tu ea caussa, minueris hæc quæ facis.' Idem, 'Et ea me hic restitisse gratia;' pro ejus rei gratia. *Idem.*

Nullius unquam delicti gratiam fecissem] Sic Jugurth. 'Ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit:' et l. IV. Histor. 'Post reditum eorum quibus Senatus belli Lepidiani gratiam fecerat.' *Ciaccon.*

Negligentiam tolerabat] Id est, patiebatur nos erga Rempub. negligentes esse: quia illius opes negligentiam nostram superabant. *Zanch.*

Sed hæc, cujuscumque modi videntur] In manuscripto quodam est, *sed cujus hæc cumque modi videntur;* ut sit τμῆσις, quomodo et exemplar habet Beroaldinum. *Rivius.*

Vera rerum vocabula amisimus] Thucyd. l. III. καὶ τὴν εἰωθυῖαν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει, &c. *Manut.*

Sint misericordes in furibus ærarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur] Etsi hæc est vulgata, receptaque lectio, multorum quoque veterum codicum auctoritate comprobata; non celabo tamen perantiqui cujusdam libri scripturam: *Sint misericordes in furibus ærarii; caveant, ne illis sit periculum, dum sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis scelestis parcunt, bonos omnes perditum eant.* Popma.

Ne illis sanguinem nostrum largiantur] Sic vetustior editio, sic Mss. consensus; non *illi,* quod occupat jam omnes codices, ex quo suum extrusit Aldus senior; haud tamen vere. *Gruter.*

Sanguinem nostrum] Id est, vitam nostram: nam anima hominis in sanguine esse nonnullis creditur. Ita Empedocles et Critias censebant animam esse cordi suffusum sanguinem, quasi animæ essentia sit sanguis ipse, quod falsum. Ita tamen et loquitur nobilissimus Poëta, cum dicit: 'Purpuream vomit ille animam.' Quanquam et illud defendi potest, *animam* dixisse pro *sanguine* summum Poëtam; nam ubi corpus sanguinis ministerio destitutum est, anima foras erumpere, suumque involucrum deserere cogitur. Quod autem nonnulli crediderunt, sanguinem esse ipsam animam, hinc polluere ora cruore illicitum crediderunt, unde Pythagoras apud Ovid. conqueritur: 'At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen, Fœtibus arboreis et quas humus edu-

cat herbis, Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.' Atque eadem inculcant Porphyrius et Plutarch. Ratione mystica quoque esus sanguinis Judæis prohibitus fuit. *Thys.*

Paullo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit] *In hoc ordine*, non est in impressis quibusdam, licet in manuscripto sit. *Rivius.*

Falsa existumans] Cato rigidæ virtutis exemplar meliorum Philosophorum sententiam amplexus est, animi immortalitatem, et post mortem cœlestia gaudia vel inferorum supplicia esse. Egregie Seneca: 'tunc animus noster habebit, quod gratuletur sibi, cum emissus tenebris, quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, et redditus cœlo fuerit, cum receperit locum, quem occupavit sorte nascendi: sursum illum vocant initia sua.' In eadem sententia fuere Thales Milesius, qui animum *φύσιν ἀεικίνητον ἢ αὐτοκίνητον*, naturam semper aut per se mobilem definiit, et antiquissimus Philosophus Pherecydes, atque ejus discipulus Pythagoras, et divinus ille Plato in Phædone inquit: *καὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι, καὶ ἐκ τῶν τεθνεότων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι, καὶ τὰς τῶν τεθνεότων ψυχὰς εἶναι, καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς ἄμεινον εἶναι, ταῖς κακαῖς κάκιον.* Id est, *Et reviviscere homines, atque ex mortuis viventes fieri; mortuorumque animas superesse, atque bonis quidem melius, malis vero deterius esse.* Et antiquissima magorum sententia et revicturos homines et immortales fore adstruit, ut testatur Diog. Laërt. Immortalitatis patroni plurimi occurrunt apud veteres Ethnicos Historicos, Oratores, et Poëtas. Tacite itaque carpendo Cæsarem, invidiam illi creat Cato. *Thys.*

Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint] In Fabriciano omissa illa *et* copula *non per totam Italiam*, legitur, quamvis secus in aliis. *Rivius.*

Ubi ad defendendum opes] Nazaria. prius habuit, *defendendam*, ut referatur ad *audaciam*, nec male; *ut defendere* notet *prohibere*. Gruter.

Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus] Volumen Fabricianum, *Si ita esset;* nec additur ibi *res.* Atque hoc modo etiam Aur. Augustinus in v. de Civitate Dei citat; utrumque autem recte dicitur, *sic est*, et *sic res est*, *οὕτως ἔχει*, et utroque Terentius in Andria utitur. *Rivius.*

Industria] Donatus *industriam* interpretatur scientiam et providentiam. Est autem *industria*, ingenium sive vis, qua ad aliquid struendum sumus idonei. *Zanch.*

Publice egestatem] Idem queritur Cicero de Haruspicum responsis: 'ærarium nullum est: vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt: auctoritas Principum cecidit: consensus ordinum divulsus: judicia perierunt: suffragia districta tenentur a paucis.' Publicam egestatem et privatam opulentiam tanquam periculosam Reipub. improbat quoque Thucydides l. XII.

Inter bonos et malos nullum discrimen est] In manuscriptis, *discrimen nullum*, omisso verbo substantivo. Nec aliter Augustinus v. de Civitate Dei, c. 12. *Rivius.*

Separatim] Ubi non in commune consulitis, sed privatim sibi quisque providet. *Vall.*

Separatim] Hoc mali civis indicium statuit Hala Servilius Tribunus militum apud Livium l. IV. Indicia sunt factionis ista, respectusque rerum privatarum, quæ ut apud eundem l. II. Appius dicit, semper offecere, officientque publicis consiliis. Inde discordia, et porro Rerumpubl. interitus: et, ut eleganter eodem libro, Livius loquitur: 'Id unum venenum, ea lues civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia essent.' *Grasw.*

Nobilissumi] Quasi dicat: si homines humilis conditionis hoc fecissent, fortasse veniam dandam esse censerent. *Vall.*

Nobilissumi] Nobilitate crimina augentur, si tale sit crimen, quod extinguit splendorem sanguinis, et maximum Reipub. adfert detrimentum. Unde alibi Cæsares Valentinianus et Theodosius l. un. Cod. de conductor. lib. II. 'Gravior,' inquiunt, 'pœna constituenda in hos, qui nostri juris sunt, et nostra debent custodire præcepta.' Et alibi Theodosius, multo majore pœna eos esse dignos dixit, quibus plurimum honoris delatum sit. Ordinaria alioqui crimina in nobilibus mitius puniebantur apud Romanos. Quod apparet ex l. IX. §. istæ fere l. XV. l. XXVIII. §. non omnes et §. generaliter l. XXXVIII. §. actores et §. seq. l. ult. §. I. ff. de Pœnis; aliisque multis in locis. Atque in pœnis proportionem Geometricam servari oportere, magnus ille sapientiæ dictator Aristoteles asseruit, atque adeo proportionem harmonicam excogitavit Bodin. lib. VI. de Rep. quanquam et hic simplex et qualis in numero æqualitas dici potest ut loquitur Grotius, meriti ad pœnam, sicuti in contractibus mercis ad nummos, quanquam alibi merx eadem plus, alibi minus valet, itemque nummi. *Thys.*

Gallorum gentem infestissimam Romano nomini ad bellum accersunt] Codices in pergamenis descripti, *nomini Romano:* ac sic rectius legitur. Sed et *accersiunt* ibidem, non *accersunt;* quamvis eodem sensu. *Rivius.*

Gallorum gentem infestissimam Romano nomini] Nam et Livius ait: 'Unam sibi spem reliquam in Hetruscis restare, scire gentem opulentissimam armis, viris, pecunia esse: habere accolas Gallos, inter ferrum et arma natos, feroces cum suopte ingenio, tum adversus populum Rom., quem captum a se auroque redemptum haud vana jactantes memorant.' Ita ille. Galli enim bellicosissimi erant, et ob id imperatores Romani, eos refutandos potius, quam bello lacessendos censebant, ut scribit Cicero. *Zanch.*

Supra caput est] Imminet cervicibus nostris: nam in Hetruria erat. *Idem.*

Vos cunctamini etiam nunc et dubitatis quid intra mœnia] Tres libri melius, *Vos cunctamini etiam nunc quid intra m.* Infra: 'De crudelissimis parricidis, quid statuatis cunctamini.' *Putsch.*

Vos cunctamini etiam nunc, quid intra mœnia, deprehensis hostibus, faciatis] Secutus sum Commel. ac Pal. sec. et tert. quibus nullum vestigium illius, *et dubitatis,* quod nupere natum est. Nam edd. priscæ, ut et omn. fere Mss. *vos cunctamini etiam nunc dubitatis,* sine copula: ceterum fere etiam recepissem, *apprehensis,* quod erat in Commel. et Naz. loco *deprehensis.* Gruter.

Mœnia] Pro muris accipi solent et pro ædificiis ipsius Urbis. *Mœnia* a mœniendo; id est, ut nunc loquimur, a muniendo dicta. Ita Plautus dixit in Captiv. *circummœniti.* Et *mœne* singulari numero apud Ennium. Atque *munus* hinc proprie dictum, onus muris reficiendis, ubi primum unum in locum convenissent, ad oppidum.

Misereamini censeo, deliquere homines adolescentuli per ambitionem] Sic et manuscriptum et alia fere. Sed Merseburgense et Schurrerianum, *Misereamini.* Perperam videlicet: τὸ *censeo,* hic ad ironiam facit; neque enim hoc vult Cato, misericordiam esse deprehensis intra mœnia hostibus impertiendam, sed graviter in eos animadvertendum et severe vindicandum. Propterea et ironicam extenuationem criminis addit, quo nullum atrocius esse poterat. *Rivius.*

Næ ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam

convertetur] Hic exemplar Fabricianum *in miseriam vertet*. Idque cum verius multo, tum elegantius, pro, *vertetur* et *commutabitur*. Tacitus, 'Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.' Idem, 'Seu temere lapsa vox in præsagium vertit.' Livius, 'Verteratque Scipionum invidia in prætorem.' Idem, 'In perniciem adolescenti verterunt.' Sic Cn. Vellejus in annalibus apud Gellium, 'Postquam tempestas sedavit,' inquit pro *sedata est*. Pro passivo enim activum posuit: et Varro apud eundem, 'In priore verbo graves prosodiæ quæ fuere manent: reliquæ mutant,' inquit, pro, *mutantur*. Livius IX. Dec. IV. 'Mores quidem populi R. quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit.' Idem VIII. belli Punici II. 'Non septies die, sicuti fama fert, temporibus statutis reciprocat:' pro, *reciprocatur*. Suetonius, 'Quoties terra in urbe movisset,' pro, *mota fuisset*. Talia apud Virgilium, 'Nox humida cœlo præcipitat:' et 'Ingeminant Austri:' pro, *præcipitatur*, *ingeminantur*. Nisi quis ellipsin malit pronominis *se*, quomodo, ni fallor, in illo, 'Accingunt omnes operi:' et, 'Tum prora avertit.' Livius II. ab U. C. 'Sicuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora, præcipitavere in insidias:' hic *præcipitare* passive positum videtur. Quamvis Hadrianus fere semper veteres ita fuisse locutos adnotavit, maxime quoties de sideribus aut temporibus mentio incideret. Cæsar, 'Hiems jam præcipitaverat,' inquit. Est et apud Ciceronem, 'Sol jam præcipitans.' Sed et aliis de rebus loquentes hoc verbo in hunc modum utimur: ut Cicero, 'Fibrenus ex eo loco præcipitat in Lirem:' et, 'Loca ubi Nilus præcipitat ex altissimis montibus.' Idem, 'Præcipitantem igitur impellamus, et perditum prosternamus.' Sic apud eundem, 'Præcipitantem retinere, præcipitanti reip. subvenire,' &c. Quæ omnia passive intelligenda esse vides. Sed ad institutum. Est in quibusdam perperam, *Vereor ne ista mansuetudo, &c.* qua in re lapsus est Felicius quoque Durantinus. Nam ut exemplarium consensum omittam, Donatus in Andriam hunc locum ita citat, ut nunc vulgo legitur. Est autem *Næ* diphthongo scribendum, idemque omnino est quod Latinis *profecto*, et illa jurandi particula *Mediusfidius*. Cicero, 'Næ isti vehementer errant.' Idem, 'Næ tu, si id fecisses, melius famæ tuæ consuluisses.' Interdum idem conjungit *Næ* et *Mediusfidius*, velut ad Atticum alicubi, et in quæstionibus Tusculanis. *Idem.*

In maximis sæpe periculis] Scilicet, quæ ex omnibus bellis Gallicis, Punicis extiterunt maxima. *Zanch.*

Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur] Sic in orat. Lepidi, 'Non prolatandum neque votis paranda auxilia.' Supplicia autem, pro supplicationibus posuit Tacitus. *Ciaccon.*

Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur] *Supplicia* hic pro *hostiis et sacrificiis*, sive *supplicationibus* Sallustius posuit, ut Tacitus l. III. cum dixit: 'Sed tunc supplicia Diis, ludique magni a Senatu decernuntur:' et supra ipse Sallustius: 'In suppliciis Deorum magnifici.' Eadem sententia usus est in oratione Lepidi, cum ait: 'Non prolatandum, neque votis paranda auxilia.' Videndus Festus in *Supplicia*. Ursin.

Votis] Solebant veteres vota jam suscepta scriptis subsignatisque tabulis confirmare, atque ipsas sæpe tabulas Deorum, quibus voverant, genibus cera affigere. Unde Juvenalis Sat. x. 'Ergo supervacua, aut perniciosa petuntur, Propter quæ fas est genua incerare Deorum.' Plinius Epistola ad Trajanum: 'Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, et suscepimus

Domine, et solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.' Adde tot veterum Numismatum inscriptiones. VOTA PVBLICA, VOTA SVSCEPTA, VOTA SOLVTA. *Torrent.* Solennia autem Vota Publica in Capitolio concipiebantur. Unde Florens Tertullianus de Corona, 'Annua votorum nuncupatio quid videtur, prima in Principiis, secunda in Capitoliis, accipe post loca et verba, hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.' Et Suet. in Nerone c. 46. 'votorum nuncupatione magna jam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claves.' Votis quoque caput obligare dixit Horatius, sed ibi pro devotione atque imprecatione magica sumitur. Ita et Virgilius dixit: 'Colchiacis animum defigere votis.'

Suppliciis] Id est, precibus in Deos immortales. Supplices velatis manibus incedere moris erat. Hinc Plaut. 'Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes Principes, velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.' Sicuti et genua tum Deorum, tum mortalium supplices attingere moris erat, ut testatur Plin. II. 45. Vide Hadr. Junium Animadv. II. 11. In cultu autem divino aut ora Deorum osculabantur, ut testatur Cic. in Verrem lib. V. quod tamen rarius contigit, aut eorum dextras. Hinc Lucretius: 'tum portas propter, aëna Signa; manus dextras ostendunt attenuari Sæpe salutantum tactu præterque meantum.' Aut denique ipsos pedes. Apulejus: 'Exosculatis vestigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad suos discedunt Lares. Verum quia verebantur plerumque Deos ipsos profano ore suo tangere, sæpe etiam eminus osculabantur porrecta manu, quam verenter ad os suum referebant et suaviabantur.' Hieronymus in Rufinum: 'qui adorant, solent deosculari manum, et capita submittere.' Idem et Orienti in usu. Unde Job. cap. 31. vs. 26. 'Si vidi solem, cum fulgeret, et Lunam incedentem claram, et osculatus sum manum meam ore meo:' id est, si Lunam aut Solem adoravi. Hinc et formatum adorandi verbum, quia manum ad ora admovebant; non ab ador, quod frumenti genus est, ut censet Grammaticorum vulgus. Ita autem admovebant oribus suis dextras, primo digito in erectum pollicem residente, ut expressit Apulejus lib. V. Milesiarum. Frontem quoque aliquando tangebant precantes, unde Servius: 'auris Memoriæ sacra, frons Genio; atque hinc venerantes Deum, tangimus frontem.' Oscula quoque januis et postibus templorum impertiebantur: unde Tibullus: 'Non ego si merui, dubitem procumbere templis, Et dare sacratis oscula liminibus.' Quin et crinibus passis templa verrebant in suppliciis. Livius lib. III. 'stratæ passim matres templa verrentes, veniam irarum cœlestium exposcunt.' Ita Polybius, Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum, Apulejus, Lucanus, aliique locuti sunt. *Lips.*

Vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ tete, &c.] Cicero sic de Finibus, l. III. 'Minime convenit, cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus, postulare ut Diis immortalibus cari simus, et ab his diligamur.' Et Metellus in oratione de ducendis uxoribus apud Gellium I. 6. 'Quid nos a Diis immortalibus diutius exspectemus, nisi malis rationibus finem facimus?' Item Euripides in Electra: Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα, Βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου. Et Demosthenes Olynth. II. Οὐκ ἔνι δ' αὖ τὸν ἀργοῦντα, οὐδὲ φίλοις ἐπιτάττειν ἅπερ αὐτοῦ τι ποιεῖν, μέγιστα δὴ τοῖς θεοῖς. *Manutius.*

Vigilando, agendo, bene consulendo] Sic quidem omnes habent codices prælo excusi. Perantiquus liber: *Vigilando, agendo, bene operando, vel*

consulendo. Si mihi tamen quod sentio, dicere liceat, puto hæc verba, *vel consulendo*, aliunde in textum orationis irrepsisse: cujus meæ suspicionis ea est ratio, quod in antiquo libro, *bene operando, vel consulendo*, scriptum inveni. Nam cum agendi duo possint esse actus, operari videlicet, et consulere, hæc primo in ora libri scripta fuerunt, eaque deinde scriptor librarius in contextum recepit. Huc etiam accedit, quod Servius verba illa, *bene consulendo* omiserit: ita enim hunc locum profert: *Non votis, neque suppliciis muliebribus Deorum auxilia comparantur: vigilando, laborando, prospere omnia cedunt. Ubi socordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores.* Popma.

Ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores] Servius in Georg. III. sic citat: *Ubi socordiæ tete, &c.* quod ut mihi quidem valde placet, sic nullo in exemplari, quod sciam, reperitur. *Rivius.*

Socordiæ] *Socors* dicitur quasi sine corde. Credebant enim plurimi ex antiquis cor rationis fontem esse. Unde Cicero Tuscul. I. 'Aliis cor ipsum anima videtur; ex quo excordes, vecordes, concordesque appellantur.' Neque vero hic vulgaris error, sed ipse Hippocrates lib. de corde ita loquitur: *γνώμη τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, καὶ ἄρχει τῆς ἄλλης ψυχῆς.* Id est, *mens hominis in sinistro cordis ventriculo sita est, ac reliquæ animæ imperat ac præest.* quanquam auctor l. de morbo sacro, qui et Hippocrati ascribitur, rectius cerebro sapientiam tribuat. Etiam Chrysippus inter Stoicos maximi nominis, in lib., quem de Anima scripserat, principatum cordi tribuit. Cor esse facultatum animæ principium non male dicitur, nec absque ratione Aristoteles etiam III. 10. de Part. anim. cordi prudentiam tribuit. Et Ciceroni l. II. de Fin. cor sapere dicitur. Quicquid sit, tum eruditorum, tum vulgi hæc fuit antiqua opinio. Unde Ennius: 'Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.'

A. Manlius] Legendum *T. Manlius*, vel erravit Sallustius memoriæ vitio. Non enim huic *Aulo*, sed *Tito* prænomen fuit: quod et Fasti Capitolini et Livius l. VII. et VIII. Ciceroque de offic. l. III. et alii multi docent. Gellius IX. 7. de viris illustribus, c. 38. Eutropius l. II. Cassiodorus, Diodorus Siculus l. XVI. *Manutius.*

Aulus Manlius Torquatus] Sic omnibus literarum apicibus expressum in vett. Mss. antiquiores etiam aliis locis perpetuo nobis exhibent *Manlium*, non *Mallium*, quod nonnulli temere propugnant. Naz. loco *Aulus*, ridicule habet *Saulus.* Grut. Val. Maximus l. II. de disciplina militari, de utroque eandem scribit historiam. *Glar.*

Torquatus] *Torquatus* dicitur a *torque*, quo usus est quidam Gallus, quem ipse singulari certamine interfecit, et sibi assumpsit.

Bello Gallico] Et hoc contra testimonium Livii l. VIII. Valerii II. 2. et aliorum: nam *contra Latinos* Bellum gerebatur, non *contra Gallos*, cum filium Torquatus securi percuti jussit. Plutarchus item in parallelis a Torquato *contra Samnites* hoc anno pugnatum scripsit contra historiæ fidem: nam ut dixi, *cum Latinis*, non *cum Gallis*, aut *cum Samnitibus*, pugnatum est. Et Dionysius Antiquitatum lib. VIII. idem, quod Sallustius, tradit. *Manutius.*

Bello Gallico] Livius, Gellius, Valerius, Auctor de Viris illust. Orosius III. 9. et Florus I. 14. scribunt, Manlium bello Latino securi filium percussisse. Dionysius tamen Antiq. l. VIII. facit cum Sallustio; bello enim Gallico id factum asserit. Illud notandum, quod Frontinus Strat. lib. IV. huic Manlio postea Imperioso cognomen fuisse tradit. At Seneca de Beneficiis III. 37. item Livius l. VII. ab Urbe condita ajunt, L. Man-

lium patrem hujus ab ostentatione sævitiæ, sibi Imperiosi cognomen adscivisse, et ut Diodorum Siculum missum faciamus, qui idem sentire videtur: fragmenta etiam vetustissimorum marmorum, quæ Romæ paucis abhinc annis effossa sunt, satis indicant, primum L. Manlium hujus patrem Imperiosum cognominatum. *Castil.*

Contra imperium] Extra ordinem sine supremi magistratus jussu manus cum hoste conserere illicitum: T. Manlius Torquatus filium suum, quod sine ejus jussu in certamen venisset cum Geminio Metio Duce Tusculanorum, vita privavit, ut in ceteris confirmaret imperium. Neque ingenita charitas liberorum, non tam arcta sanguinis necessitudo, non flos primæ ætatis, non denique virtutis grande testimonium a tam atroci exemplo patrem deterruit. Neque, mirum dictu, ut Frontinus commemorat, ipse filius tam rigidæ disciplinæ restitit, verum cum pro eo intercederet militaris pubes, seditionum tubam accenderet, negavit se tanti esse, ut propter se disciplina vetus Romanorum corrumperetur, obtinuitque tandem, ut mortis pœna beneficii loco sibi infligi posset. Idem Posthumium Tiburtum in filium eadem de causa factitasse legimus. Et quid Fabius? Fusis Samnitibus, parta victoria vix Papyrii Dictatoris manus evasit, nisi populus precibus idem efflagitasset, pater et adolescens ad genua Dictatoris procubuissent. Et vicit tamen imperii majestas; noxæ enim damnatus, concessus est populi Rom. precibus. Stesimbrotus cum contra Lacedæmonios feliciter pugnasset, victoriæ præmium coronam filio Epaminondas concessit, spreti imperii gladium, quo cervicem tam propinqui sanguinis amputavit. Mandati causa potior est rebus gestis. Præstat patrem filio orbari, quam patriam disciplina militari. Victoriam quis Imperatoris injussu obtinuit? Major victoria seipsum vincere, neque in pugnam prorumpere, ubi pugnandum non est. Et quid si victus fuisset? Incerta, vitrea est cruenti Martis alea, et quæ tum sæpe, cum maxime splendet, exiguo negotio frangitur. Præstat victum esse, quam victorem, modo anima Reip. constet, disciplina militaris; qua polluta, cuncta militaria officia turbantur, idem Ducis militisque munus erit. *Thys.*

Cethegi adolescentiæ] Hunc enim Cethegum Plutarch. in Luculli vita scribit obscœna vita, libidinum, flagitiorum, vitiorum, scelerum plenum fuisse. *Zanch.*

Nisi iterum jam patriæ bellum fecit] In Mss. est, *nisi alterum jam patriæ, &c.* sensu tamen eodem; quod in quibusdam *intulit* legitur, id ex glossa irrepsisse suspicor. *Rivius.*

Patriæ bellum] Hic enim Cethegus (ni fallor) Marianas partes secutus cum Mario, Cinna, et aliis urbem obsedit: ut leges apud Appianum bellorum Civilium libro primo: postea tamen urbe pulsus ad Sullam confugit. Nec illud nos perturbare debet, quod hic Cethegus conjurationis tempore dicatur adolescens, cum Cicero in oratione pro Mil. scribat Domitium jam ab adolescentia documenta maxima dedisse, quam contemneret populares insanias, significans (ut exponit Ascon.) constantiam Domitii, quam in prætura præstitit. Quo vero ætatis anno prætores per leges fieri possent, jam satis notum. *Cast.*

Nisi iterum jam bellum fecit] Arbitror enim, Sallustium his verbis innuere, hunc fuisse in conjuratione, quæ facta fuit cum Pisone adolescente, in qua magnum contra patriam parabatur periculum. *Zanch.*

Pensi] Vide supra Bell. Cat. c. 12.

Facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis] Ita codices in membrana descripti: perperam in

Gymnico et aliis *verba mea:* nam *verba* in genere opponit ipsi rei. Sed et Badianum exemplar sic habet, et Beroaldinum. *Rivius.*

Catilina cum exercitu in faucibus urget] Risum hoc loco moverunt mihi jejuni illi Commentatores in hunc auctorem: quorum alius exponit *in faucibus;* scilicet, *ad devorandum:* alius, *in faucibus,* id est, *introitu civitatis:* tertius, *in faucibus Italiæ,* id est, *in Alpibus.* Ceterum non omnes codices habent *Italiæ:* ideoque malim, quando hoc tempore Catilina cum exercitu in Hetruria erat, exponere, *in faucibus Apennini,* quæ ipsæ tamen sunt Italiæ. *Glareanus.*

Parari, neque consuli] Nam si quid occulte facere voluerimus, continuo conjuratores in urbe sunt, qui consilia nostra palam faciant Catilinæ. *Vall.*

Quare ita censeo] In manuscriptis additur *ego,* haud male, ut opinor. *Rivius.*

Quare ita censeo] Mss. plerique, ut et vett. edd. adtexto pronomine, *censeo ego;* glossemate manifestario: ne quis forte loco medendum censeat, transpositu, *quare ita ego censeo.* Grut.

Nefario consilio] Pedianus: 'Nefandum,' inquit, 'est, non fandum: nefarium, quod polluit sacra, farre pio solita celebrari. ergo nefarii, sacrilegi.' *Zanch.*

Cædem, incendia, aliaque se fœda atque crudelia, &c.] In Mss. est, *aliaque fœda,* omisso pronomine *se,* idque melius. *Rivius.*

De confessis] Non opus est hic ex jure civili in eam rem leges concumulare. Notum est enim, quod is qui crimen in judicio interrogatus fatetur, pro convicto habeatur, nisi non appareat crimen, quod reus confessus est. Atque ita intelligo Divi Severi rescriptum, in l. 1. §. D. Severus. ff. de Quæst. quo prohibemur confessiones reorum pro exploratis facinoribus habere. Hic vero conjurati non solum confessi erant, sed et certissimis indiciis convicti.

More majorum] Antequam lex Porcia ferretur: nam lex fuit, ut cives qui contra rempub. quicquam patravissent, capite punirentur: sicut Brutus duos filios virgis cædi, et securi percuti jussit, quod consilia prodendæ urbis sumpserant. Valerius v. 8. de severitate parentum in liberos: 'Brutus quoque gloria par Romulo (quia ille urbem, hic libertatem Rom. condidit) filios suos dominationem Tarquinii a se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, et ad palum religatos, securi percuti jussit: et pater, ut consulem ageret, orbus vivere, quam publicæ vindictæ deesse maluit.' *Vall.*

CAP. 53 *Senatus decretum fit, sicut ille censuerat*] Exemplar Fabricianum, *sicuti ille censuerat:* sed et erasa ibi cultello erat ultima in *senat;* ut suspicer ibi fuisse *senati decretum:* quomodo et alias fere Sallustius. Priscianus quidem certe hic legit, *senati,* ut sit genitivus antiquus. Eodem modo Donatus in Hecyram Terentii, ubi adnotat veteres *tumulti* et *senati* dicere solitos. Sic supra Sallustius: 'Igitur senati decreto Q. Marcius Rex,' &c. pro *senatus decreto,* quod ipsum et Nonius observavit. Illud hic obiter addam ex Cicerone ad Atticum, non dixisse Catonem primum sententiam de animadversione, sed omnes ante eum præter Cæsarem. Cur ergo in sententiam Catonis? 'Quia verbis,' inquit, 'luculentioribus, et pluribus, rem eandem comprehenderat.' Mox, ubi leviter innuit, non se retulisse solum, sed et patefecisse, et cohortatum esse, et ante præterea quam consuleret, ipsum judicasse. 'Quæ omnia,' inquit, 'quia Cato laudibus extulerat in cœlum, perscribendaque censuerat, idcirco in ejus sententiam est facta discessio.' *Rivius.*

Senati decretum fit] Vulgati omnes,

quibus cum faciant antiqui mei: *Senatus decretum fit*, habent. Nos *senati decretum fit* restituimus, ex Carisio locum hunc citante. Est autem *Senati* genitivus antiquus, qui etiam in inscriptione veteri reperitur, quæ in agro Veronensi extat, verbis ad hunc modum conceptis: SEX. ATTILIVS. M. F. SARANVS. PROCOS. EX. SENATI. CONSVLTO. INTER. ATTESTINOS. ET. VICETINOS. FINIS. TERMINOSQVE. STATVI. IVSSIT. Et in Sallustii libris Historiarum, 'Senati decreto serviendum ne sit.' Sed et *Senatuis* veteres dixerunt: id quod Helenius Acron, ad Terentianum illud in Adelphis, 'Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero.' adnotavit: et 'senatis consulto' Sisenna Histor. l. III. 'simul et senatis consultis clarissimis amplificatis.' *Popma.*

Senatus decretum fit] *Senati*, locum hunc citans, Priscianus legit. *Zanch.*

Senatus decretum] Sicuti jus relationis ad solum magistratum pertinebat, ita neque alia de re invitus faciebat Senatusconsultum, quam de qua ad senatum relatum erat, nisi si infinite de Rep. non finite de singulis rebus retulisset. Itaque Valerius frustra à decemviris postulavit, ut dictis omnibus sententiis, quibus a majore parte exercitus decernebantur, id proponerent consulendum, FORMANE REIPVB. PLACERET: aut VT RVRSVS SENTENTIAE EXIGERENTVR. Dixit enim Claudius, semel omnium sententiis absolutis, rem pro judicata haberi. Nihil superesse, quam ut sententiæ numerentur. Ut novi aliquid agatur non posse, nisi iterum a magistratu relatio fiat. Quid vero? Indicat Halicarnassensis, ex his qui dixissent frequentes, ac fere universum senatum Valerio acclamasse. Numerus porro Senatorum, ut rarum ac legitimum esset Senatusconsultum, requirebatur. Unde apud Festum, 'NVMERA SENATVM. Divus postea Augustus numerum determinavit, pro singulis Senatusconsultorum causis ac formulis. Certe SCtum a paucioribus, quam quadringentis fieri non posse instituit; cum proximis temporibus numerus ille non foret necessarius. Itaque et pœnas auxit adversus eos, qui nullam ob justam caussam in senatum non venissent. Antea enim nihil erat ultra pignus et multam.' *Ærod.* Vincere quoque dicebatur sententia ea, cui plures accedebant. Cic. Philip. VIII. 'Victa est igitur propter verbi asperitatem, te auctore, nostra sententia. Vicit L. Cæsaris amplissimi viri, qui verbi atrocitate dempta, oratione fuit quam sententia lenior.' Formulæ decernendi hæ fuere: PLACERE SENATVI, SENATVM VELLE, ET AEQVVM CENSERE, SENATVM EXISTIMARE, ARBITRARI, SENATVI VIDERI. Primis etiam Senatusconsultorum, quæ libera Rep. fiebant, versibus poni solebant nomina eorum, qui ad ea conscribenda adhibiti erant, qua in re usu recepta erant verba hæc, SCRIBENDO AFFVERE. Etiam veteribus Senatusconsultis, ut Valer. Max. II. 11. auctor est, T. litera subscribi solebat, eaque nota significabatur, etiam Tribunos ita censuisse, at quotiescunque SCta intercessionibus impediebantur, auctoritate perscribi solebant. Auctoritatum perscribendarum rationem Dio explicat l. LV. *Brisson.*

Sed mihi multa legenti, multaque audienti] In Mss. duobus est omissa illa *que* conjunctio ἐγκλιτική, sicut in Beroaldino quoque. id Sallustianum magis esse videtur. *Rivius.*

Tanta negotia sustinuisset] Eodem modo dixit in bello Jugurthino: 'Quantum negotii sustineam.' Et Horatius illo versu: 'Cum tot sustineas, et tanta negotia solus.' Hic tamen videtur Sallustius, *Sustinere*, usurpasse, pro gerere, patrare. Ut in Bello Jug. 'At non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustineant, virtus est.' *Ursin.*

Ac veluti effœta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit] Hic perperam alii, *parentum:* quomodo quidem et manuscripti codices, et alii vetustiores. Quamvis autem et Marinus quispiam Scodrensis hoc modo legendum contendat, tamen, quod bona ejus venia dictum velim, nequaquam probo interpretationem ejus, ut quæ totum mihi Sallustiani loci corrumpere sensum videatur. Nam et perperam per *tempestates*, ipse *calamitates* intelligit, et per *parentes*, *minores*, quamvis adstipulatorem habeat Jacobum quendam Bononiensem. Ego vero *parente* legendum arbitror, ut Beroaldinum habet exemplar. et hoc Sallustium dicere velle puto, neminem jam multo tempore Romæ virtute præstantem et egregium exstitisse, idque *velut effœta parente*, hoc est, Tamquam jam exhausta et defecta viribus urbe Roma, quæ quasi parens est civium Romanorum. Est autem elegans metaphora a fœminis, quæ frequenti aut ægro partu non amplius pariant: qua tralatione et Virgilius *effœtos agros* dixit, quasi continua fertilitate lassatos. et Columella, 'Ubertate nimia prioris ævi defatigatum et effœtum solum nequire pristina benignitate præbere mortalibus alimenta.' Jam *tempestatibus* Sallustium pro temporibus usum esse, nihil mirum, cum id sæpe alias faciat, cujus et Servius in Georg. I. meminit: neque Sallustius modo, sed et Cicero et alii. Sic Poëta quispiam apud Ciceronem, 'Qua tempestate Pœnus in Italiam venit:' pro, *quo tempore*. Ac si quid est in me judicii maxime hac voce Sallustium, ut antiquarium, uti decuit. Jam *tempestatem* pro tempore apud Sallustium accipi oportere, indicio sunt ea quæ mox ibidem sequuntur: 'Sed mea memoria ingenti virtute, diversis moribus, fuere viri duo, M. Cato, et C. Cæsar:' nam multis illis antea temporibus, opponit memoriam suam, hoc est, seculum et ætatem suam. Hoc modo et Augustinus intellexisse hunc locum videtur, cum inquit, 'Laudat idem Sallustius temporibus suis magnos et præclaros viros, M. Catonem et C. Cæsarem, dicens quod diu illa resp. non habuit quemquam virtute magnum, sed sua memoria fuisse illos duos ingenti virtute, diversis moribus.' Hæc Augustinus v. de civitate Dei. Quod Sallustius ait, *multis tempestatibus*, id nimirum Augustinus *diu* interpretatur. Sed de hoc satis. Illud quoque non prætereundum, in manuscriptis ipsis reperiri, *ac sicuti effœta*, pro *veluti*, quod hodie legitur: nec secus in Veneto atque aliis quibusdam. Utitur autem et alias Sallustius τῷ *sicuti*, pro *tamquam* seu *veluti*, ne quem insolentia vocis in hoc significato offendat: ut, 'Nihilominus insontes, sicuti sontes circumvenire:' et, 'Constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem:' et, 'Sicuti jurgio lacessitus foret,' pro 'tamquam foret lacessitus:' et, 'Alii sicuti jura populi defenderent,' pro, *quasi defenderent*. Rivius.

Veluti effœta parentum] *Effœta parente*, legit Badius in auferendi casu utrumque. Quæ lectio quidem placet: nam alteram per genitivum *parentum*, ego sane non intelligo; etiamsi et vetus codex ita habeat. *Glarean.*

Sicut effœta parentum] Optima locutio, quæque in scriptis fere omnibus habetur, nam illud *effœta parente*, quod tantopere dilaudat Rivius cum Glareano, hujus glossa est. Græcismus merus, qui efferunt ἀγαθοὶ ἀνδρῶν, τὰ καλὰ τῶν ζωῶν. Ut Plinius 'canum degeneres.' Tacitus, 'subjecta vallium,' 'avia saltuum,' 'ardua castellorum.' 'Antiqui autem' (inquit Philargyrius) 'fœtum pro gravido solent ponere, ut Varro Atacinus: 'Fœta feris Lybiæ.' Et Virgilius ipse: 'Scan-

dit fatalis machina muros, Fœta armis.'' Hinc *effœtum* derivatum, de quo vide Columellam, et Servium. Excidit hæc vox Petronio, quam repono, in Carmine Eumolpi, ' Juppiter omnipotens, et tu Saturnia tellus, Armis fœta meis, olimque onerata triumphis :' ubi perperam vulgatur, *Armis læta meis.* Lectio nostra perspicue vera est. *Putsch.*

Sicut effœta parentum] Hæc est concors lectio omnium Mss. nisi quod Palatinus decimus, *si effœta parentum.* Dictum autem eodem modo, quo infra in Bello Jugurth.: ' loca nuda gignentium.' *Grut.*

At sicuti effœta parentum] Locus in hunc diem frustra tentatus, et intellectus nemini. Nos quoque diu in eo operam lusimus : sed quod peccavit prior editio observationum, posterior correxit, monstravitque τὸ *effœta* respectum habere ad *virtute*, et in illa hanc vocem subaudiendam, et quasi bis posita esset, accipiendam. Et quasi illa virtus, quæ in parentibus et majoribus illustrium domorum fuit, lassata et effœta provenire ac propagari desiisset, longo tempore nemo apparuit eadem, qua majores, virtute magnus. *Gronov.*

Sed mea memoria ingenti virtute] Est in cunctis manuscriptis, atque item impressis quibusdam, *memoria mea*, ut pronomen sequatur. *Rivius.*

Diversis moribus fuere viri duo] Sic in manuscriptis. Nec aliter ab Hadriano citatur de modis Latine loquendi. Eodem modo codex Beroaldinus. *Idem.*

Cato] Virtutis rigidæ singulare exemplar: unde et virtutis exactos satellites Catones appellavit antiquitas; hinc Juvenalis : ' Tertius e cœlo cecidit Cato.' Hinc et Dionysius ille, quisquis est, qui disticha conscripsit, Catonis egregii morum Censoris sibi nomen assumpsit, ut a tanto viro carmina sua lucem acciperent. Cujus alioquin nemo antiquorum, quod sciam, meminit nisi Vindicianus in epist. ad Imp. Valentinianum. Vide *Scalig.*

Cæsar] Scipionem Africanum priorem primum Cæsarem vocatum tradidere, quod excisus utero matris fuerit. Sed hoc falsum est : nam ante bellum Samniticum Claudius quidam Cæsar extitit. Falsa etiam nominis ratio : nec enim Cæsar, a cæso utero dictus : id de Cæsone potius verum esset. Sed Cæsar antiqua vox Latina, qua τὸν κουριῶντα significat, unde Cæsaries, vel Cæsaria κόμη κουριῶσα. *Salmas.* Apposite hic Festus, ' Cæsar, quod est cognomen Juliorum, a Cæsarie dictus est, quia scilicet cum Cæsarie natus est.' Ab occiso Elephanto (qui Cæsar Maurorum lingua appellatur, tanquam aciei perruptor, كشرا id est, *cassara*, enim Arabibus perrumpere) deducere, nimis longe petitum est.

Cap. 54 *Genus*] Catonis genus principium dignitatis et gloriæ sumpsit a proavo Catone, in primis claro, magnæque auctoritatis. Plutarch. ' Cæsaris vero genus fuit ex Venere : nam Venus ex Anchisa genuit Æneam, patrem Iuli Ascanii, a quo gens Julia ducitur.' Unde Suetonius Cæsarem ipsum in laudatione amitæ suæ, hæc dixisse ait : ' Nam ab Anco Martio sunt Martii reges, quo nomine fuit mater, a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra.' *Zanch.*

Genus] Cæsar ad Iulum Æneæ filium genus suum referebat. Virg. Æn. l. I. ' Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar, Imperium Oceano, famam qui terminet astris : Julius a magno demissum nomen Iülo.' Eutropius autem, item Dionysius Ant. l. I. scribunt, Julios dictos esse a Iulo Ascanii filio. Sed quo pacto, et quando Julia gens Alba Romam translata fuerit, docet idem Ant. l. III. At Cato pronepos fuit M. Porcii Catonis Censorii, qui ortu Tusculanus fuit. Vide Gellium XIII. 19. Plinium VII.

14. Cornelium Tacit. l. XIII. Ciceronem l. II. de Legibus, Æmilium Probum, Plutarchum in utriusque vita, et Messalam Corvinum in libello ad Cæsarem Augustum. *Cast.*

Ætas] Plutarchus, Appianus et Tranquillus scribunt, Cæsarem quinquagesimo sexto ætatis anno occisum fuisse: quod si ita est, Cicerone consule Cæsar trigesimum septimum agebat annum. Nam Cicero consul fuit anno ab Urbe condita sexcentesimo nonagesimo: Cæsar vero interfectus est anno septingentesimo nono. Verum si Cæsar quinquagesimo sexto ætatis anno periit, necesse, ante legitimum tempus consul fuerit. Tempus enim legitimum petendi consulatum, erat annus quadragesimus tertius: quod patet, tum ex Cicerone Phil. 5. tum etiam ex annorum numero a natali die Ciceronis ad consulatum: quem suo se anno assecutum esse scribit ipse oratione secunda contra Rullum. Constat enim ex Gellio, Ciceronem Serrano et Cæpione consulibus anno ab Urbe condita 647. ante diem tertium Non. Jan. natum esse. Patet igitur, Cæsarem ante tempus legibus constitutum consulem fuisse. quod affirmat etiam Appianus Bellorum civilium l. III. verum is pugnantia loquitur: si enim, cum interfectus est, 56. annos habebat Cæsar, ἀδύνατον est, ut decem annis ante legitimum tempus consul fuerit. quod si quis annos computaverit, facile cognoscet. Gessit enim consulatum Cæsar anno Urbis conditæ 694. hæc adnotare libuit, ne quis ex Cæsaris consulatu ætatis conjecturam faceret: nam legibus solutus est. Cæsar igitur Cicerone consule 37. annos natus erat, Cato vero plus minus 32. anno enim ab Urbe condita 707. Cato sibi mortem Uticæ conscivit, annos natus vel 48. ut vult Plutarchus, vel 49. ut Livius, vel ut Appianus circiter quinquaginta. *Cast.*

Eloquentia] Ambo enim fuerunt eloquentes. Quintil. XI. I. Catonem eloquentem Senatorem fuisse dicit. Idem l. x. de Cæsare ita inquit: 'C. vero Cæsar, si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia.' Cicero ad Brutum oratores enumerans negat se videre, cui Cæsar debeat cedere: aitque eum elegantem, splendidam quoque ac magnificam ac generosam quodammodo rationem dicendi tenere. Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: 'Quid? oratorum, quem huic anteponas eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut uberior? quis verbis aut ornatior aut elegantior?' Vide quoque Tacitum in Dialogo de Oratore. *Zanch.*

Integritate vitæ] Cicero pro domo sua: 'Bello gerendo M. Catonem præfecisti, dices, quem virum? Sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum reip., virtute, consilio, ratione vitæ mirabili ad laudem, et prope singulari.' Item pro Muræna: 'In M. Catone hæc quæ videmus divina et egregia ipsius scitote esse propria: quæ nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a Magistro: fuit enim quidam summo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur.' Hujus sententiæ sunt et præcepta ejusmodi: sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere, neminem misericordem esse, nisi stultum et levem: viri non esse neque exorari, neque placari. *Cic.* Severitatem hanc a Stoicorum disciplina acceptam, ut nimiam culpat Cicero: cum quo facit et Seneca Controv. XII. cum ait: 'Nemo sine vitio est: in Catone moderatio, in Cicerone constantia desideratur.' *Grasw.*

Ille mansuetudine et misericordia clarus factus est] Τὸ *est* non reperi in manuscriptis, ac majore cum gratia abest. nec est in omnibus impressis. *Rivius.*

Misericordia] Quia secundum Plinium erat usque ad pœnitudinem clemens, illis enim pepercit, a quibus postea interfectus est: unde inter funebres ludos de eo cantatum dicit Suetonius, ex Pacuvii armorum judicio: 'Men' servasse, ut essent qui me perderent?' *Badius.*

In altero miseris perfugium erat] In quibusdam, *profugium:* utrumque apud Ciceronem reperitur: τὸ *erat*, non est in manuscriptis, nec in impressis quibusdam, ac rectius abest. *Rivius.*

Facilitas] Nam Cæsar facilis erat ad ignoscendum, ex hoc enim apparet, quam facilis fuerit: quia cum potitus fuisset rerum, cunctis adversarum partium in Italiam redire permisit, magistratusque, et imperia capere. Lege Dionem sub finem l. XLII. *Zanch.*

Constantia] Val. Max. II. 3. 'Hic,' inquit, 'spiritus ne quidem Catonis pueritiæ defuit, nam cum in domo M. Drusi avunculi sui educaretur, et ad eum Tribunum tunc plebis, Latini de civitate impetranda convenissent, a Q. Popedio Latinorum principe, Drusi autem hospite rogatus, ut socios apud avunculum adjuvaret, constanti vultu non facturum se respondit: iterum, deinde et sæpius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Popedius in excelsam ædium partem elevatum, abjecturum se inde eum, nisi precibus obtemperaret, minatus est: nec hac re ab incœpto moveri potuit. Expressa est itaque vox illa hominum: Gratulentur nobis Latini et socii, hunc esse puerum, quo senatore ne sperare quidem nobis civitatem licuisset.' Hoc et multa alia constantiæ Catonis exempla apud Plutarchum leges. *Idem.*

Nihil denegare quod dono dignum esset] In uno Fabriciano est, *bono dignum*, ceteris reclamantibus. Sed hic nihil pronuntio. Tantum diversam lectionem indico, non judicium interponens meum, sed integrum relinquens lectori suum. *Rivius.*

Sibi magnum imperium, exercitum] Quod autem Cæsar magni imperii ac novi exercitus cupidus fuerit, facta ipsius declarant. Nam cum esset quæstor in Hispania, atque jussu pop. Romani jure dicundo conventus circuiret, Gadesque venisset, ac ibi in Herculis templo magni Alexandri imaginem animadvertisset, ingemuisse fertur, et statim missionem efflagitasse, ad captandas quamprimum majorum rerum occasiones. *Zanch.*

Novum bellum exoptabat] Quod tandem obtinuit: nam post consulatum socero generoque suffragantibus, ex omni provinciarum copia, Gallias potissimum elegit: cujus emolumento et opportunitate idonea esset materia triumphorum: et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit: mox per Senatum Comatam quoque, veritis patribus, si negassent, quod populus et hanc daret: quo gaudio elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret invitis ac gementibus adversariis se adeptum esse, quod concupisset. Tranquillus. *Idem.*

Ubi virtus ejus enitescere posset] *Ejus* non est in manuscriptis, nec impressis vetustioribus: ne Augustinus quidem addit, ubi hunc locum citat l. V. de civitate Dei. *Rivius.*

Non de divitiis, cum divite, neque de factione cum factioso, sed cum strenuo de virtute, cum modesto de pudore, cum innocente de abstinentia certabat] Ita nos totum hunc locum restituimus; cum antea in vulgatis receptisque libris legeretur, *non divitiis cum divite, nec factione cum factioso, sed cum strenuo, virtute; cum modesto, pudore; cum innocente, abstinentia certabat.* Confirmat autem veterum codicum scripturam Q. Curtius l. IV. 'Jam non de

gloria, sed de salute ; et, quod saluti præponitis, de libertate pugnandum est.' Cicero in Divinatione in Verrem: 'Ecquis unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit?' *Popma.*

Abstinentia] Quam autem Cato abstinens fuerit testis fuit Epirus, Achaia, Cyclades insulæ, maxuma pars Asiæ provinciæ, Cyprus: unde cum pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tam aversum animum ab omni Venere, quam a lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiæ materia versatus. Nam et regiæ divitiæ potestate ipsius continebantur, et fertilissimæ deliciarum totius Græciæ urbes, necessaria totius navigationis diverticula erant: atque Munatius Rufius Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis signat, (cujus testimonium non amplector, proprio enim argumento laus ista nititur) quod ex eodem naturæ utero et continentia nata est et Cato. Hæc ex Val. Max. Plut. et in ipsius vita ait: Ab rege Deiotaro, ut filios et filiam suam eidem commendaret, vocatus, cum ipse Rex dona egregia protulisset, usque adeo super ea re commotus est, ut cum vespere ad eum venisset, postridie circiter horam tertiam abiret: et in itinere, cum ei majora dona misisset, epistola ipsum rogavit, uti si ea dona capere nollet, amicis saltem habere sineret. Sed nec ipse accipere voluit, nec amicos capere permisit, affirmans, omnem largitionem velamen honestatis facile reperire posse: amicos vero ejus habituros ex iis, quæ ipse juste possideat. *Zanch.*

Esse quam videri bonus malebat] Æschylus sic, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις· Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Æschyli dictum recitat Jo. Tzetzes l. v. de varia historia 16. Cicero quoque in Lælio: 'Virtute,' inquit, 'ipsa, non tam multi prædìti esse, quam videri volunt.' *Manutius.*

Itaque quo minus petebat gloriam, eo magis illam assequebatur] *Illam*, non reperi in quibusdam, nec in Mersebürgensi, et omitti potest, citra detrimentum sensus. Augustinus haud scio an memoria lapsus ita citat, *eo magis illum sequebatur ;* nempe *gloria Catonem.* Forte non fuit ad manum liber, itaque memoriæ fisus, ut fit, perperam hoc modo citavit. In manuscriptis præterea non *Itaque,* sed *Ita* legitur, consentientibus exemplaribus Badiano et Beroaldino: ac si quid est in me judicii, rectius hoc modo legitur. *Rivius.*

Eo magis illam adsequebatur] Sic et antiquus Fulvii liber. D. Augustinus legit, *Eo illum sequebatur.* Alii, *eo magis sequebatur:* omnia recte. *Manutius.*

Cap. 55 *Discessit*] *Discedere in sententiam*, est alterius sententiam approbare. Antiquorum enim mos fuit, cum in tanto senatorum numero, longum foret, singulorum sententias audire, ut illi tantum, qui ceteros dignitate antecellebant, sententiam dicerent. Deinde duabus tribusve dictis sententiis, reliqui ad eos, quorum judicio sententias approbabant, transibant. Vide Gell. l. III. Noct. Att. c. 18.

Triumviros quæ ad supplicium postulabat, parare jubet] Oppido obscurus est hic sermo, cum sensus sit satis manifestus. Quidam putarunt plurali numero legendum, *postulabant*, quod etiam vetus codex habet: sed æque in obscuro manente sensu. Ego quid certo dicam non habeo, conjecturas illibenter adfero. *Glareanus.*

Triumviros, quæ ad supplicium postulabat, parare jubet] Proclive et mihi fuisset, expungere præpositionem *ad*, ut factum Carrioni; neque secus accidit a manu emendatrice Pal. sec. sed cum extet in Mss. ceteris pene omnibus præterquam in Pal. decimo, in quo, *quod supplicium, &c.* haud etiam ausim: præsertim quoniam Commeliniani censor non ipsum deleverit *ad*, sed *quæ:* unde esset suspicari,

principio scriptum auctori; *Triumviros supplicium parare jubet.* Sane Pal. undec. habet: *Triumviros quæ ad supplicium sumendum postulabat parare jubet:* octavus autem; *Triumviros quæ ad supplicium parare postulabat, jubet parare.* Gruterus.

Triumviros] Triumviros, scilicet capitales: qui, postquam Curius Dentatus de Samnitibus triumphavit, tunc primum Romæ creati sunt, qui de criminibus pariter cognoscerent: et in facinorosos, si quid scelere ac perfidia deliquissent, animadverterent: qui vigilias per urbem disponere, et ne qui nocturni cœtus fierent, observare, neu qui militares novarum rerum cupidi hostilia auderent, prospicere debebant, quæ posterioribus temporibus ad præfectum vigilum translata sunt: his quoque, ut carceribus latomiarum interior cura ageretur, carcerisque custodiam haberent, utque destinatis fasces, securis, et supplicii instrumenta omnia præsto forent, cura procuratioque impendebat, ut cum in reos animadverti oporteret, ipso interventu fieret. *Zanch.*

Tullianum appellatur] Carcerem Tullianum, cujus auctor Ancus rex, in capite fori sub Capitolio situm fuisse sic innuit Cicero: *cum de foro currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent.* Et Livius, *Fecit carcerem media urbe imminentem foro ad terrorem crescentis audaciæ.* Quod Vitruvii præceptis consentaneum est, qui ait ærarium, carcerem, curiam foro esse conjungendam. Unde autem carcer, et unde Tullianum diceretur, docent Varronis hæc verba: 'Carcer a coërcendo, quod exire prohibentur: in hoc pars, quæ sub terra, Tullianum; ideo quod additum a Tullo Rege; quod Syracusis, ubi hac de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ, et de Latomia translatum.' Latomias vero, de quibus Varro meminit, Cic. in Verrem sic describit: 'Latomias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis: opus est ingens, magnificum regum ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depressum, et multorum operis penitus excisum. Nihil tam clausum ad exitus: nihil tam septum undique: nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest.' Extat autem etiam nunc camera non absimilis ei, quam a Cicerone descriptam attulimus, ad cujus lævam per gradus in Tullianum erat descensus, extatque ibi in fronte titulus sequens: C. VIBIVS. C. FILIVS. RVFINVS. M. COCCEIVS. M. F. NERVA. COS. EX. SC. Ex quo conjicimus hunc carcerem post Anci et Tulli Regum tempora instauratum, ampliatumque fuisse. Est autem hodie D. Petro cognomento in carcere dicatus. *Marlian.*

Ubi paululum ascenderis ad lævam circiter duodecim pedes humi depressus] Dubium est, utrum *ubi ascenderis, duodecim pedes,* intelligamus: an *locus humi depressus duodecim pedes.* Sed posterius malim, propter reliquam loci descriptionem. Quidam codices, *Fornicibus vincta* legunt paulo post, a *vincio:* quod alii *juncta,* a *jungo.* et vetus codex *ascenderis* habet, non *descenderis.* Sed judicet Lector. *Glareanus.*

Ubi paululum descenderis] Ita clare Ms. Com. et Bongarsii, ut et a manu secunda Pal. sec. reliquis est *ascenderis,* quod pronum mutare cum Palmerio in *escenderis,* nisi vox *depressus,* item *demissus,* quæ sequitur, innuere viderentur descensum potius fuisse quam adscensum. *Gruterus.*

Camera] Cameras appellarunt sola culmina arcuata, sive ex lapide, sive ex contignatione facta essent. Vitruvius v. 10.: 'concamerationes vero, si ex structura factæ fuerint, erunt utiliores: sin autem contignationes fuerint, figlinum opus subjiciatur.' Vocat structuram, quod ex lapide structum est. Sic apud Hircium de Bello Alexandrino: 'incendio

fere tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt ædificia, et structuris, atque fornicibus contignentur.' Lacunaria autem proprie erant, quæ lacubus quadratis distincta erant. Et hæc lacunaria vel laquearia tabulis tecta erant, quæ Vitruvius a cameris distinguit, cum dicit: 'tunc autem machinis comparatis camerarum dispositiones in conclavibus expediantur, nisi lacunaribus ea fuerint ornata.' Ubi lacunaria tecta plana tabulis laqueata, et lacubus distincta. *Salmas.* De cameris Isidorus ita loquitur: 'Cameræ sunt volumina introrsum respicientia, appellatæ a curvo.' Κάμπυλον enim Græcis curvum: sed an non sit peregrina Gallica vox dubito, cum hodieque apud nostrates istud vocabulum usurpetur, atque incurvum etiam camusum Belgæ appellemus, quo vocabulo et usus princeps Poëtarum Virgilius Georg. 3. 'Et camuris hirtæ sub cornibus aures.' *Thys.*

Camera] Diversa sunt camerarum discrimina, quæ nos inquirere diligenter oportet, quibus lineis terminisque præfiniantur, etenim fornix est, et camera, et hemisphærium, et arcus illi, qui sunt harum quotæ partes. Hemisphærium, quod mediæ pilæ speciem habet, suapte natura ex circinatione, vestigiis, ichnographia circulari provenit: camera quadratis areis convenit, sicuti fornices quadrangularibus. Fornix excavati montis similitudinem refert: est enim in arcum flexa et protensa curvitas. Imaginemur parietem amplum, qui a summo sinuetur, et flectatur per porticus latitudinem transversam: camera vero arcum refert a meridie in septentrionem se flectentem, qui et alium habeat transversum ab oriente in occasum; cornua enim flexa: præter hemisphærium, est concursus multorum arcuum æqualium in centrum medii culminis: sunt et plura curvationum genera, alia delumbata ad circinum, vel quæ lunulata vocantur, et si quo alio modo testudinata sint, quæ multorum angulorum figuras ostendunt, quorum omnium incurvandorum ratio una est. *Barbarus in Vitruvium.*

Judices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere] In vetustis est, *Vindices rerum capitalium*; pro *triumviri capitales*, quorum interventu supplicium de facinorosis sumebatur. De his autem historicum loqui, cum per se facile liquet, tum auctor libelli de magistratibus Romanis, quem Fenestellam vocant, testatur. Nam quo loco capitales dictos ostendit, quod capitalibus quæstionibus præessent, mox ibidem, 'Eorundem,' inquit, 'interventu triumvirorum, in eos qui cum L. Catilina conjuraverant, animadversum est, ut meminit Sallustius.' Ut autem Sallustius hic *vindices capitalium rerum*, sic alicubi Cicero 'vindices facinorum et sceleris' dixit. Est apud eundem 'peccatorum vindex,' 'vindex scelerum.' *Riv.*

Vindices rerum capitalium quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere] Mire videntur feriata, *quibus præceptum erat.* Si quid juris haberem in auctorem; juberem hanc triadem alias sibi sedes quærere. Ceterum extat in Mss. aut *indices*, aut *judices*, non *vindices*, nisi forte a calamo primo in Pal. sec. imo in plerisque emendatum, *per indices rer. cap.* Naz. autem primum habuit; *Lentulus, dices rerum capitalium, &c.* correctumque post: *Lentulus et per indices, &c.* ut forte suspicari licet fuisse: *Lentulus, ei vindices rerum, &c.* Gruterus.

Vindices rerum capitalium] Ita potius legendum, non *judices.* Rivius exponit *Judices rerum capitalium*, pro Triumviri capitales: quæ quidem expositio non admodum mihi placet. Nonne consentaneum est, quod Triumviri, quamvis pararent quæ ad supplicium pertinerent, ut ipsi postea

id tam levissimum munus exercerent, scilicet ut cujuspiam laqueo vitam finirent; et quod id affirmem, facit Plutarchus in Ciceronis vita, qui sic ait: 'Forum egressus consul, cum ad carcerem ventum esset, tradit lictori Lentulum, eumque strangulari jussit:' hocque pacto intelligimus judices vel vindices, id est, lictores: quorum munus hoc erat, ut morte damnatos strangularent, vel alio quodam genere mortis afficerent. *Zanch.*

Ita ille patricius] Juven. Satyr. x. 'Igitur fortuna ipsius et urbis Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus Integer.' Solent historici elatorum virorum exitus brevi aliqua clausula, tanquam funebri nænia prosequi, id parcius a Sallustio, fusius a Livio factitatum innuit Seneca suasoria vi. 'Quoties magni alicujus mors ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitæ, et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum a Thucydide factum, idem in paucissimis personis usurpatum a Sallustio, Livius benignius omnibus magnis viris præstitit. Sequentes historici multo id effusius fecerunt.' Sallustius supra: 'Ita ille egregius juvenis, immoderatæ fortitudinis pœnas dedit.' Curtius l. vii. de Parmenione: 'Hic exitus Parmenionis fuit, militiæ domique clari viri:' et l. ix. 'Hic fuit exitus clarissimi Persarum, nec insontis modo, sed eximiæ benignitatis in regem.' *Putschius.*

Corneliorum] Amplissima omniumque gentium nobilissima Cornelia ab antiquis est habita, et quidem jure ac merito: sive enim dignitatem spectes familiarum, sive etiam præclara in remp. merita, rerumque gestarum magnitudinem consideres, omnes certe omnium gentium virtutes, præclarissimæ hujus gentis splendore intereunt et obscurantur. Ac de origine quidem gentis nihil mihi quamvis diligentissime investiganti occurrit. Familias præcipuas quatuor reperio: quarum una Maluginensium est, altera Scipionum, Rufinorum tertia, postrema Lentulorum. Dolabellas enim, Cinnas, Merulas, et si qui sunt alii, plebejos potius quam patricios crediderim. Qua equidem in re veterum auctorum diligentiam requiro, qui cum in aliis, tum in Corneliis nobis describendis valde mihi videntur errare. et, ut omittam Florum, Eutropium, Orosium, Plinius certe antiquitatum auctore ceteroquin bonus et diligens, hac in re quam maxime lapsus videtur c. 3. libri vigesimi. *Strein.*

Dignum moribus factisque suis exitium vitæ invenit] Sic et volumen Fabricianum, et alia duo. In Merseburgensi vero ceterisque vetustioribus, *exitum vitæ;* quomodo Livius, 'Quod nemo eorum satis dignum splendore vitæ exitum habuit.' mihi utra lectio verior, haud dum liquet. *Rivius.*

Exitum vitæ invenit] Tacit. Annal. i. 'Ubi infelici dextera, et suo ictu mortem invenerit.' *Ciacconius.*

Exitium vitæ invenit] Sic fere manu formisque scripti antiquiores, cujus loco obrepsit deinde *exitum vitæ*, minus recte: consulatur Nonius Marcellus. *Gruterus.*

Cap. 56 *Duas legiones*] Vide supra c. 33.

Cohortes] Et est cohors, auctore Varrone libro de Lingua Latina, quod, ut in villa, ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum: sic his ex manipulis pluribus copulatur cohors, quæ in villa dicta, quod circa eum locum coërcetur: tametsi cohortem in villa Hysicrates dicit esse Græce cohortem apud Poëtas dictam. *Zanch.* Vide infra c. 59.

Pro numero militum] Unaquæque cohors quingentos quinquaginta quinque continet pedites, equites sexaginta sex, excepta prima, quæ reliquas

numero militum et dignitate præcedit, pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos, et appellatur cohors milliaria, inquit *Vegetius* II. 6.

Ut quisque voluntarius] In scripto nostro legitur: *ut quisque voluntarius ex agris in castra venerat.* Putschius.

Aut ex sociis in castra venerat] In hanc lectionem conveniunt mss. numero quatuordecim; neque dubitandum de sinceritate scripturæ, *aut ex sociis*; sed potius de hisce, *æqualiter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat.* Auribus enim magis lenocinaretur, si scriberetur, *distribui*, item, *expleri*. Gruterus.

Amplius duobus millibus] Tacit. Annal. v. 'Unciario fœnore amplius exerceret.' Cicer. in Oratore: 'Non fere ternis amplius.' Et Verr. v. 'Hora amplius in demoliendo signo,' dixit: et noster 'amplius annos xxx.' *Ciacconius.*

Ceteri ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant] Servius in XI. Æn. *portare* legit, nisi sint mendosi codices, ut sit enallage modi; quæ figura propria historicorum est; sicuti idem in II. Æn. annotavit. *Rivius.*

Ut quemque casus armaverat] Nonius in *Sparos* legit, *ut quosque casus, &c.* Et paulo post legendum omnino, *in Galliam versus:* nam sic est in vv. cc. et Grammatici ita citant. Varro etiam ita locutus est libro IV. de Ling. Lat. cum dixit: 'Conum, quod cogitur in cacumen versus.' *Ursinus.*

Sparos] Alii Codices *spathas* habent. Sed illud verius est. A. Gellius x. 25. eadem tela conjunxit. *Coler.*

Sparos] 'Sparus est,' inquit Servius, 'rusticum telum, in modum pedis curvum.' Festus autem asserit, *spara* minimi generis jacula esse, a spargendo dicta; et sane *sparus* et *sparum* idem est, ut testatur Nonius. *Cast.*

Sparus] Alibi *sparum* Gallicum esse vocabulum, docet Festus, cum dicit; 'Rumex genus teli simile spari Gallici, cujus meminit Lucilius: Tum spara, tum rumices, portantur tragula porro.' Item Virgilius: 'Agrestesque manus armat sparus.' Ubi *sparus* videtur sudem denotare, nos hodie *een Sparre* appellamus. Nam Nonius, superiori Sallustii loco inductus, videtur negare esse telum bello proprie aptum: ait enim: 'Sparus, lancea, tela sunt non bellica.' Si tamen pro militari telo vel lancea libet accipere, accommodabimus huc illud Sisennæ ex tertio Historiarum: 'sparis ac lanceis eminus peterent hostem.' Atque ita *sparus* nostratium erit, Germanorumque *een Speer*, quod alias lanceam possis dicere. *Joh. Pontan.*

Lanceas] Hasta oblonga, a λόγχη derivat Festus: argute, haud vere. Et est Hispanica ipsa vox, ut Varro et Gellius xv. 20. testantur. Vel Gallica potius, ut Diodorus. De Gallis enim scribit l. VI. προσβάλλονται λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι, id est, *jaciunt hastas, quas ipsi lanceas appellant.* Vox quidem *lanceare*, quod est jacere, mittere, ipsis Hispanis Gallisque et hodie est in usu. Quo vocabulo usus quoque fuit Tertullianus adversus Marcion. III. 13. aliud est, si penes Ponticos, infantes in prælium irrumpunt, qui ante norunt lanceare quam lancinare. *Lips.* De Lancea quoque agit Casaubonus in l. IV. Strabonis. Sisenna tamen Historiarum l. III. apud Nonium in *Lancea* non Hispanis, non Gallis, sed Suevis hoc vocabulum tribuit.

Catilina per monteis iter facere] Sic Mss. hodie fere, *montes.* Et paullo inferius, 'reliquos Catilina per monteis asperos.' Nec multo post, 'octo cohorteis:' et, 'cohorteis paullatim incedere jubet.' Adnotavit autem l. v. Priscianus, quæ in *ns* et *rs* desinant, horum accusativum pluralem fere in *eis* exire. Hinc *fonteis* apud Virgilium, *parteis* et *bidenteis* apud eundem.

Parenteis apud Terentium. *Rivius.*

Modo ad urbem, modo Galliam versus castra movere] Priscianus super XII. versus Virgilii legit, 'in Galliam versus.' Ejus verba sunt: 'Versus quoque suppositum,' inquit, 'localibus nominibus, adverbium esse invenitur: ut, Italiam versus, Galliam versus. Sallustius tamen etiam præpositionem ei anteposuit in Catilina, in Galliam versus.' Hæc Priscianus, quem mehercule ipse memoria lapsum putarem, nisi eodem modo, atque ille citat, in codice manuscripto reperissem. Sed et Vellejus Paterculus I. 'Ante triennium,' inquit, 'quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit, Cæsar VII. castra ex Biturigibus movet in Avernos versus.' Idem VI. 'T. Labienum cum legionibus tribus, ad Oceanum versus in eas parteis quæ Menapios attingunt, proficisci jubet.' Non dissimile illud Hirtii v. de bello Africano: 'Ad Cercinnam insulam versus ire jubet:' et, 'Classem ad insulas Baleares versus convertit.' Corn. Tacit. in Germania; 'Modico flexu,' inquit, 'in occidentem versus.' Tale forsan videri possit illud Ciceronis in Lælio: 'Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo,' nisi quis participium esse malit τὸ *versus:* ut intelligas eum primum concionari cœpisse conversum non ad senatum et comitium, ita uti alii fecerint, sed ad forum. Ut jure hic mireris ruditatem et inscitiam eorum, qui, si diis placet, *versus agere*, pro habere orationem metro constantem interpretantur: nec minus illius, qui in editione Hervagiana operum Tullianorum hæc in Indicem conjecit: 'C. Licinius Crassus versibus cum populo primus agere instituit.' Strenuos et industrios homines, qui hæc in indice annotarunt! *Idem.*

Interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant] Legendum, *cujus initio:* ut est in manuscriptis: nam perperam additur *rei*, in libris recentioribus. Tu vide, si lubet, Priscianum l. XVII. ubi docet illud *cujus* singulare, ad rem et sensum potius esse, quam ad vocem referendum. *Idem.*

Interea servitia repudiabat, cujus initio, &c.] Quidam adjecerant *rei*, ut sit sensus, *cujus rei*. Quidam putant per syllepsin relativum ad intellectum genus relatum, hoc sensu, *cujus generis initio ad eum magnæ copiæ concurrebant.* Sed hercle relativum sæpe numerum mutat cum antecedente, ut hic singularem plurali. Contrarium est hoc Boëtii: 'Quid vero si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas? quos sæpe muscularum quoque morsus necat:' qualia multa similia apud auctores reperias. Vetus codex habet: *Interea servitia repudiabat, quorum initio ad eum magnæ copiæ concurrebant:* quæ si vera est lectio, nullam prorsus habet difficultatem. *Glareanus.*

Interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant] Adfricata et istis multa a glossographis, clamat varietas Palatinorum: nam est in tert. *repudiare;* in quarto, non visuntur illa, *ad eum;* septimus vero habet, *concurrerant;* octavus et dec. *quorum initio;* nonus, *cujus initium;* sed et divertit editio princeps, *in qua magna copia concurrebat.* Equidem, si non licet tollere ceu spurium, *cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant*, finxerim; *interea servitia repudiare, cujus initio magnæ copiæ concurrerant.* Gruterus.

Alienum rationibus suis existimans videri] Τὸ *existimans* non est in scripto nostro, et salvo sensu abesse potest. *Putschius.*

Caussam civium cum servis fugitivis communicasse] Τὸ *servis*, non est in vetustis quibusdam, neque id addit Felicius Durantinus. Forte ex glossa irrepsit; nam et apud Ciceronem sæpe sic reperitur: ut, 'Habet legionem, habet fugitivos;' et, 'Vivebat

cum fugitivis;' et, 'Arsenio princeps fugitivorum.' In epistola tamen Vatinii ad eundem additur *servus;* 'Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus Vardaci esse.' Est in Pandectis l. XI. titulus *de fugitivis:* ut subaudias, *servis*. Rivius.

Servis fugitivis] Servi enim, neque infantes jus militiæ habebant. Itaque cum ex eo numero Equitum, quos Deiotarus ad Julium Cæsarem misisset, unus servus inventus esset: hæc ei accusatio objiciebatur. Et hanc ægre excusat Cicero. At vero Antonio, Octavio, Lepido Triumviris, de servo inter numeros deprehenso ita supplicium exactum est, ut de rupe Capitolina dejiceretur: manumissione tamen prius intercedente, quo magis cum dignitate aliqua condemnatus esse videretur. Quinetiam, etsi sponte se obtulerint non ignari suæ conditionis, quamquam in numeros nondum relati essent, capitali supplicio afficiendos Trajanus Plinio rescripsit. Atque hoc jus valuit usque ad Justiniani tempora, ut patet ex l. XII. Cod. tit. XXXIII. observatum aliter tamen bello Punico II. 'aliam formam novi delectus,' ait Livius, 'inopia liberorum capitum ac necessitas dedit. Octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare (unde Volones appellati, quia singuli VOLO respondissent) empta publice armaverunt. Hi omnes cum strenue se gessissent, a Sempronio Graccho sunt manumissi: et bello confecto, pretia dominis soluta.' Ærod. sub tit. Qui quand. mil. poss.

CAP. 57 *In agrum Pistoriensem abducit*] Manuscripta, et item illud a Badio excusum, consentiente Beroaldino, *abducit;* utrum rectius, alii judicent. *Riv.*

Pistoriensem] Etruriæ hoc oppidum dicitur *Pistorium*. Ptolemæo vero Πιστωρία. Unde etiam nunc vulgo vocatur *Pistoia*. Antonino videtur fuisse *ad Pistores*. In tabula vero itineraria *Pistoris* vocatur. Nescio vero an *e* corruptum sit in *i*, an vero pluralis numerus intelligendus sit, *Pistoris*, pro *Pistoriis*. Oppidani inde dicuntur Plauto in Captivis *Pistorienses*, sicuti et hic Sallustius noster *agrum Pistoriensem* appellat, et Jul. quoque Obsequens libr. de prodigiis Catilinam ibi victum narrat. *Cluver.*

Eo consilio] Bongarsius hæc delet ex Cod. Manusc., neque forsan spernendum est. *Grut.*

Tramites] Sunt loca saltuosa, et virgultis obsita. Propertius: 'Et si forte meo tramite quæris avem.' Ibi exponit Scaliger, Propertii sospitator, *tramitem* silvam. *Coler.*

Profugeret in Galliam Transalpinam] In quodam e manuscriptis reperi, *Cisalpinam*. Rivius.

In Galliam Transalpinam] Sine dubio locus hic corruptus est. Non enim volebat Catilina in Galliam Transalpinam fugere, sed in Cisalpinam: ut infra docebimus, auctoritate maxime Ciceronis: quam rem etiam ex Sallustii verbis percipere possumus. Nullo enim pacto occulte per tramites perfugere potuisset in Galliam Transalpinam, quæ longe ab agro Pistoriensi distat: est enim *Pistorium*, teste Ptolemæo, urbs mediterranea Tusciæ. Quare vel expungenda est dictio illa *Transalpinam*, vel legendum *Cisalpinam*, pro *Transalpinam*, ut Rivius in quodam manuscripto se reperisse testatur. *Zanch.*

In agro Piceno] Julius Obsequens: 'C. Antonius cum in agro Piceno Catilinam devicisset, laureatos fasces in Provinciam tulit.' Cassiodorus tamen in Chronico diversus abit: sic enim scribit: 'M. Pupio et M. Valerio Coss. Catilina in Pistoriensi a C. Antonio bello peremptus est.' *Coler.*

Montium] Apennini. Appianus vero et Sabellicus ajunt, pugnam, de qua postea, commissam esse sub Alpium radicibus, quod repugnat Sallustio,

Ciceroni, Dioni, Julio Obsequenti, et aliis. *Castil.*

Postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum] Illud *videt*, non est in Com. Pal. autem septimus, loco verborum postremorum habet, *hostium circumventum sese;* at Ms. Bongarsii non agnoscit, *montibus atque:* adeo ut si cui libeat suspicari et hisce adsuta emblemata interpolatorum, id tuto liceat. *Gruterus.*

Clausum] Catilina undique obsessus erat: non poterat enim in Galliam aufugere. Metellus radices montium occupaverat: Antonius vero ab Urbe venerat. Hinc Dion Cassius l. XXXVII. Hist. Rom. Antonius autem et Metellus, Fæsulis circumsessis, nullam ei progrediendi copiam faciebant. *Benn.*

Confligere] Hinc Dion Cassius loc. cit. Ibi demum in casum devenire coactus, ad Antonium (diversis enim locis Romani castra habebant) se convertit: quanquam is Metello et auctoritate præstantior, et copiis instructior esset. Catilinam vero movebat, quod eum participem conjurationis, de victoria sibi dedita opera concessurum sperabat. *Idem.*

Concione] *Concio* a conciendo dicta, quasi congregata et convocata multitudo. Hinc ceteræ significationes dependent. Ut cum concio pro oratione ad Populum dicitur.

Compertum habeo milites] In manuscriptis et impressis antiquioribus est additum, *ego:* quod perperam in nostris deest. *Rivius.*

Compertum ego habeo milites] Pronomen abundat, neque extat in omnibus Mss. respuitque editio prima. Si quis etiam sustulerit, ceu otiosum verbum, *habeo*, minime repugnaverim; plus namque efficaciæ habuerit Catilina, si præ se ferat, constare experientia omnis ævi, omnium nationum, oratione minime animari, quibus parum animi; quam si velit sibi id compertum. *Gruterus.*

CAP. 58 *Compertum ego habeo*] Oratio hæc aut revera a Catilina ad milites est habita, aut nimium graphice ab auctore excogitata: exprimit enim penitus animum talis hominis, in tali casu constituti, ita ut animum virilem sine felicitate et prudentia in eo cognoscas, plusque loquentiæ quam sapientiæ. Nititur autem milites suos ex desperatione salutis ad salutem manu quærendam inducere: quasi dicat illud Æneid. II. 'Una salus victis, nullam sperare salutem.' *Zanch.*

Verba virtutem non addere] Idem Sallustius in Jugurtha: 'Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abunde dictum puto.' Et Demosthenes in oratione περὶ τῆς συντάξεως: Ἔστι δε κεφάλαιον ἁπάντων τῶν εἰρημένων, οὐδέ ποθ' ὑμᾶς οἱ λέγοντες, οὔτε πονηροὺς, οὔτε χρηστοὺς ποιήσουσιν. ἀλλ' ὑμεῖς τούτους ὁποίης ἂν βούλεσθαι, &c. *Manutius.*

Verba virtutem viris non addere] Τὸ *viris*, non est in exemplaribus calamo descriptis, neque item in impressis paullo correctioribus. *Rivius.*

Verba virtutem viris non addere] Dictionem *viris* hoc loco restituimus in omnibus editionibus omissam: eamque addendam esse et Felicius Durantinus confirmat. Quin et ipse Sallustius in bello Jugurthino: 'plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent.' *Popma.*

Natura aut moribus] Duæ virtutum causæ apud Philosophum: Plato, γενναῖον καὶ εὖ τετραμμένον ἦθος. *Coler.*

Timor animi auribus officit] Amphibole in *animi*, dicere ne velit *timor animi*, an, *auribus animi*, per metaphoram: sed prior sensus magis arridet. *Glareanus.*

Timor auribus officit] Id est, nocet auribus: quia, si cui pericula, in quibus versetur, exponuntur, ipse sit magis timidus. *Zanch.* Sic Jugurth. 'Sed ne illos quidem timor animi satis munierat.' *Ciacconius.*

Cladem] Ab Agricultura desump-

tum est vocabulum, utpote cum res veterum Romanorum in agrorum præcipue cultu consisterent. *Clades* enim dicebatur proprie surculorum detritio, κλάδος enim ramus. Sic calamitas calamorum, strages stratarum arborum. *Scaliger.*

Nunc vero quo loco res nostræ sint] Manuscripta fere, *quo in loco*, addita præpositione. Cicero haud scio an usquam præpositionem addat: nam ad Atticum, 'perbono loco res fuit,' inquit: et, 'Quoad perspiciamus, quo loco sit res:' et, 'Meliore loco res erant nostræ,' paullo inferius. *Rivius.*

Unus ab urbe, alter a Gallia obstant] Sic Varro de re rust. c. 7. 'Quodque sunt suo quæque loco posita, ea minus loci occupant, et minus officit aliud alii, ab Sole, ac Luna, et vento.' *Ciacc.*

Si animus maxime ferat] In manuscriptis est, *si maxime animus ferat*, ordine vocum immutato: id, ni fallor, mollius est. *Rivius.*

In dextris] Imitator Sallustii Curtius, ut aliis in locis, l. IV. ita loquitur: 'In dextris vestris, jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis.' Virgil. 'In manibus Mars ipse, viri.' *Coler.*

Omnia nobis tuta erant] Tacit. in vita Agric. 'omnia prona victoribus, atque eadem victis adversa.' *Ciacc.*

Commeatus abunde] *Commeatus* nomine intelliguntur præcipue, cibaria, quæ ad alimoniam exercitus pertinent, qua in significatione hoc loco dicitur. Præterea *commeatus* dari dicitur, ut ait Festus, id est, tempus, quo ire quis redireque possit: a commeando, quod ultro citroque ire significat. Auctor ad Herennium l. I. 'Ut ille,' inquit, 'qui ad diem commeatus non venit, quod eum aquæ interclusissent;' aliisque in locis. *Zanch.*

Municipia] Municipes, erant cives ex municipiis suo jure et legibus utentes, muneris tantum honorarii cum populo Romano participes, nullis necessitatibus, aut alia lege, vel fœdere astricti. *Idem.*

Coloniæ] 'Post septem annos, quam Galli ceperunt, Sutrium deducta colonia est, et post annum Setina, novemque interjectis annis Nepe: deinde interpositis duobus et triginta, Aricini in civitatem recepti.' Hæc Vell. Patercul. l. I. ubi coloniarum ducendarum tempus diffuse ponit: cœperunt postea et extra Italiam coloniæ duci, primaque extra Italiam colonia Carthago conducta est, ut idem eodem libro scribit: et animadvertendum est, plura fuisse genera coloniarum. Namque aliæ Latinæ, aliæ civium Romanorum dictæ sunt, aliæ ex utrisque: nonnullæ ex peditibus, vel equitibus, cum in agrum bello captum, stirpis augendæ caussa, mittebantur. *Zanch.*

Coloniis] Moris erat iis, qui coloniam ducerent, aratrum circumducere, ut Cic. testatur.

Supervacaneum est] Et hoc a Demosthene sumsit ex oratione περὶ τοῦ στεφάνου, in qua dixit: Οὗτος δ' ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ: cum significat: *Huic autem supervacaneum est me accusare.* Et Suidas περιὸν interpretatur ὑπερβάλλον. *Manutius.*

Illis supervacaneum est pugnare pro pat. pot.] Hoc cum irrisione tamquam in ociosos, vel in stolidos potius ac stupidos, ab homine Thrasone dictum videtur. *Glareanus.*

Licuit vobis cum summa turpitudine, &c.] Scripturam hanc convincunt falsi, non membranæ modo, sed editi ante Pomp. Lætum; in quibus fere, *licuit nobis:* et id profecto revocandum, liquet ex eo quod mox sequitur: 'potuistis nonnulli Romæ,' &c. ne dicam alterum illud hoc loco indecorum. *Gruterus.*

Quia illa fœda, &c. hæc sequi decrevistis] Ingens hic difficultas est, quid per *illa* et *hæc* intelligendum. Quidam

illa exponunt, in exilium fugere; et *hæc*, arma; alterum *hæc*, quæ incepimus. item, *relinquere*, id est, ab iis cœptis desistere. Atqui haud scio, num satisfaciant studioso lectori. Hoc etiam apud me maxime dubium, quid hæc sibi verba velint: *Audacia opus est:* si quidem recte expositum est, *relinquere*, id est, ab iis incœptis desistere, quæ nullus Commentatorum attingit. Lector ipse dispiciat. Codex vetus pro *hæc sequi*, legit *hoc sequi*. Glareanus.

Nemo, nisi victor, pace bellum mutavit] Pacem si vultis, vincatis necesse est: arbitrio enim victoris pace bellum mutatur, non victi; et hoc est, quod ait in Jugurthino: 'Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrime desinere: non in ejusdem potestate initium esse, et finem ejus: incipere, cuivis, etiam ignavo, licere: non deponi, nisi cum victores velint.' *Cast.*

Pace bellum mutavit] Sic Tacit. Annal. III. 'Miseram pacem vel bello bene mutari.' In Jugurth. alio modo extulit, si codex fidelis est, 'mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus.' Poëta vetus, 'Exsilioque domos et dulcia limina mutant.' Et, 'togam paludamento mutavit,' in fragmentis Sallustii. *Ciacconius.*

In fuga salutem sperare, &c.] Xenophon Cyrop. l. III. *Μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βουλομένους, τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος δὲ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας.* Homerus: *Πῇ φεύγει μὲν νῶτα βαλὼν κακὸς, ὡς ἐν ὁμίλῳ Μήτις τοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δορὺ πήξῃ.* *Manutius.*

Cum arma, quibus corpus tegitur, ab hoste averteris] In Merseburgensi est, *quis corpus tegitur:* id rectius esse puto. *Rivius.*

Cum arma quibus corpus tegitur ab hostibus averteris]. Si *averteris*, pro *abjeceris* dixit, ut quidam exponunt, distinguendum videtur post *ab hostibus:* ut sit sensus, cum arma averteris, quibus corpus tegitur ab hostibus. *Glareanus.*

Ea vero dementia est] Calamo picti quibus aliquid auctoritatis robustæ, *vera.* Gruterus.

Semper in prœlio iis est maximum periculum, qui maxime timent] *In prœlio*, non est in codice Fabriciano. verum in spatio ipso tamen quod versus dirimit, adscriptum est, *S. in prœlio:* quo significatur id subaudiri, quod nos in contextu habemus: ego reliquendum arbitror, propterea quod in ceteris manuscriptis sit. *Rivius.*

Necessitudo timidos fortes facit] Euripides: *τὰ πολλ' ἀνάγκη διαφέρει τολμήματα.* Q. Curtius l. v. 'Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei caussa est.' *Manutius.*

Necessitudo] Id est, necessitas. Apposite Paulus Æmilius dixit, perraro nimis, bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset, et optime Tacitus: 'in rebus asperis et tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt:' vulnera morientium serpentum quam maxime letalia sunt. Et extrema consilia sæpe victoriam extorserunt. Unde Livius l. IX.: 'locis,' inquit, 'angustis militem deprehensum, nisi quam victoria viam patefecerimus, viam nullam habemus:' et eleganter Q. Curtius, 'ignaviam quoque necessitas acuit; et sæpe desperatio spei causa est.'

Necessitudo] Magna certe necessitudo conjuratis incubuit, ubi nulla spes veniæ erat. Efficacior autem in adversis necessitas quam est ratio, ut Curtius alibi loquitur. *Grasw.*

Quæ etiam timidos fortis]. Quod et Aristides declaravit, cum Themistocles eum tentandi caussa compellavit, dicens statuisse se deductis in Hellespontum navibus pontem solvere, ut (inquiens) in Europa Asiam capiamus. quod cum improbaret Aristides, diceretque: Nunc quidem cum barbaro luxuria diffluenti conserui-

mus prælium: quod si in Græcia concluserimus hominem tot viribus fretum, ac metu periculi necessitate compulsum, audebit omnia: et ob periculum omnibus præsto se offerens, quæ prolapsa contemptaque erunt, corriget atque emendabit, et omnino de summa rerum sanius consilium capiet. non igitur nobis hic pons, o Themistocles, evertendus est: sed alio, si fieri potest, constructo, homo ex Europa celeriter exigendus. Plutarch. *Zanch.*

Nam multitudo hostium ne nos circumvenire queat] *Nos*, manuscripta non habent, nec in impressis vetustioribus additur; ac sicuti ego existimo, abesse majore cum gratia poterit; sed nec Felicius Durantinus addit. *Rivius.*

Fortuna inviderit] Conatur iram addere, quæ non parum secundum Aristotelem tertio Moralium, fortitudinem refert: fortes enim et hi videntur, qui ira feruntur. Idem: 'Ira,' inquit, 'subministrat bilem fortitudini.' Qui autem propter hæc agunt, pugnaces quidem sunt, et non fortes: non enim ob honestatem agunt, aut ut ratio præscribit. *Bad.*

Cap. 59 *Signa canere*] Fuere apud veteres tubæ, cornua, buccinæ: tubas et cornua Tyrrhenorum inventum esse dixit Athenæus. Σάλπιγξ Græcis proprie, quæ Latinis tuba. Hæc ex ære recto, ut cornua ex ære flexo et in se recurvo, ad similitudinem veri cornu, vel quod olim revera ex cornu bubulo fierent, quæ postea ex ære facta sunt. Ovid. 'Non tuba directi, non æris cornua flexi.' Formam autem oblongam et directam et concavam Latini tubum dixerunt, a Græco τύπος, atque hinc tuba. Unde forma in aquæ ductibus, pro tuba. *Salmas.*

Signa canere] Vocantur et tubicines æneatores. Romæ autem et in castris longe diversissimus tubæ et cornu usus, vel æneatorum et Cornicinum. Romæ æneatores comitia tributa convocabant, Cornicines centuriata. In castris ad tubicinem milites tantum movebantur, ad Cornicinem etiam signa. Et cum in militem animadvertebatur, extra portam Decumanam, ut et Romæ exercitus, seu comitia centuriata convocabant, cum in caput civis Romani animadvertebatur, deducebaturque reus per Esquilinam portam. Unde classicum dictum, quod non nisi classis et exercitus per cornua evocarentur. Glossarium, *Classicarii* σαλπισταὶ, *qui sunt cornicines, et tubicines.* Latini quoque vocant buccinatores. *Scal.*

Deinde remotis omnium equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior esset] Manuscriptum, *dein:* idque rectius. Venetum, *remotis omnibus equis:* id perperam. Nam et Hirtius eodem fere modo quo Sallustius: 'Cæsar,' inquit, 'primum suo, deinde omnium e conspectu remotis equis, ut æquato omnium periculo,' &c. Est et in quibusdam, *quo peditibus;* velut in Veneto, Argentoratensi, aliis plerisque. Nos hoc in medio relinquemus. *Rivius.*

Ab dextera rupe aspera] Sic et Fulvii liber. Alii, *A dextris rupes aspera.* utrumque recte. *Manutius.*

Ab dextera rupes aspera] Sic quidem ab emendatrice manu membranæ excellentiores: verum fuerat ibi initio tantum, *rupe:* alterum tamen in ceteris visitur; nisi quod in nonnullis sit, aut, *dexteram rupem asperam*, aut, *dextera rupem asperam.* Gruterus.

Cohortes] Ex manipulis conficitur cohors. Ea vox Græcanica, quod clausum vel septum in anteriore domo vel villa Χόρτον illi dixerunt. Latini cohortem vel chortem; nam et sic scribebant. Martialis *raucæ chortis aves* inde dixit. Cohors autem habuit tres manipulos, Hastatos, Principes, Triarios; adde et Velites, qui manipulos solebant comitari. Fuit igitur justa et plena cohors legionaria homines 420. si pleniores manipuli et

legiones, plenior et ipsa; et inde cohortes quingenarias et sexcenarias legimus. Græci cohortem vulgo vocant σπεῖραν, ut et Ennius usurpavit. Suidas *spiras* interpretatur numeros. Cohortes in legionibus omnes erant numero æquales, quia et manipuli tales. Sed quia primæ dignitas aliqua attribuitur, id non a numero, sed a splendore et primatu fuit, quod primi in ea centuriones generis cujusque, et forsan flos aliquis et electio virorum. *Lipsius.*

Reliqua signa in subsidiis locat] Quid si legamus? *Reliquas in subsidiis artius collocat,* ut ad cohortes præcedentem vocem referamus; nam infra dixit: 'Ille cohortes veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte; post eas ceterum exercitum in subsidiis locat.' V. c. habet: *Reliquarum signa in subsidio artius collocat.* Quæ scriptura nostram conjecturam aliquo modo confirmat. Paulo post v. c. habet, *inermos,* quomodo Tacitus, *semermos.* Ursinus.

Reliqua signa] Codices quidam habent, *reliquarum signa:* ut ad cohortes reliquas referatur. Vetus codex, *Reliquorum.* Glar.

Ab his centuriones omnes, et evocatos] V. c. *Ab his centuriones omnes lectos, præterea, &c.* sed verbum *lectos,* glossema est vocis, *evocatos,* quæ in v. c. desideratur. Nam Servius in Æn. l. II. sic citat hunc locum: 'Ipse ab his omnes evocatos et centuriones, præterea,' &c. *Ursinus.*

Ab his centuriones omnes lectos et evocatos, &c.] Reduxi illud *lectos,* suasu omnium Mss. et vetuste cusorum; temere a Carrione, et sequacibus ejus, exclusum: nam ineptum fuerit cogitare omnes centuriones ablatos: non reliquit quot satis essent ordinibus curandis, excerpsitque lectissimos quosque. *Gruterus.*

Centuriones] Centuriones Consulum jussu aut permissu a tribunis electi, ex suo quisque genere, sæpe tamen virtutis causa e genere in genus ad honestiores ordines transferebantur. His assignabantur ordines per eosdem tribunos. Electio Centurionum duplex: prima electione eligebantur 30. totidem altera, nempe ex quoque numero, genere, situ, seu manipulo decem. Qui primo electus, nempe primopilus, eminuit; etiam eo, quod more et jure ad consilium militare veniret, in quod primo omnium Legati veniendi jus habebant, et tribuni; igitur parte quadam istis æquabatur. Interdum plerique omnes centuriones advocati in consilium, sed pro tempore, ac arbitrio Ducis magis, quam more. Interdum Equites admixti, digniores scil. militum, et Centurionibus æquandi. *Lips.*

Evocatos] *Evocati* dicebantur, qui ex provinciis sociisque civitatibus, æquo jure et fœdere junctis, non Latini nominis, militiæ munere fungebantur: qui non milites, sed pro militibus habebantur: auctore Servio in 8. Æneidos commentario: 'Evocatio,' inquit, 'militaris fiebat, cum ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus.' Evocatos autem fuisse honoratioris loci testantur Historici. Cæsar: 'Erat Crastinus evocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primipilum duxerat in legione decima' *Zanch.*

Optimum quemque armatum in primam aciem subducit] Hunc locum Clarissimus Lipsius in antiquitate Romana versatissimus ita interpretatur l. IV. de milit. Rom. Dial. IV. 'Ecce,' inquit, 'Centuriones omnes lecti et evocati in fronte statuuntur, sed præter morem sunt. Nisi esset, cur Sallustius signanter narraret? sed factum, ut robur omne illic haberet, et vi perrumperet ac laceraret. Non ergo omnes ibi de more Centuriones, imo tantum hastatorum: sed nec evocati omnes, duntaxat qui et sponte vellent, aut qui manipulo pro Centu-

rione essent.'

Aciem] Græcis, ἀκὶς, ἀκὴ, est cuspis, acies ferri. hinc acies, et quia ferro res agitur in bello, pro armato exercitu, cujus ordines ad pugnandum constituti sunt. Livius universum exercitum in tres partes distribuit. Primam aciem hastatos facit, id est, leves milites, ac scutatos, in eamque pubescentes ad militiam omnes conjicit, alteram Principes una cum scutatis, quos antepilanos vocabant: tertiam ex quindecim ordinibus constituit, quorum unusquisque tres partes haberet, earum unamquamque primum pilum vocabant: ex tribus vexillis constabat, Triariorum, Rorariorum, Accensorum, quorum rorarii inter antepilanos primo procurrebant, deinde etiam accensi eo procedebant, ut tum denique viribus hostium vel exhaustis, vel debilitatis, integri et recentes triarii pugnam capesserent. Polybius l. VI. eundem fere ordinem, sed clarius, describit. Legionem quadrifariam dividit, in pilarios, minimos natu, hastatos, ætate iis proximos, principes florentissimis annis, et triarios maximos natu, pilanos quidem, hastatosque et principes millenos ducenos, triarios autem sexcentos. Si major fiat legio, proportione partes augeri dicit, exceptis triariis, quos semper efficiant pares. Porro non uno semper modo acies instructa fuit, sed diversis, quod videre est tum apud Cæsarem, in ipsius Commentariis, tum apud Ælianum in libro singulari de instruenda acie, ad quos harum rerum studiosum lectorem remitto. Gellius x. 9. aliquot vocabula militaria, quibus instructa certo modo acies appellari soleat, recenset: qualia sunt; frons, subsidia, cuneus, globus, forfices, serra, alæ, turres, eaque dicit inveniri in libris eorum qui de militari disciplina scripserunt. atque ea de re egit Cincius l. VI. de Re mil. citante Gellio XVI. 4. *Rosin.*

Ipse cum libertis et calonibus] Perspicue vera est hæc lectio, quam reposuimus ex codice consultissimi Cujacii, pro vulgata et recens immissa, *cum libertis et colonis*. Glossæ, Calo, δοῦλος δημόσιος, σκευοφόρος. Item: θεράπων, ὑπηρέτης στρατιώτου, Calo. Acro ad Sat. II. l. I. Bongarsii liber *colonibus*. Seneca ad Lucil. Epistola CX. 'Quoties occurrit, domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.' Vide Ciceronem de natur. Deor. III. Pers. Satyr. v. Horat. I. epist. XIV. et eorum interpretes. Festum Pompejum et alios. *Putschius.*

Cum libertis et calonibus] Sic ex Cujaciano Putschius, et secutus est Gruterus, quia in Naz. et alio *colonibus*, illud *colonis* non sit nauci: pro quo nonnulli codices *coloniis*, *coliniis*, *conlocationis*: itaque nescio quid de cohorte prætoria suspicatur. Salmasius probat *colonibus* ad Hist. Aug. et *colones* interpretatur clientes. Sed quicquid dicant, verum est *colonis*, quod nos quoque in membranis aliquot scriptum vidimus. Hi sunt veterani Sullæ positi ab eo in coloniis militaribus, civili præda subito locupletes, et ea per luxum ac dedecus consumpta novo motu novam proscriptionem quærentes. Hos ita describit Cicero secunda in Catilinam: 'exercitum collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis mendiculis et decoctoribus.' Et rursus: 'Tertium genus est ætate jam confectum, exercitatione robustum: quo ex genere est ille Manlius, cui nunc Catilina successit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Fæsulis Sulla constituit, quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt.' Pro Muræna: 'Catilinam inflatum cum spe militum, tum collegæ mei, quemadmodum dice-

bat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Aretinorum et Fæsulanorum exercitu.' *Gronovius.*

Aquilam] Illud notabile, quod Dio scribit, templo parvo Aquilam impositam, vel, quod potius, ipsum aquilæ impositum. In columna Trajani qua conspicitur Aquila, quadratum illud, quod Aquilæ imponitur, effigiem sacelli quadrati non male refert, vel etiam aræ: atque hic etiam licet argutari Aquilam fulguris esse ministram. Nam Jovi eam fulmen ferre fabulantur veteres. Hæc itaque inter signa militaria recepta et sacrata. Quemadmodum autem fulguri, quod in terras ceciderat, eo loco, quo condebatur, solebat veluti sacellum imponi vel ara in summo foraminata; ita etiam Aquilæ fulminis ministræ et signorum sacratissimæ hujusmodi imponebatur ædicula, ad testandam ejus divinitatem quandam, et ad religionem sanciendam. Quod in aliis signis non fiebat, quamvis et ipsa sacrata haberentur. Fallitur autem Lipsius, qui locum Dionis de Sacello castrorum exponit, in quo signa reponebantur. *Salmas.*

Bello Cimbrico.] Cimbros Teutonosque e Germania veteri in Galliam transiisse bonitate agri illectos arbitror: nam illos avitarum sedium ad Germanicum mare prope Saxonas jam tædebat. Proinde facto per Chaucos et Frisios itinere trans Rhenum, in ultimis Galliarum oris ad Septentrionalem Oceanum consedere, inde per Galliam errabundi ad Rhenum usque venere, ibique sedes figere constituerant. Dum autem vagarentur in Gallia, conjunxerant se illis Tigurini AmbronesqueGallicæ nationes, et ipsæ regnis suis pulsæ novas sedes quæritantes. Itaque ferociores facti virium incrementis, cum terram a Romanis tanquam stipendium dari sibi postulassent, et repellerentur, contra legatos armis insurrexerunt, Sullanoque et Servilio Cæpione ac M. Manlio fugatis, castrensi præda, et quidem ingenti, potiti sunt. Hos postea vicit C. Marius, partim in tractu Cottiarum Alpium ad Aquas Sextias, partim in Italia, in Campo Raudino, uti ex historiis notum est. Tacitus quoque veterem Germaniam describens: 'Eundem,' inquit, 'Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens; veterisque famæ late vestigia manent; utraque ripa castra ac spacia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, et tam magni exitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat quum primum Cimbrorum audita sunt nomina.' Etiam Ptolemæus et Pomponius Cimbrorum ac Teutonorum maritimarum nationum in descriptione Germaniæ meminerunt. Etiam eorundem, ne ceteros nominem, D. Hieronymus eodem modo in Epistola ad Gerontiam meminit. *B. Rhenanus.* Cimbri autem et Cimmerii a Gomer nomen accepisse putantur. Festus tamen ita scribit: 'Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur.' Quod a vero profecto non alienum videtur. *Kemper* enim nostrati lingua pugnatorem denotat. Sic et Sicambros quasi pro victoria dimicantes appellatos fuisse, Aventinus observavit. *Sych* enim nostratibus victoriam denotat; quinetiam ipsis hodieque Cimbris. Quod autem Cimbros Gallis latrones dictos affirmat, idem est, atque si dixisset, viros militares, bellatores. Ita apud Nonium Gracchus: 'qui apud regem in latrocinio fuisti et stipendia acceptasti.' Itaque non in totum admittendus est Scaliger, cum dicit: 'Cimbri ληστρικοὶ καὶ πλάνητες fuerunt: sed non magis Cimber latronem significat, quam Isaurus piratam, Ambro dissolutum ac voracem, Opicus obscœnum. Sed quia tales fuerunt eæ nationes, de earum no-

mine vocamus qui tales sunt.' Vid. Scal. in Festum. Joh. Pontan.

Ille cohorteis veteranas, quas tumultus caussa conscripserat] Legendum, *quas tumulti caussa*, idque Sallustianum magis, nec aliter Nonius Marcellus. Sic apud eundem Ennius: 'Quid hoc tumulti est?' pro, tumultus: sic Terentius, 'Nihil ornati, nihil tumulti.' Sic Sallustius ante, 'Senati decreto, pro senatus.' *Rivius.*

In fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat] Sic supra, 'octo cohortes in fronte constituit, reliquas in subsidiis arctius collocat.' Nonius tamen in voce *tumulti*, sic legit: *In frontem positas, ceterum exercitum in subsidio locat.* Et verisimile est ita scripsisse Sallustium: nam Tacit. Annal. III. dixit, 'In frontem statuerat ferratos; in cornibus cohortes; a tergo semermos.' Et de vita Agricol. 'Veritus ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnarent.' *Ciacconius.*

In subsidiis locat] Hanc lectionem ipse probo, quamvis in quibusdam sit *collocat:* sed eodem sensu. *Rivius.*

Equo circumiens unumquemque nominans] Meus lib. *quemque nominans.* Ciacconius.

Equo circumiens] Mirum quam hic hæsitent Commentatores, ac contraria et sentiant et exponant in re non admodum difficili. Ego per *ille*, Petreium, intelligo: per *Ipse*, Antonium: quod Lector ipse, simul atque priora cum sequentibus conferet, facile intelliget. *Glar.*

Pro aris atque focis certare] Bongarsii liber, *cernere*, nostri tamen pertinaciter propugnant alterum. Unde colligamus jam ab aliquot centum annis, mire glossographorum spleniis obductum auctorem. *Gruterus.*

Tribunus] Militum, scilicet, et Tribunorum militarium duo erant genera. primum eorum qui Rufuli dicebatur: hi in exercitu creari solent; quod et Livius, l. VII. Decad. I. scribit: 'Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam et antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant) sunt comitati, qui Romæ comitiis designabantur.' Jurisconsultus in titulo de Re militari sic scribit: 'Officium tribunorum est, milites in castris continere, et ad exercitationem producere, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere: et equites, ordinumque ductores omnes oriente luce accedunt ad tribunorum tentoria; Tribuni ad Consulum, ille quod instat agendum tribunis edicit; tribuni equitibus, ordinumque ductoribus; hi multitudini promunt tempore opportuno.' *Zanch.*

Aut præfectus] Præfectus legionis absentis legati vicem tenebat. Parebant ei tribuni hastati, pilati, centuriones, et denique totius exercitus arma. *Idem.*

Aut legatus] Unus enim quisque consul legatum habebat, quo præcipuo consultore ac ministro consiliorum in rebus regendis, delectuque habendo, totaque administranda provincia utebatur; quorum consilio et auctoritate vel prælia suscipiebant, vel bello abstinebant: qui etiam decreta consulum, et arcana consilia sæpissime exsequebantur cum fide et cura, ut supra dictum. *Idem.*

CAP. 60 *Sed ubi omnibus rebus exploratis, &c.*] Adverbium, *ubi*, expunxit aliquis corrector in Com. si me foret arbitratus, ei præterea socium adjungerem, *sed.* Gruterus.

Ferentarii] Qui levi sunt armatura milites instructi ad bellum, ut fundis et lapidibus, ense, telis et his armis quæ feruntur, non quæ tenentur: hos Varro a ferendo etiam dictos putat; verum eodem teste equites dicti sunt ferentarii, qui eo modo habebant arma, quo feruntur, ut jaculum; ejus-

modique equites pictos vidisse se inquit in Æsculapii æde vetere, et ferentarios asscriptos. Cato autem eos *referentarios* dixit, quod tela ac potiones militibus pugnantibus ministrabant. *Valtur.*

Maximo clamore cum infestis signis concurrunt] Ita referebant, præter antiquitus edd. membranæ emaculatiores consensu summo; Commelinianus inquam, ac Pall. prim. sec. tert. quart. quintus, quibus pro bonitate sua eum numerum inposui: nam sextus primum degenerat, habetque, *cum infestis signis utrimque concurrunt:* cui et adstipulatur octavus: quippe septimus ac duodec. ea voce liberi sunt, habentque ipsam alio loco; nonus quidem, dec. undecimus, hac specie: *utrimque maximo clamore cum infestis signis concurrunt.* Videretur elegantius, *maxumo clamore, infestis signis concurrunt*, ut repræsentavit Carrio: sed quis præscribet membranis? emendationes conjecturales inferre in contextum nefas duco: notis illinere fas: quod facio. *Gruterus.*

Pila] Missilia, quibus utebatur pedestris exercitus, Pila vocabantur. *Zanch.*

Pila] Pilum telum ligneum habet longitudine plerunque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum unius spithamæ sive palmi majoris, eo usque attenuatum et acutum, ut mox primum post actum necessario flectatur, sitque inhabile sd remittendum. Alioqui commune fieret telum. *Polyb.* Ferrum trigonali figura novem unciarum fuisse Vegetius auctor est: erant autem pila Romanorum, sicuti *Gœsa* Gallorum, auctore Varrone. Servius ad illud Virgilii Æneid. VIII. 'Duo quisque Alpina coruscat Gœsa manu, scutis protecti corpora longis.' *Gœsa* interpretantur hastas viriles: nam etiam viros fortes Galli *Gæsos* appellant. Quod vocabulum etsi hodie per contemptum de homine vappa et mendicante dicatur, antiquis tamen in alio usu fuit. Sed ad rem. Obiter addendum ab his pilis pilatum agmen veteribus dici, quasi pilis confertum, densumque. Erat enim juxta Varronem duplex agmen: quadratum, quod immistis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere; pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. Veruta porro et Pila conjunxit Ammianus, l. XXVII. et Vegetius l. II. c. 15. duplex Romanis esse Pilum docuit, majus et minus: quorum illud pilum vulgo, illud inquit, tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Forsan ibi legendum *veruculum*, qua voce Plinius usus. Vide *Becmann.*

Pila] Duo Pila militi erant, unum majus idque rotundum, diametri palmaris, vel etiam quadrangulum, magis crebrum et vulgarius: alterum minus, simile venatoriis hastis. Sibuna vel Sibyna huic minori similis. Fuit autem Sibuna venaculum sive jaculum venatorium: καπροβόλιον explicat Hesychius, id est, telum figendis apris. Pilorum istorum longitudo in ligno fere tres cubiti, totidem in ferro, quod habet hamatum, sive uncinatum, retro mucronem hamo satis lato: ne telum semel impactum facile esset evulsu. Erat pilum ponderosum et lentum, quia ferri pondus et gravitas talia faciebant, præsertim nullis adjutum pennis. Inerat et vis telo tanta, ut obvia quæque perfringeret, et arte directum scutatos pedites, et loricatos equites sæpe transverberaret. Sed notandum, ferrum in pilo non extitisse seorsim, ac totum prominuisse, sed partem ejus circiter dimidiam fuisse infixam vel affixam ligno. Eminuit ergo in mucronem et mansit cubitus et semis, alter ille modus periit in ligno. Itaque justa magnitudo pili totius fuit IV. cubitorum et semis, id est, pedum VII. paulo minus. Superavit ergo mensuram hominis, ideoque Si-

lius niti in ea milites facit. Sed hic pilum forma et magnitudine decrevit in ferro ævo inferiori: ferrum enim trigonum non tetragonum fuit. Idemque non nisi pedale. Et vox ipsa alio ivit, et videntur hastæ sic dictæ. Apud Belgas tamen hodie adhuc vox perseverat, qui sagittam vocant *pyl.* Ferrum autem ligno astringebatur crebris fibulis, non enim tubum vel auliscum tam grandem habuit ferrum, in quem lignum immitteretur, sed potius duas utrinque alas ferreas, quas fibulæ istæ comprehenderent, et firmarent. *Lips.*

Interea Catilina cum expeditis militibus in prima acie versari] Tò *militibus* non est in manuscriptis, et impressis antiquioribus. *Rivius.*

Arcessere] Existimat Priscianus, *arcesso* idem significare, quod *accerso*, dicique ab *arcio*, quod nunc *accio* dicimus, quod et locus hic declarat: sed *arcessere* significat accusare, et ab *arceo* nascitur: nam alium accusare, a maleficiis arcere est. inde a Cicerone dictum est, *arcessitur majestatis:* id est, accusatur crimine majestatis. *Accersere* vero, evocare, vel ire ad vocandum. *Zanch.*

Multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire] Videri posset, alterum membrum a glossargis: nisi *ferire* poneretur ut illud Ennii: 'Hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis.' *Gruterus.*

Strenui militis, et boni imperatoris officia, simul exsequebatur] Videtur respexisse ad Homericum versum, quem de Agamemnone scripsit. *Popma.*

Magna vi tendere] Sic bene Carrio, eique adstipulantur Mss. nostr. male antea, *contendere.* Gruterus.

Cohortem Prætoriam] Erat et quædam cohors prætoria veluti extra ordinem edecumata, et grandis, quæ a Prætore non discederet, a Scipione Africano instituta. In hoc fere adoptati et adscripti amici et voluntarii, etsi alii fortibus potius viris implebant. Hi dicti Prætoriani; eorum arma, thoraces squamei, et scuta imbricata. Veteres unam solam habebant cohortem Prætoriam; postea per bella civilia auctæ. Augustus Romæ circa se habuit novem cohortes prætorias, firmamentum imperii et postea pestem. Talis fuit apud Macedonas cohors regia. *Lips.*

Lateribus] Id est, cornibus. Acies fere duplex aut triplex. Duplex, cum tota acies in cornua duo secta, dextrum et lævum. Ea sæpissime obtinuit in exercitu consulari, cum duæ legiones, et singulis sua auxilia adjuncta. Hæc sectio vetus et aliis quoque gentibus usurpata. Triplex autem est, cum præter cornua, alia etiam media exurgit. Id quoque crebrum, non solum ubi plures legiones, sed et cum duæ, istis scilicet in medio positis, sociis ad utrumque cornu. Sed est et alia ratio duplicis triplicisque aciei, cum præter simplicem illam divisionem, a tergo etiam sectio fit et discrimen: ut si quatuor legiones habeam, duas in fronte cum sociis suis pono, totidem a tergo suppono. Hæ præcipuæ ac receptæ Romanis instructiones, quas tamen leviter variabant promovendo, aut retrahendo. *Idem.*

Seque cum paucis relictum videt; memor, &c.] Haud aliter Pall. pretii gravioris; hoc est octo novem; item meus Commelinianus: editi inseruerant, *videt Catilina; memor:* non necessario æque enim hic abesse potest, ut vox *Romanos*, supra capite sexto: 'Igitur reges populique finitimi bello tentare.' *Gruterus.*

Memor generis] Familia Sergia a Sergesto Trojano, Æneæ comite, originem duxisse creditur. Quemadmodum testatur Virgilius Æneid. v. 'Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen, Centauro invehitur magna.' *Benn.*

Cap. 61 *Cohors prætoria*] Vide supra. c. 60.

Paullo diversius jacebant, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderant] In manuscriptis non est *jacebant*, et citra detrimentum sensus abesse poterit. *Rivius.*

Paulo diversius, sed omnes tamen adversis, &c.] Sic omnes antiqui lib. Carisius autem l. II. Prisc. l. XII. et Diomedes l. I. legunt, *Alis alibi stantes, omnes tamen adversis vulneribus conciderunt;* sive, ut apud Diomedem, *ceciderunt.* Alis autem pro alius, antique dictum. Priscianus libro XV. 'Aliter,' inquit, 'ab eo quod est, hic alis, hujus alis, huic ali, pro, alius, alius, alii, secundum supradictam analogiam profertur.' Lucretius autem libro primo, 'Quando alio ex alio reficit natura; nec ullam Rem gigni patitur.' Item: 'Sic alio ex alio per te tute ipse videre Talibus in rebus poteris.' Et 'namque alia ex alio clarescet, nec tibi cœca Nox iter eripiet.' Et libro II. 'Sic alio ex alio nunquam desistit oriri.' Et libro V. 'Sic alio ex alio peperit discordia tristis.' Catullus quoque de coma Berenices: 'cum regium adepta es conjugium, quo non fortior ausit alis.' Varro Meleagris apud Nonium Marcellum: 'Cum etiam aliis Menandri tunicam demissam habeat ad talos.' *Manutius.*

Paullo diversius, sed omnes tamen adversis vulneribus, conciderant] Hæc est concors lectio membranarum omnium, tam Pall. quam earum quas excussere alii. Neque sequius quoque in eis quas contulit sagacissimus Bongarsius. Eadem quoque lectio in Commel. meo, nisi quod is voce postrema, *occubuerant;* illud, *paullo diversi, aliis alibi stantes, omnes tamen, &c.* quod e Grammaticellis auctori nostro primum induxit Carrio; pus est et venenum: itaque dignum latrina tantum, et sellis Patroclianis. *Gruterus.*

Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est] Iisdem verbis utitur Florus l. IV. c. 1. qui hoc amplius: 'Pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.' Sallustii autem verba hæc in Virgilii librum Æn. I. recitat Servius. *Manutius.*

Inter hostium cadavera] Servius *inter hostilia cadavera* legisse videtur, ut paullo infra. *Ciacc.*

Paullulum adhuc etiam spirans] Fabricianum, *paullum etiam spirans,* nec vero secus in impressis vetustioribus; nisi quod *paullulum* in his reperitur. Forsan aliquis *etiam,* pro *adhuc* positum annotarat. Id postea irrepsit in contextum. Quamvis non negem, hæc conjungi simul posse, velut apud Ciceronem, 'Facinus fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum.' *Rivius.*

Ingenuus] *Ingenuus* est, qui ex matre libera natus est, vel is, qui statim, ut natus, liber est. Antiquitus ingenui dicebantur, qui patrem ciere possent, hoc est, ex legitimo matrimonio suscepti, qui iidem et patricii dicebantur. Livius l. X. 'An Romæ unquam fando audiistis, Patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos?' Hæc Livius, qui non obscure ingenuos iis opponit, quos posterior ætas spurios, recentior vulgo conceptos appellavit. Festus autem sub voce *patricios* locum illum Livii dilucide confirmat: 'Patricios,' inquit, 'Cincius ait in lib. de Comitiis, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocantur.' *Hotom.* Illud obiter notandum, ab antiquo γίνομαι vel γεννάω fieri antiquum *geno* pro *gigno, g* interjecto, ut etiam apud Græcos γείνομαι, γίγνομαι, γίνομαι. *Geno* quoque dicitur apud Varronem et Ulpianum: 'Si qua filia mihi genitur, ei heres meus centum dato.' Hinc *ingenuus, ingenitum,* proprie, *natura inditum.* Ita Lucretius 'ingenuos fontes,' et Ausonius 'ingenuam aquam' dixit. *Becmann.* Atque hinc *ingenuus* dicitur,

qui ex meliori natura, ex parentibus liberis natus est.

Nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat] Quamvis Laurent. Valla in quibusdam repererit, *strenuus quisque*, tamen exemplar manuscriptum quod penes nos est cum vulgata hodie lectione facit. Sed et Cato de re rustica; 'Et ex agricolis,' inquit, 'et viri fortissimi, et milites strenuissimi gignuntur.' Et Corn. Tacitus l. xx. 'Sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri.' *Rivius.*

Occiderat in prælio] Tristis semper belli civilis exitus. Nam vincere et vinci Reipublicæ calamitosum est. Illa enim victoria non externo, sed domestico sanguine paratur. Unde Lucanus l. I. Bell. Civil. 'Usque adeo miserum est, civili vincere bello.' Et Cicero Epist. l. IV. Epist. 9. 'Omnia sunt misera in bellis civilibus, quæ majores nostri, semel quidem; nostra ætas sæpe jam sensit. Sed miserius nihil quam ipsa victoria.' Et idem l. x. epist. 6. 'Extremum malorum omnium est civilis belli victoria.' *Benn.*

Amicum alii, pars hospitem] Tristis belli civilis exitus. Lucanus l. IV. 'Postquam spatio languentia nullo Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus, Et fratres natosque suos videre, patresque; Deprensum est civile nefas.' Valerius Flaccus l. III. 'Cognoscit in alta Strage virum sua texta parens, sua munera conjux.' *Putschius.*

Hospitem aut cognatum reperiebant] 'Instructi exercitus,' inquit M. Seneca Controv. l. II. Controv. I. 'sæpe civium cognatorumque conserituri manus, constiterunt, et colles equis utrimque complentur, et subinde omnis regio trucidandorum corporibus consternitur, illatorum multitudine cadaverum vel spoliantium. Si quæsierit aliquis, quæ caussa hominem adversus hominem in facinus coëgit? Nam neque feris inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem deceant. Placidum, proximumque divino genus, quæ tanta vos fert ira, cum una stirpe, ejusdemque sanguinis sitis; vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? Quid tantum malum humano generi, vel sorte vel fato invectum? An, ut convivia poculis exstruantur, et tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit?' *Benn.*

Hospitem] Sciendum est, antiqui moris fuisse, ut hospitii necessitudo non modo inter privatos, sed etiam inter populos contraheretur. Conjungendi autem hospitii mos inter privatos hic fuit; cum quis peregre proficisceretur, ut e servis aliquot præmitteret ad urbem eam, ubi diversurus esset, qui inquirerent, an domini hospes amicusve paternus ibi quisquam esset. Si nullus erat, quærebant diversorium: si nullum erat, magistratum adeuntes, hospitalitatem postulabant: sibi vero quamque a magistratu datam capiebant: nonnunquam tamen usuveniebat, ut utriusque hospitis voluntate hospitium jungeretur, cum uterque alterius virtute illectus hanc hospitalitatem postulabat, et hujus privati hospitii nota pignusque erat tessera hospitalis: ut ille apud Plautum ait in Pœnulo: 'Deum hospitalem et tesseram mecum fero.' Livius l. v. de Tisimatheo Liparensi loquens: qui legatos Romanorum hospitio exceptos ad Delphos usque deductos, retro in urbem hospites reduxerat. 'Hospitium,' inquit, 'cum Senatusconsulto factum est, donaque publice data.' Cæsar in Commentariis de Heduis loquens: 'Quibus præliis calamitatibusque fractos, qui et sua virtute, et populi Romani hospitio atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare.' Hospes autem dicitur tam qui recipit, quam qui recipitur. Unde

Ovidius: ‘ Non hospes ab hospite tutus.’ Arctum autem necessitudinis hujus fuit olim vinculum, atque etiam divina reverentia sanctum, quod juris hujus disceptationi præfecit antiquitas Jovem hospitalem, eum appellans et invocans, quasi hospitii præsidem et vindicem. *Zanchius.*

Hospitem] Fuit antiqui moris tesseram hospitibus dari dimidiatam, quam quicunque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset, et hospitio accipi tanquam amicus et vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat; propterea tesseram hospitalem diligenter asservabant, uti ex Plauto in Pœnulo patet. Atque is tesseram hospitalem fregisse dicebatur, qui jus hospitii violaverat, hoc est, ut ait Erasmus, qui sibi reditum in domum aliquam præcluserat.

Luctus atque gaudia agitabantur] Et hoc bene Carrio, neque abeunt Pall. nam editi prius, *gaudium:* quod quis etiam exoriretur, qui controversiam moverit voci, *agitabantur,* tanquam supervacuæ; ei equidem, clam palamve assensionem meam commodaverim. *Gruterus.*

COROLLARIUM

DE SALLUSTIO

QUÆDAM DISSIMULANTE IN CATILINÆ HISTORIA.

MULTA de Cicerone Sallustius in historia Catilinæ silentio prætermisit, eaque cum primis, quæ præcipue ad eximiam et singularem Ciceronis gloriam spectarent: consultone, ut qui ejus esset inimicus, an vero imprudens, haud facile dixerim. Eo tamen potius inclinat animus, ut dedita opera Sallustium hæc de industria omisisse credam, et illam historiæ legem, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, in his prætermittendis neglexisse, quæ nequaquam fuerint silentio prætereunda. Eorum hic aliqua subjicienda esse duxi.

I. Primum igitur Ciceroni gratiæ sunt amplissimis verbis actæ, quod virtute, consilio, prudentia sua Remp. periculis maximis liberasset: idque sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, tanta pace, tanto ocio, tanto silentio, ut ipsemet Cicero 3. Invectiva in Catilinam. De hoc verbum nullum Sallustius.

II. Dein Pater patriæ est a Q. Catulo ac M. Catone frequentissimo senatu nominatus: nec de hoc Sallustius quicquam. Juvenalis vero, 'Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.' Et in VII. Plinius. 'Salve,' inquit, 'primus omnium Parens Patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguaque lauream merite.'

III. Præterea ejus nomine decreta Diis immortalibus supplicatio est: qui honos ante Ciceronem togato contigit nemini. 'Atque his decreta verbis est,' ut ipsemet inquit, 'quod urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberasset. Quæ supplicatio,' inquit, 'si cum ceteris conferatur, hoc intersit, quod ceteræ de rep. bene gesta, hæc una conservata rep. constituta est.' Ne hujus quidem facta ab eo mentio.

IV. Ad hæc L. Gellius ei civicam a repub. deberi dixit. Est hoc quoque silentio præteritum, ut cetera pleraque, dum adversarium Crispus debita commendatione defraudat. Sed audiamus, quod ipsemet Cicero

in Pisonem de hoc atque aliis ad gloriam suam spectantibus: 'Me,' inquit, 'Q. Catulus, princeps hujus ordinis, et auctor publici consilii, frequentissimo senatu parentem patriæ nominavit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi a rep. dixit. Mihi togato senatus, non, ut multis, bene gestæ, sed ut nemini, conservatæ reip., singulari genere supplicationis, Deorum immortalium templa patefecit.' Idem ad Atticum, Cn. Pompejum affirmat in senatu, non semel, sed sæpe, multis verbis Ciceroni salutem imperii atque orbis terrarum adjudicasse.

V. Postremo statua eum inaurata Capuæ decuriones decorarunt, et patronum adoptarunt, propter salutem illius urbis consulatu conservatam suo: ut ipsemet pro P. Sestio testatur. Sed et in Pisonem: 'Quorum Capuæ,' inquit, 'te prætextatum nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei, cujus consilio cum universam remp. cum illam ipsam urbem meminerant esse servatam. Me inaurata statua donarunt, me patronum unum asciverunt, a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur.' Hæc Cicero. Sed quid de hoc uspiam Sallustius? Quasi vero et hæc, et hoc genus alia non multo ad rem magis facerent, quam aut illa veterum Romanorum laus, deque corruptis seculi sui moribus querela: aut vero tam libenter ac prolixe tributum Cæsari Catonique præconium. Quorum ut uterque fuerit merito laudandus, Cæsaris tamen in laudibus, quum et ipse sit conjurationis creditus particeps, tamdiu commorari, supervacaneum esse mihi videtur, ne dicam præter decorum. Nam illa de origine Urbis et corruptis populi Romani moribus, initiisque motuum civilium, sive a proposito digressio, seu verius, altior repetitio, utcunque nominare lubeat, nec aliena prorsus ab historiæ argumento videtur, et Lectori accidit non ingrata. Sed de hoc jam satis, modo unum addidero. Mire Sallustius hoc dissimulat, Cæsarem fuisse inter conjuratos habitum: qua de re tam multa interim Suetonius, cujus cum primis probatur in historia fides. Nam his in suspicionem venisse illum testatur, quasi conspirarit cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et Autronio, post designationem consulatus ambitus condemnatis. Cujus conjurationis meminerunt Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in Orationibus: de qua et Cicero in quadam ad Actium epistola significare videtur. Sed et auctores esse ait, qui cum Cn. etiam Pisone conspirasse Cæsarem testentur. Nam fuisse inter socios Catilinæ nominatum, et apud Novium Nigrum quæstorem a L. Vettio indice, et in Senatu a Q. Curio; quorum hic e Catilina sese cognovisse diceret, ille chirographum quoque ejus Catilinæ datum polliceretur; Suetonius ipse confirmat: quantumvis hoc dissimulare noster studeat. Itaque an hic nulla gratiæ in scribendo sit suspicio, aliorum esto judicium. *Rivius.*

NOTÆ VARIORUM

IN

BELLUM JUGURTHINUM.

Bellum Jugurthinum] Jugurthinum ortum est anno U. C. DCXLII. P. Scipione Nasica, et L. Calpurnio Bestia Coss. Fuit autem hoc bellum atrocissimum, et in Jugurtha erat (ut Flori verbis utar) quod post Annibalem timeretur. Sicut autem alia fere omnia bella, ut ex Livio cognoscimus aliquid monstri præcessit, ita hoc quoque. Nam P. Scipione, et L. Calpurnio Coss. maxima pars urbis, cum æde Matris magnæ fuit exusta: lacte per triduum pluit, ut testatur Jul. Obsequens. Præstat sane hunc librum prius legere, quam Catilinarium, ut series temporis observetur. Nam bellum Jugurthinum, ut supra dictum, anno U. C. DCXLII. gestum est; Catilinarium DCXC. M. Tullio et C. Antonio Coss. Itaque consultum esset, ordinem vulgatum horum librorum immutari, et Jugurthinum Catilinario bello præponi. Descripserat hoc bellum Livius quoque, sed ii libri interciderunt. *Coler.*

CAP. 1 *Falso queritur de natura sua* [illegible] *humanum*] Pall. nec eodem loco, nec eodem modo scriptum habent pronomen. Nam sept. *de sua natura,* oct. *de natura sui:* at Commeliniano meo totum abest: puto licet. *Gruterus.*

Falso] Non solum vulgus, sed etiam doctissimi plerique viri (ut apud Strobæum ceterosque auctores legimus) conquesti sunt, quod imbecilla sit hominum vita, brevique temporis spacio terminetur: itemque quod casui et fortunæ subjecta sit. In his præsertim fuit Theophrastus, qui (ut inquit Cicero Tusculan. Quæst. l. III.) moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam (quorum id nihil interesset) hominibus (quorum maxime interfuisset) tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Idem in Callisthene suo laudavit illam sententiam: 'Vitam regit fortuna, non sapientia,' Auctor Cicero Tuscul. quinta. Sed his respondet Sallustius,